
UNIVERSITY OF VIRGINIA LIBRARY


UNIVERSITY OF VIRGINIA
1819

Emendationes Valerianae. Auct. Eyssenhardt, Berol. — im rhein. Mus. f. Philol., Neue Folge, XVII, 3, p. 378–392 incl.
Ph. Wagner, Philologus, Bd XX S. 617 ff. Jahrbb. f. Ph. Bd 89 (1864) S. 382 ff. — Meynke im rhein. Mus. f. Philol. Bd 22 (1867) Heft 3, p. 362 ff.

M. Hertz. 1874.

COMMENTARIVS PERPETVVS

IN

C. VALERII FLACCI

SETINI BALBI

ARGONAVTICON

LIBROS VIII.

CONSCRIPTVS

A

IOANNE AVGVSTINO WAGNER.

GOTTINGAE, MDCCCV.

SVMTIBVS HENRICI DIETERICH.

COMMENTARIVS
IN
C. VALERII FLACCI
[BALBI SETINI*]
ARGONAVTICA.

IN LIBRVM I.

1 — 4. Quae epicis ſcripta lex eſt poetis, vt ſummam totius carminis ſtatim ab initio exponant, ei et paruit noſter. Nec leue aliquod, in quo elaboraret, ſibi ſumſit

* Locum tueri poſſe, quae vncinis incluſi, duo nomina, vix crediderim. Equidem non ignoro, ſeriori aetate plura cognomina Romanis et agnomina fuiſſe, eaque non a patribus tantum, ſed auis etiam et patruis, genere adeo materno adſcita; eosdem tamen ſcio hanc in eo ſequutos eſſe legem, vt non niſi vltimo omnium cognomine in adpellandis hominibus vterentur. Ad hanc igitur rationem poeta noſter non *Flaccus*, ſed *Balbus* nominandus fuiſſet non minus, quam L. Norbanus Flaccus Balbus, (Conſul A. V. C. 771.) qui in Faſtis Conſularibus Graecis recte ſolo Balbi nomine obcurrit. Quum vero aequales Valerii noſtri, Quintilianus Inſtit. 10, 1. et Martialis pluribus locis Flaccum eum nominent, Vaticanus autem codex veterrimus in fronte nomina iſta ignoret, in fine demum libri ſecundi habeat, in reliquis librorum titulis non niſi ſemel ponat, haud ſcio, an ſuſpectum Balbi nomen habendum ſit. — Nec minorem ſuſpicionem agnomen monet *Setini*. Poetam noſtrum nouimus, auctore Martiale Lib. 1. Epigr. 62. et 77. non *Setiam*, (hodie *Sezze*) agri Romani haud procul a paludibus Pomtinis oppidum, ſed eamdem, quam Liuius, patriam *Patavium* habuiſſe. Fortaſſe igitur, quae eſt *Heinſii*, haec omnia fuſius exponentis, ſententia, duo iſta nomina non ipſius poetae ſunt, ſed vel Grammatici alicuius, qui poema Valerii emendauit recenſuitque, vel poſſeſſoris, qui fronti codicis nomen adſcripſit ſuum. Adde, ſi lubet, Burmanni praefationem et omnino de Romanorum ſerioris aetatis nominibus adcuratius disputantes, *Sirmondum* ad Sidonium Apollinarem p. 5. 55. ed. ſec. Par. 1652. 4. et *Weſſelingii* Obſervatt. Lib. 2. c. 21. p. 232.

argumentum, immo magna omnia promittit et mira et periculosa et gloriosa euentu. *Magni Deorum nati*, iique *primi freta peruia* faciunt, idque *naui fatidica*, quae auderet *ad Colchos vsque* pertendere, et per *concita iuga* viam *rumpere*, tandemque *in Olympo consideret*. Sed singula breuibus videamus. *Prima*, aduerbii loco posita, (cf. 6, 686. Virgil. Aen. 4, 166.) iungas τῷ *peruia;* primum igitur (et laus augetur, si quis quid primus audeat) viam sibi fecerunt Argonautae *per freta*, *quae longis fuerant inperuia saeclis* 4, 711. de quo glorians inducitur Iason 1, 169. *pelagus quantos aperimus in vsus?* (cf. in primis Ovid. Met. 6, 721. *per mare non motum prima petiere carina.*) — *Magni Deorum nati*, Dis geniti 3, 504. Diuum progenies 3, 669. Deum genus 5, 505. heroes sunt, qui genus ad Deos Deasve referrent. Orpheus 835. *οἱ μὲν γὰρ μακάρων, οἱ δ' ἡρώων γένος ἐσμέν.* Pindaro Pyth. 4, 20. sunt *ἡμίθεοι ναῦται.* Apollonio 3, 366. *ἀθανάτων υἷες καὶ υἱωνοί.* — *Fatidicamque ratem.* Orph. *εὔλαλος Ἀργώ.* 242. *εὔλαλος τρόπις.* 707. vnde sumsit Lucianus de saltat. T. 5. ed. Bip. p. 152 et 472. Apollon. 1, 9. 16. *φωνῆεν ξύλον.* 4, 582. *αὐδῆεν γλαφυρῆς νηὸς δόρυ* Hanc vaticinandi facultatem habuit, quod ex Dodonaeo excisa erat luco, non tota tamen, sed vel carina, vel malum, vel sic dicta tutela. De tutela adcipit noster 1, 301-4. quem locum, vtpote adprime huc facientem, adscribere liceat: *Visa coronatae fulgens* tutela *carinae* Vocibus his *instare duci: Dodonida quercum Chaoniique vides famulam Iovis; aequora tecum ingredior, nec* fatidicis *auellere siluis Me nisi* promisso *potuit Saturnia* coelo. cf. et Claudian. de bello Get. v. 19. et ibi Gesner. p. 404. — *Scythici quae Phasidis ora ausa sequi*, ausa, quod nulla ante eam nauis, (prima enim fuit, quae *inexpertos tentasse parentibus austros* dicitur 1, 97.) Phasin tam longe remotum *sequi* (cf. 5, 482.) petere, eo dirigere cursum. — Ante vero, quam eo perueniret, *medii cursus* erant *rumpendi*, magna cum contentione virorum atque remorum viam sibi patefacere debuit; quo sensu *rumpere* est etiam 3, 241. 6, 139. — per *iuga concita*, (saxa concita 4, 672.) quae perpetuo eoque celerrimo motu mox conliderentur inuicem, (*iuga* inlisa 6, 658.) mox discederent; insulas nempe, vel scopulos potius, (cautes Cyaneas 1, 630. 7, 41.) Symplegadas, Planctas Graeco nomine dictas, de quibus praeter nostrum 6, 637-698. vide locum classicum Ammiani 22, 8. — *Flammifero*

tandem consedit Olympo, inter sidera recepta, coelo debita 6, 692. composita 5, 296. Manil. 1, 422. seruando Dea facta Deos.

5. 6. Nec etiam poetarum, epicorum in primis, numen aliquod inplorandi consuetudinem Flaccus neglexit. Phoebumque sibi elegit, quamquam, vbi grauius aliquid magisque arduum incidit, Musas etiam (3, 216.) vel Musam, (5, 218. 6, 33. 516.) Clio (3, 15.) in auxilium solet vocare. Deum vero facilem sibi propitiumque reddit duobus argumentis: primo, quod Sibyllinorum librorum custos sit fidus, altero, quod aliquam poeticam sibi laudem conciliasse videatur. *Mone* (6, 34.) doce, rege, adiuua me, *si cortina vatis Cymaeae conscia domo mihi casta stat:* sic enim ordinanda verba. Et Cymaeae quidem, Romae prae aliis Sibyllis notae, *cortina*, proprie operculum tripodis, (cf. Virg. Aen. 3, 92. et ibi Heyne, Graecis ὅλμος. Pollux 10, 81.) Delphici, deinde tripus ipse. hic vero inuolucrum librorum Sibyllinorum, *conscia*, quae continet, inclusos habet istos libros, (v. Heyne ad Tibull. 1, 7, 48.) *mihi domo*, domi meae, *stat casta*, sollemni rerum et locorum sacrorum epitheto. Ex his igitur omnibus, quae tamen non nimis premenda sunt, quum *cortinam* seruatosque *domi* libros sibyllinos ignoret Romana antiquitas, immo eosdem primum in Capitolio, ab Augusto vero sub Apollinis Palatini basi doceat conditas, Valerium Flaccum in Quindecimviris sacris faciundis fuisse, admodum probabiliter interpretes conlegerunt.

7 – 21. Tandem sui saeculi morem, quo principibus carmina dedicarent poetae, (de quo v. inprimis Schrader ad Musaeum p. 1. et Ruperti ad Sil. Ital. 3, 594.) sequitur Noster, et ita quidem, vt non Augustum tantum Vespasianum, sed Caesares etiam, Titum et Domitianum, aduletur. 7. *pelagi cui maior aperti fama.* Placet, quod Argonautarum laudes laudibus iungat Augusti. Aperuerunt illi quidem mare, tu vero maius adeo patefecisti. — 8. 9. *Caledonius*, Scoticus, Britannicus omnino; nam singulos populos pro tota natione ponere solent poetae, *Oceanus tua vexit carbasa*, tuas vidit naues, (cf. Sueton. Vesp. 4. Dio Cassius 60, 20. 30. Sil. Ital. 3, 598. *in Caledonios primus trahet agmina lucos*) qui *Phrygios Iulos*, ex Phrygia et a Troianis oriundos, Iulium Caesarem in primis, qui Britanniam primus Romanorum tentauerat, ita *indignatus*, (per prosopopoeiam, vti Virgil. Aen. 8, 728. pontem indignatus

Araxes) vt magnum nauium eius numerum fluctibus mergeret. Dio Caff. 39, 50-53. 40, 1-4. — *Eripe me populis et habenti nubila terrae*, in quibus Horatii *fecretum populo* Od. 1, 1, 32. *coetus vulgares, vdamque humum* Od. 3, 2, 23. ob oculos habuiffe videtur poeta. — 11—14. *Sancte Pater*, reuerentiae nomen Imperatoribus datum. cf. Propert. 4, 9, 71. Ovid. Faft. 2, 127. — Quae fequuntur, ita cohaerent: Faue veterum heroum facta canenti, res enim a te ipfo geftas nolim culpa ingenii deterere mei, immo filius tuus, Domitianus, *poteft enim* (nam, quem fimilaffe tantum artem poeticam verius tradit Suetonius c. 2. eum adulatores, Plinius in Praefatione, Quintilianus Inft. Prooem. et 10, 1, 91. Statius, Martialis cet. eximium fcilicet praedicant vatem) *pandat* hoc enim, blandius quippe et Domitiano honorificentius repofui pro *pandet*, per orbem terrarum diuulget, celebret *Idumen verfam*, profligatum a te bellum Iudaicum, in quo fub aufpiciis tuis perficiendo quum maxime elaborat *frater*, Titus, *nigrans puluere*, non indecoro puluere fordidus Horat. Od. 2, 1. 22. tormentis bellicis vrguens Hierofolymam, eiusque *per turres*, quibus pluribus munita eft, *furens*. — 15. *Ille tibi cultusque Deum delubraque genti inftituet.* In diuerfa hic abeunt interpretes, quorum alii τὸ *Ille* ad Titum, alii ad Domitianum referunt. Quam litem, fi tanti effet, ita componere poffimus, vt Titum dicamus patri diuinos omnino honores (ἀποθέωσιν) decreuiffe, tefte Plinio Paneg. 11. Domitianum vero templum ei erexiffe, auctore Suetonio Domit. c. 1. et 5. Sed tota quaeftio inutilis; quum enim Vefpafiano adhuc viuo ad plures abierit Valerius, non hiftoricum egit, fed vaticinantem, eumque adulantem poetam. — At vero in toto loco explicando mire discrepant viri eruditi. *Heinfius* enim et, qui eum maximam partem fequutus eft, *Burmannus* ita intellegi volunt, vt Titus in honorem et fub aufpiciis patris (hoc enim ex voce *tibi* exfculpunt) *Deorum* (plurium) *cultum* et *delubra genti* (non Flauiae, fed Iudaeorum) decreturus fit, ad quae delubra pofthac, relictis facris patriis et abolito veteri cultu, fit conuentura (gens Iudaica), quum adhuc nulla habuerit Diis (pluribus) dicata templa, fed non nifi vnum Deum agnouerit. Mira profecto et nimis quaefita interpretatio! Nec me mouet, quod duumuiri illi Valerium, quamquam vatem, templi in honorem Vefpafiani aedificationem praefagire haud potuiffe opinentur, quum poetis

liceat res futuras, quas euentum habere optent, quaeque fieri vel possint, vel debeant, vt certas praedicere. Nec arte diuinandi opus erat ei, qui prioribus bonae notae Imperatoribus templa decreta fuisse non ignoraret. Delubrum Iulio Caesari ab Augusto dedicatum est; (v. Plin. hist. nat. 35, 10.) eumdemque Octauiano honorem contigisse constat. Et recte praesagiit Flaccus, quod secus esset in templo Hierosolymitano, quod dirutum plane atque ignibus consumtum ne dedicari quidem potuisset. Adcedit, quod, nisi *τὸ tibi* ad Vespasianum referas, sequens *genitor* admodum frigeat. Maneat igitur, quod antiquioribus interpretibus, Pio et Carrioni, placuit, quodque legenti primum obcurrit: *Tibi*, patri, *cultum Deum*, diuinum, in tuum totiusque *gentis* Flauiae honorem *templum instituet proles.* Ceterum Vespasiani inter Deos relatio poetico more sic effertur: *quum iam lucebis ab omni parte poli*, nouum sidus adparebis in coelo, et tale quidem, quod 17-20. Tyriae, Graecae, Sidoniae Aegyptiaeque naues longe certiorem habebunt nauigationis ducem, quam *Cynosuram*, minorem, *Helicen*, maiorem vrsam, vel, vt *Gronovii* verbis vtar, (Obss. p. 111. ed. Platner.) non obseruabunt Helicen aut Cynosuram nautae, si tu id officium in coelo obibis, vt naues regas, quippe certior dux futurus. Cynosuram Phoenicum, Helicen Graecorum rexisse nauigationem, praeter alios non vno loco docet Ovidius, cuius Fastor. 3, 107. adtulisse sufficiat: *Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur Sidoniis, Helicen Graia carina notet.* — Hactenus bene: fortasse tamen et alii mecum obfendantur partim eo, quod eiusdem regionis nautae, Graii et Graeci, Tyrii et Sidonii, Phoenices vtrique, bis obcurrant; partim, quod *signa dare* et *ducem esse* idem significent, cui incommodo vix medearis, etiamsi cum *Gronovio:* SI *tu signa dabis*, SI *te duce* cet. malis legere. Melius Valerio consuluisse videntur *Slothouwer* in Actis literar. Societatis Rheno-Traiectinis 1801. T. 3. p. 168. et *Frenzelius*, scholae Susatensis Rector, in Specimine Obss. criticarum 1800. qui eodem tempore diuersis locis eamdem adhibuerunt medelam: QVAM tu signa dabis, seu te duce Graecia mittet, SEV Sidon Nilusque rates. — 20, 21. *serenus*, serena fronte, non, vt argutatur Burmannus, cum respectu ad sidus: nam Vespasiano voluit vivo placere poeta, non in Deos relato. *Vox haec inpleat Latias vrbes*, per omne Latium carmen legatur meum.

22—25. Iam Valerius opus ipſum adgreditur. *Pelias*, Neptuni ex Tyro, Salmonei nata, filius, fratre Aeſone expulſo, inde a iuuentute Theſſaliam rexerat, *grauis et longus populis metus*, h. e. valde multoque per annos ciuibus metuendus. Sic Seneca in Hippolyto 29. *aprum* vocat *metum agricolis*, Noſter 2, 16. *metus Deum* pro loco metuendo. cf. et 4, 201. 320. Tum fines imperii deſcribuntur more poetis ſolito, vt flumina et montes et fertiles campi pro tota regione ponantur. *Verſabat vomere*, quod et ipſum poeticum, i. e. imperio eius ſubditi erant, qui ad Olympi montis radicem agros colebant.

26—57. *fratris* vterini, Aeſonis, quicum matrem, nec tamen patrem habuit communem. Mater fuit Tyro modo memorata, quae Pelian ex Neptuno, Aeſonem ex Cretheo conceperat. vide Tab. genealog. I. — 27. *hunc*, non eſt, quod ob praecedentem *prolem* mutes in *hanc*. Eadem eſt ratio, quae paullo ante v. 15. conſ. v. 12. — 28. 29. *pecudum terrifici monitus iterant*. (fibrae minaces Virg. Ge. 1. 484.) exta plus vice ſimplici inſpecta mala omnia portendebant. *Super*, inſuper, praeterea. Sic ſaepe Noſter. — 30. *inſtat fama viri*, vrguet, vrit, moleſta eſt. cf. v. 249. *virtus haud laeta tyranno*, quae ipſi metuenda eſſet. — 31. *anteire*, praeuenire, praeuertere *Aeſonium iuuenem*, viginti nempe annos natum. Pind. Pyth. 184. *exſtinguere pergit*, perſtat infra 4, 221. pergit de eo interficiendo cogitare. Haud raro ita verba vſurpant ſcriptores, vt non tam ipſam actionem, ſed voluntatem tantum et conatum velint intellegi; breuius tamen iuſto mentem expreſſit Valerius. — 32. *letique vias ac tempora verſat*, dubius, quomodo et quando e medio tollat. — 34. E monſtris praecedenti verſiculo memoratis nunc adferuntur ſingula aliquot, Nemeaeus leo, hydra Lernaea, duo fractis cornibus iuvenci, quorum omnium victor fuit Hercules. Hoc exornat poeta: *Cleonaeo*, (ab oppido Argolico, Cleonis, vel Cleone, non longe ab ſilua *Nemeaea* ſito) *iam tempora clauſus hiatu Alcides*, qui exuuiis illius leonis ad corpus tegendum, rictu vſus eſt pro galea, qua ita inuoluta fuit facies, vt oculi vix conſpicerentur. — *Lernae angue*, hydra, paludis ad Lernam incola, terras non tam Arcadicas, vti Valerius vult, quam Argolicas infeſtante. — *ambobus iam cornua fracta iuuencis*, quorum alteri, Acheloo, (deo fluuiatili, Hercules ſecum luctanti cornu defregit, Ovid. Metam. 9, 85. 86.) h. e. quum duobus antea alueis

incessisset, vno deinde coegit desluere. Alter iuuencus sine dubio is est, quicum Pasiphae, vt fabula fert, concubuit, quemque ex Creta insula Mycenas viuum abduxit Hercules. (Hygin. Fab. XXX. Diod. Sic. 4, 13.) — 37. *ira maris*, iratum, inpetuosum mare, (inmania freta infra v. 65.) *vasti discrimina ponti*, qui, quo amplior, eo periculosior est. — 38. *tranquilla tuens, nec fronte timendus occupat*, placida serenaque fronte adloquitur prior, *et fictis dat vultum et pondera verbis*, graui ponderosoque vultu, vel, vt cum Quintiliano loquar 11, 3. 183. vultuosa pronuntiatione, blandis ad speciem similatisque verbis vim addere vult fidemque facere. — 40. *veterum pulcrior actis*, quae prioris aetatis res praeclare gestas longe superet gloria. — 41. *daque animum.* Hoc difficilius explicatu, nec satis placent interpretes *Heinsius* et *Burmannus*, quorum ille, quam antea proposuerat explicationem: *iunge manum, foedere inito promitte*, postea deseruit, et in Aduersariis p. 227. *reuoca ad curas tuas*, Burmannus autem: *ostende, te nihil timere*, exponunt. Quum non semper tautologias respuat Valerius, erat, vbi *animum* pro *voluntate* positum autumarem, vt fere idem esset, quod praecedens *adnue*. cf. infra v. 182. et 3, 615. Aliud tamen postea temporis in animum venit. Quid? si legas: *daque animo*, sc. tuo, (Graeci δοῦναι ψυχῇ Theocrit. 16, 24.) hoc sensu: indulge laudabili tuae rerum fortiter gerendarum cupidini? cf. Horat. Od. 4, 7, 19. *amico quae dederis animo*, et ibi Ianius olim meus. — 42. *Cretheos*, forma Genitivi Graeca. Sic *Perseos* infra v. 68. et saepe alibi; *nostri*, quia communem stirpem ex Aeolo trahebant Pelias et Iason. vid. tabulam genealog. I. — *patrias effugerit aras.* Athamas, frater Crethei, Phrixum et Hellen susceperat ex Nephele, qua in nubem conuersa, Inonem, Cadmi filiam, in thalamum recepit. Ista, nouercarum more, priuignis infesta, caritatis annonae, cuius tamen ipsa causa esset, culpam in eos coniecit, legatosque ea de re ad oraculum Delphicum missos subornauit, vt Apollinem dicerent mactandos Phrixum et Hellen iussisse. Diu reluctatus Athamas tandem concessit, sed Nephele mater, nube sua delabsa, liberis praecepit, vt ab ipsa subministrato, lana aurea vestito, trans mare fugerent ariete: cui male inhaerens Helle decidit, nomenque fecit Hellesponto; Phrixus autem, ad Colchos delatus, vellus arietis, sed moribundus demum, (5, 226.) Marti consecrauit. — 44. *heu magni Solis pudor!*

heu filium, qui patri tanto dedecori eſt. Aeetes enim *hoſpita vina inter*, quod crimen auget, (nam hoſpitalitatis magna erat religio) *mactat*, trucidat inter *ſollemnia*, laetitiae deſtinata, adtonitae *menſae*, ita vt ipſi conuiuae ad tam dirum facinus ſtuperent, *nil noſtri Divumque memor*, nulla pietatis in cognatum Deosque habita ratione. Admodum inuidioſe loquentem omniaque in maius augentem Pelian inducit poeta, Pindarum ſequutus Pyth. 4. 289. 290., in eo tamen turpiſſime mendacem, quod ab Aeeta interfectum criminetur Phrixum, qui tamen, ab eodem gener adſumtus, quatuor filios ex coniuge ſuscepit. v. omnino 5, 226. — 47. (ob) *ſaeua gementem* cf. 230. *ipſum, ipſum* per emphaſin repetitum. — 49. *lacera* ad miſerationem commouendam. — 50. *magni* (ornat, nil amplius!) *numen maris Helle* 2, 589. 5, 200. — 52. *vel adeo regis caput hic atque arma videres*. Confidenter et ſuperbe dictum. — 53. *olim annis ille ardor hebet*. Τὸ *olim annis*, an *ardori* iungere malis, nil refert. Nec hic laudum ſuarum immemor Pelias: priſtina mea virtus, quam norunt omnes, non exſtincta, obtuſa tantum eſt. *Proles*, filius Acaſtus, nondum maturus imperio capeſſendo, bellis terra gerendis, periculis mari tolerandis. — 55. Quum igitur ego nimis ſenex, filius nimis iuuenis ſit, *tibi iam curae vigeant animique viriles*, tu, quidquid virili animo concipis, iuuenili ardore perſequaris, age, *i decus*. (Virgilii *i decus, i noſtrum* Aen. 6, 546.) Pindarus Pyth. 4, 279. Ἀλλ' ἤδη με γηραιὸν μέρος ἁλικίας ἀμφιπολεῖ· Σὸν δ' ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει. Iaſonem viginti tum annos natum fuiſſe, idem tradit ib. v. 184. — 56. *pecoris Nephelaei vellera*, vide ad v. 42. dicta. Aliis locis: *Aeoliae pecudis aurum* 7, 54. *auratae pecudis exuuiae* 5, 492. *Graio tholo*, fornici, parti templorum concameratae, e cuius parietibus dona et ſpolia ſuspendebant. cf. Heyne ad Virg. Aen. 9, 408. *redde*, cui debentur, Graeciae. — 57. *tantis temet dignare periclis*. Iniurius in te ipſum eſſes, ſi hanc talem ſummae periculis redimendae gloriae occaſionem dimitteres. Eamdem doloſam orationem vide apud Pindarum Pyth. 4, 279-298. quem et hic et alibi ob oculos habuiſſe Valerius videtur.

58 – 90. *Propior* ſimilior *iubenti*, vt iubere magis, quam blandiri et hortari videretur, (aliis verbis idem effert Ovidius Metam. 2. 397. *precibus minas regaliter addit*) finem quidem facit loquendi, ſed 60 – 63. *certus*,

probe gnarus, quanto Iasonem periculo in Cyaneis rupibus obiiceret, *siletque*, reticet vastum illum, velleris custodem horrendumque sibilantem, draconem, quem Medea ex latebris cantu ciboque excitatum, *melle* (cf. 8, 97.) in primis, *hesterno veneno* pascebat *liuente*, quod, quum pridie paratum esset, ex intrito veneno liuorem contraxerat, sucosque pestiferos penitius inbiberat. — 64. *Mox taciti patuere doli*, cui? Iasoni. Recte, sed mallem nominasset poeta; vnde factum, vt pro *taciti* fortasse *iuueni* dedisse Valerium coniicerem; sed codices non addicunt. — 66. *Qua iussos sic tandem quaerere Colchos arte queat.* Variant libri, et pro *sic tandem* nonnulli praeferunt *sectantem*, quod tamen incommodum satis fundit sensum, nisi cum Burmanno pro *quaerere* malis *perdere*. Ego vulgatam lectionem recte habere crediderim, si cum *Heinsio* et *noua biblioth. philol.* 1782. Vol. 1. p. 258. post *queat* signum ponas interrogandi, et *sic* non voci *tandem*, sed *iussos* iungas, et ita interpreteris: qua tandem (demum) arte Colchos petere queat, tam dura lege atque conditione, tot periculis propositis adire iussos? — 67 – 70. *Persei talaria*, (*Perseus pennipes* Catullo Carm. 55, 25.) soleas alatas, quibus aera, ad Medusae caput amputandum Andromedamque ab monstro marino liberandam, peruolaret, quis ignorat? *currus* vero Triptolemi est, quem per periphrasin elegantem poeta dicit *saeuis draconibus*, serpentibus alatis, a Cerere adceptis, vectum, quique terras frumenti nescias agriculturae prima elementa docuit, (*inbuit*) *et flaua quercum damnauit arista*, quae adumbrata ex Virgilii Ge. 1, 8. *Chaoniam pingui glandem mutauit arista.* Valerius exquisitiori voce *damnauit* vsus, nec infeliciter. cf. *damnata proles* 2, 153. Effecit igitur Triptolemus, vt homines, quibus antehac vesci soliti fuissent, glandes prae frumentis repudiarent. — Persea Triptolemo iungit etiam Ovid. Amor. 3, 6, 12. quem vide. — 71 – 74. Quum igitur Persei talaria currumque Triptolemi optare quidem, sperare tamen non posset Iason, dubius animi fuit, *populumne leuem*, inconstantem, *Patresque*, Senatum, (v. omnino infra 761.) iam diu *Aesonis* ab imperii consortio exclusi sortem miserantes, in partes traheret suas, vt tyrannum, nisi solio deiicerent, ab iniusto tamen iussu absterrerent, an Dearum ope *magis* (pro *potius* positum, vti 1, 176. 3, 270.) eumdem superaret, et *fera* (sic malim pro *freta*, praeeuntibus *Heinsio*, *Crusio* in Probabb.

crit. p. 98. et *Heynio* ad Tibullum p. 189.) *iuſſa capeſſeret*, adgrederetur. — 75 – 78. Fieri tamen poſſit, ne ſecum cogitat, vt *domiti ponti*, ſuperatorum maris periculorum, laudem mihi parem. *Gloria* enim, quae *ſola* dominans eſſe in iuuenibus ſolet, eorumque *animos mentemque* (Homericum *φρένα καὶ θυμὸν*) *perurit*, (ſimilis locus ap. Sil. Ital. 6, 332. *fax* mentis honeſtae abripuit. cf. et Noſtrum 1, 476.) non animo tantum eius obuerſatur, ſed eamdem adeo (elegans proſopopoeia!) conſpicere ſibi videtur *viridem immunemque ſenectae*, numquam ſeneſcentem, perpetua florentem iuuentute, *ſtantem in Phaſidis ripa*, iuuenesque inuitantem ad res praeclare gerendas. — 79 – 90. Tandem fluctuantem animum *firmat* vincitque *religio;* Dearum nempe, Iunonis et Minervae, fidei ſe commiſſurus, *tendit ad ſidera palmas*, et Iunonem propenſiorem habiturum ſperat confidentius, quam ex aquis olim liberaſſet. Meminiſtine! inquit, quum coniurationis in Iovem ſocia Palladi et Neptuno facta fuiſſes, *turbidusque Iupiter*, magna tempeſtate *atro coeruleum quateret imbre*, memet ipſum per Enipea, praecipiti nimbo tumentem, humeris te ſublatam in campos extuliſſe ſoſpitem? (Alii, v. c. Apollonius 1, 14. et Apollodorus 1, 9. §. 8. 16. Iunonem Iaſoni fauiſſe memorant odio Peliae, qui in ſacris faciendis eam neglexiſſet.) Nec Deam te eſſe, anili enim ſpecie adſumta ad fluuium conſederas, animaduerti prius, quam *tonitru te nutuque potenti repoſceret coniux*, *inque* tuam meamque *formidinem* raperet ſecum. Idem narrat Apollonius, ſed loco *Enipei* habet *Anauron:* (1, 9. 10. 70. fuſius 3, 66 ſq.) conciliari tamen cum Valerio ita poteſt, vt non proprium, ſed adpellatiuum nomen Anauri Apollonio ſit: eſt enim *ἄναυρος torrens*, *tumidus turbo*, vti effert noſter. cf. *Schneider über Anacreon* S. 289. qui tamen in Lexico Graeco-Latino h. v. mentem, ſine cauſa, videtur mutaſſe. — 87. In inplorando Palladis auxilio breuior eſt Iaſon, ſolamque *innubae* (cf. 4, 605.) laudem ei tribuit, quo fortaſſe non tam perpetuam virginem, quam *viraginem*, quae, ne a rebus fortiter gerendis arceretur, amoris inlecebras ſperneret, in mente habuit. — 88 – 90. Promittit et ſuo et patris nomine aureum vellus, *colla* boum mactandorum *deauratis cornibus*, magnamque ouium multitudinem (*cingent*) aras circumſtantium.

91 – 106. *Adcepere*, audiuere ratasque habuere preces Divae, *celerique labſu* (ſollemne de Deorum ad terras

descensu) diuersas petiere vias: *Tritonia* (quod nomen vnde Minerva traxerit, ipsi veteres ignorarunt, ideoque a variis duxerunt causis, quarum probabilissima haec est, vt a τριτώ, quod Aeolibus caput est, adpellata sit Τριτογένεια, e capite Iovis nata. Sic Heynius ad Virgil. Aen. 2, 171. Homeri Il. 4, 515. Alii aliter. v. Allg. Lit. Zeit. 1803. Scidula 140.) *Thespiam* vel *Thespias*, (vtraque enim forma apud veteres legitur) Thessaliae vrbem, ibique habitantem *carum* (artificem, quales artifices omnes caros habuit) petit *Argum* naupegum, quem ad fabricandam maiorem nauem *arbores demittere*, caedere, montibus deferre iubet, ipsaque *in Peliacas*, montis Pelii *vmbras*, opacas siluas comitatur. — 96. Iuno per Argolicas *Macedumque* (rectius *Macetum*, partis Macedoniae, Macetiae incolarum Lucan. 2, 647. 5, 22. Sil. 13, 878.) *per vrbes* diuulgat famam susceptae a Iasone nauigationis per maria nondum tentata, *iam stare* perfectam *ratem*, poscere, *quos vehat et reuehat rebusque in saecula tollat*, ob res praeclare gestas serae posteritati commendet. De Iunone heroas conuocante cf. Pindarum Pyth. 4, 328. — 100. *Auent* ardent et *viri*, quorum spectata iam bellis virtus esset, et *iuuenes*, qui nondum oblata rerum gerendarum occasione intra tentamina sese continuissent. — 103. *At insontis* inbellis *aratri* studiosi hos instimulant, Diique adeo Deaeque *per lustra*, Dryades cet. *viasque* Fauni cet. *manifesto in lumine* (adoptatum e Virgilio Aen. 3, 151.) adparent, *atque elatis cornibus Amnes*, Dii fluuiatiles ex aquis prominentes. Apollonius 1, 547. Deos Deasque e coelo spectantes inducit, cui noster, suum ingenium sequutus, nihil cedit.

107 — 119. Nec mora, *protenus vltro*, non aduenit, sed *aduolat* Hercules *Tirynthius*. v. Ind. *Argis Inachiis* ab Inacho conditis *cuius Arcadio* (verius Thessalico, sed Valerium supra vidimus v. 36. Arcadiae latiorem ambitum dare) *veneno tela flammata*, inbuta, vt ardorem in venis excitarent, et vulnus quodque letale facerent, *arcusque faciles*, flexiles, sequaces, gestauit puer Hylas *humeris gaudentibus;* (rebus enim inanimatis et motus animi et actiones tribuunt poetae; sic paullo post: docta bipennis) nec his contentus (vide alacritatem iuuenilem!) vellet ipsam clauam portare, nisi inbecilla adhuc manus recusaret. 111 — 116. Vtrosque, Herculem in primis, odio inueterato *amens* Iuno persequitur: Vtinam non omnis Graecae iuuen-

tutis flos atque *decus in noua* ad intentata adhuc *rueret facta:* (ſic enim repoſui, non vno codice adſtipulante, pro *fata*, (morte) quae ſenſum turbant; nam reliquos Argonautas perdere noluit Iuno. cf. ſupra v. 12.) Vtinam cum ſolo Hercule res eſſet, *nouumque laborem* ei inpoſuiſſet *Euryſtheus noſter;* (v. Ind.) tum enim Aeoli *imbres et tenebras*, Neptuni fratris *tridentem*, *coniugisque* Iovis vel *inuiti ignem*, fulmen, *torſiſſem.* Exempla aliorum Deorum, qui fulmine Iovis vſi vel abuſi ſunt, congeſſit *Burmannus* in Iove fulgur. c. 15. p. 330. cf. *Leſſing* in Laocoonte p. 97. et *Heyne* ad Virg. Aen. I. 42. Valerius ipſe Minervam, hoc ſibi ſumentem, ſiſtit 4, 671. et infra hoc ipſo libro v. 372. vbi de eadem Pallade ſermo eſt. — 117 – 119. *Nunc* (non *hunc*) *quoque*, etiamſi Iaſoni Argonautisque faueo, *non fas ſit*, immo me indignum, et in hoc opere, et vmquam poſthac Herculem ſocium habere. Et fidem fecit verbis; Hyla enim, ea inſtigante, rapto, Hercules, nimis in eo inueſtigando moratus, a ſociis relictus eſt. v. :, 450 ſq.

120 – 129. His dictis ad litora Theſſaliae oculos convertens Iuno omnia ibi feruere videt. Ipſe poeta rem praeclare agit ſuam; omnia enim ad ſenſus reuocantur. Videmus hominum multitudinem, audimus dolabrarum atque ſecurium ſonitum, ſinguli in ſingulis nauis partibus labores ob oculos pinguntur. *Feruere cuncta virorum* trepidantium *coetu*, *delatae* (ſic *deferunt* imbres montem 2, 523.) congeſtae vndique non arbores, ſed arborum ſiluae (*nemus*) — *docta*, perite ducta *bipenni*, aſcia, *litora reſonant* — *gracili lamna*, cuneis, *disſoluit pinus* Argus, *Theſpiades* — *iunguntur latera, trabes ſequaces molliuntur lento igne* — *ſequaces* ab effectu, vt ſequaces, lenti fierent, h. e. vt extracto per ignem natiuo humore maiorem lenitatem adciperent, nec, quod in humidis ſolet, facile dehiſcerent, vel vt longiores aſſeres igne, quod etiam nunc fit, curuarentur — *malus erectus*, cui Pallas *brachia*, antennas, cornua v. 312. ipſa quaeſiuerat. cf. Claudian. de bello Get. 15. — 127. *Conſiitit vt longo moles* magna et ſpatioſa nauis *non peruia ponto*, ad longum iter durabilis, contra intrantes aquas munita, et ſi qua forte *latentia lumina*, obcultae et vix conſpiciendae rimae deprehenderentur, *ea tenues cerae ſubiiſſent*, adfuſis ceris et pice (cf. infra 480.) obturatae eſſent, (de interiori etiam naue ornanda cogitauit non Pallas, ſed, de qua ſermo eſt inde a verſu 120. Iuno) *et picturae varios ſuperaddit honores*,

ornantes picturas. Vti vero nauim Iuno, ita Valerius carmen ſuum picturis ſolius ornamenti cauſa condècoraſſe, aduerſus temporum tamen rationem hic, vti aliis locis, videri poſſit peccaſſe, qui pingendi artem memorauerit, Argonautarum aetate longe recentiorem, quamque Homerus adeo adhuc ignorauerit; nam *νῆες μιλτοπάρῃοι* Il. 2, 637. ſunt naues ab exteriori parte minio vel rubrica oblitae: ſed picturas non voluiſſe proprie ſic dictas. immo vero aliorum poetarum morem ſequutus de ſculptorio (anaglypho) opere, quod pictura longe antiquius eſt, ſumſiſſe cenſendus eſt: cf. Heyne Exc. 15. ad Virg. Aen. 1. Propius tamen inſpectae placebunt.

130 — 148. Tres propoſitae picturae: A) Thetidis ad nuptias cum Peleo celebrandas proficiſcentis, quas nuptias, vt Graecos taceam, e Latinis in primis cecinerunt Catullus Epithalamio Pel. et Thet. et Ovidius Metam. 11, 221 ſq. *Inſperatos thalamos*, non omnino ad mentem ſuam, Deaque, Nerei filia, non admodum dignos. Nam quum, qui eam ambiiſſent, Neptunum ipſumque Iovem Themis (Pindar. Iſthm. 20, 4.) ab hoc conſilio deterruiſſet eo, quod filius e Thetide naſciturus fato deſtinatus eſſet patre quocumque maior ſuo, ſuadentibus hortantibusque pluribus Diis, coniuge tandem contenta fuit Peleo Thetis. Vehitur *Tyrrheno piſce*, delphine frenato, (Ovid. Met. 11, 237.) *corripiente aequora*, celerrime vndas tranante. cf. 2, 101. Illa ſedet *deiecta* (vti Medea 8, 204.) *in lumina palla*, demiſſo flammeo tegit vultum, modeſtiae, vel verius moeſtitiae cauſa, quod ſuadent ſequentia, vbi ſuſpirat, *Iove maiorem non naſci Achillem.* Fateor, totum hunc verſiculum non ſatis placere: poetae enim magis eſt, quam pictoris, qui, ſi ſuſpirium triſtitiamque quadam oris conformatione aliquatenus, animi tamen ſenſa in tabula neutiquam potuit exprimere. — Comitantur eam ſorores Nereides *Panope*, (cf. 2, 590.) *Doto*, (Virgil. A. 9, 103.) *Galatea, laetata fluctu nudis lacertis antra petens. Hemſterhuſius*, vir olim ſummus, ad Luciani Dial. marin. 1. ed. Bipont. T. 2. p. 348. pro *nudis* mauult *niueis*, et verba *antra petens*, mutata interpunctione, ad Cyclopem refert. De *nudis*, otioſo in Nereide epitheto, facile conſentio, interpunctionis mouendae neceſſitatem non perſuaſit; multo minus adceſſerim *Heinſio*, qui *antrum* iſtud nuptiale Thetidis eſſe vult, non Galateae. Ego vero de Galatea intellego, mentemque poetae hanc fuiſſe exiſtimo: Galatea

non ſtatim ab initio comes fuit Thetidis, ſed forte adcidit, vt per idem tempus in aequore, ad corpus mouendum, apricaretur (hoc vult *fluctibus laetata*) iamque in eo eſſet, vt in antrum rediret *ſuum*, et conſpecta Thetide cum ſororibus, adiungere ſe iis geſtiit; a qua voluptate *Cyclops*, qui eam deperibat, Polyphemus *a litore*, in litore ſtans, *reuocat*, vt ad ſe veniret, inuitat. — B) 137 – 139. Altera pictura ſiſtit epulas ipſas nuptiales: *contra*, e regione, vel iuxta priorem ſuspenſa tabula exhibuerat artifex *ignes* cibis parandis, *viridi de fronde toros*, lectos, quibus conuinae adcumbebant, *dapes* fercula, *vina* pocula, Peleaque ſponſum cum ſponſa inter *aequoreos Diuos*, (alii tamen et alios Deos adfuiſſe narrant) *pulſatque chelyn*, lyram, *poſt pocula Chiron*, Centaurus, vti plurium artium peritus, ita et commode ad lyram canens χοιδός. Erat, vbi poetam ſuſpicarer ſcripſiſſe *per pocula;* ſed nil opus: *poſt pocula* eſt *ad abacum.* — C) 140 – 148. Tertia tandem caelatura repraeſentat *Pholoen*, Theſſaliae ſaltum, ad quem habitabant Centauri et Lapithae. *Rhoetus*, (non *Rhoecus*, quod alii volunt: Rhoecus enim non Centaurus, ſed Gigas. v. Heyne ad Virg. Ge. 2, 456.) *multo inſanus Iaccho*, ad amentiam vsque inebriatus — *ſubitae de virgine Atracia*, Theſſalica (cf. 6, 447.) Hippodamia, Pirithoi ſponſa, *pugnae* 142. *Volant menſae et crateres*, maiora vaſa, miſcendo et aqua temperando vino — *arae Deorum* portatiles, epulis, nuptialibus in primis, adhiberi ſolitae — *pocula, inſignis veterum labor*, vaſa minora, calices, et arte et antiquitate aeſtimabiles. — Inter pugnantes eminent *Peleus haſta, Aeſon enſe furens.* Laudo vero, mi Flacce, quod picturae tuae epiſodicae Aeſonem, quem ſic filius Iaſon quotidie virtutis exemplum ob oculos haberet, addere volueris. — *Neſtor* (et ipſe Argonauta, ſoli tamen Valerio noſtro) vicit *Monychum*, Centaurum. cf. Ruperti ad Iuvenal. 1, 11. et ibi laudatos. Hoc ita effert poeta: *Fert grauis* amplo corpore *Neſtora victorem inuito tergo.* Adumbratum ex Ovidii Metam. 12, 345. vbi tergo Bianoris Centauri inſilit Theſeus. — 146. *Clanis Actora ardenti quercu*, titione, torre ex ara rapto *peragit.* Clanis ſi Centaurus eſt, eſt autem Ovidio ib. 379. *Actor* numero erit adcenſendus Lapitharum, quem, quum etiam apud Ovidium Lapithae non omnino indemnes diſcedant, aduerſarius *peragit*, non conficit, ſed prae ſe agit; nam non enſe, ſed titione perſequitur. — 147. *Neſſus*, itidem Centaurus, *nigro equo* fugit.

Hippaſus denique, *adclinis tapeti in mediis*, in turba decertantium *caput condit auro vacuo*, cratere euacuato. Lepidum phantasma!

149—183. Monetur his quidem Iaſon, pericula tamen ſibi imminentia ponderans, Acaſtum, Peliae filium, in partes ſuas trahere conſtituit. *Haec*, et pictura et tota nauis, *quamquam miranda*, admirabilia, pulcerrima videbantur *viris*, Argonautis, et quotquot alii adeſſent, *Iaſon* tamen *ſtupet* magis, turbidique eſt animi, κατηΦιόωντι ἐοικώς. Apollon. Rhod. 1, 461. — 150. *heu miſeros noſtrum natosque* (rectius ſine dubio *matresque* cum Burmanno et codice Harles.) *patresque*. — 151. *nos animae faciles*, nimis obſequioſi (*gutwillige Seelen*). — 152—156. Acaſto filio in eadem pericula abrepto faciam, vt Peliae ipſius interſit, naui noſtrae *inuiſae*, cui mala omnia inprecatur, tutam nauigationem optare, eademque, qua *matres noſtrae*, anxietate *vndas*, Deos Deasque marinas defatigare precibus. — 156—160. *Talia cunctanti*, conſilii de abducendo Acaſto adhuc dubio, *Iovis armiger* aquila *laeuum* a ſiniſtro, quod Graecis laetum augurium habebatur, *aethra* (poet. pro *aethere*) aduenit, et *validis fixum* adprehenſum *erigit* in altum tollit *vnguibus agnam*, et quamquam e remotis ſtabulis et paſtores, et *fremitus canum* canes frementes, adlatrantes ſequuntur, adſequi tamen non poſſunt raptorem, qui in Aegaeum mare praedam absportat. Robur aquilae et perſecutores ad naturam pinxit poeta. — 161. *Adcipit augurium Iaſon*, in quo hoc ſibi inueniſſe videtur, vti aquilae in Aegaeum mare auolanti fruſtra et paſtores et canes ouem eripere conati fuerint, ita et Pelian ereptum ſibi filium e mari Aegaeo, quod Argonautis transeundum erat, fruſtra repetiturum. Laetus *ſuperbi*, inpotentis, iniuſti, *Peliae tecta petit*, vbi vltro obuiam ei venit Acaſtus, *amplexus fraternaque pectora iungens*, conſanguineo amore deoſculatur. — 163—173. *Ductor* Iaſon (ſic ſaepe *ducis* nomine obcurrens, v. c. infra 184. 241. 296. cet.) *ait:* non huc veni ad *degeneres*, me teque indignos *queſtus*, immo, ſic ſine ambagibus mediam in rem rapit, dicitque, quod res eſt: *ſocium te iungere coeptis eſt animus*. Iam vero argumenta addit, quibus eum permoneat. Et primo quidem, ait, nemo, ne amiciſſimi quidem, *Telamon*, *Canthus*, *Idas Tyndariusque puer*, vterque et Caſtor et Pollux, (omnes Argonautae) mihi vellere aureo dignior te eſt, ad quem gentilitio pertinet

iure. Porro confideres velim, quot terras populosque cognofcere, *quantum coeli*, quantum in aftronomia proficere, quam late extendere commercia queamus, *pelagus quantos aperimus in vſus*. Graue nunc quidem et periculi plenum, quod fuscepimus, opus tibi effe videri posfit: fed quum *Argo me* patriae *carae Iolco*, vrbi Theffaliae, pro tota Theffalia pofitae, olim reddiderit, perpende, quaefo, quanto tibi tum pudori effet, exantlatos a me labores audire tantum, quam alte tum fufpirares, fi, *quas* (fic enim repofui, fuadente Burmanno, pro *quam*) ego viderim gentes, tibi enarrarem. 174 — 183. Interpellat mediam orationem gloriae cupidus *rex* (filius regis: fic Medea infra faepius *regina*) Acaftus. *Sat multa*, plura, quam neceffe effet, adtulifti vel fic *parato ſequi*, quocumque voces, nec patrio magis confido regno, quam tibi; nolo domi defidere, patris mortem exfpectans, immo peto abs te, vt *primos duce te virtutis honores carpere*, prima fortitudinis documenta dare, et in tuarum, cognati, laudum communionem venire, *fraternae adcreſcere ſamae* liceat. Et, *ne cura parentis* pater nimis follicitus me inpediat, *ſallam ignarum*, clam memet fubducam, aderoque, vt primum demiffam in aquas nauim audiero.

184 — 187. Laetus ad focios *Minyas* (fic hic primum faepiusque pofthac nominantur Argonautae, a Minya, Theffalicae vrbis rege, a cuius filiabus plerique erant oriundi. ἐπεὶ Μινύαο θυγατρῶν οἱ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι ἀφ' αἵματος εὐχετόωντο ἔμμεναι. Apollon. 1, 230.) redit, nauimque vt in mare demittant, iubet monetque. Faciunt imperata, fed magna cum contentione, quam poeta ob oculos pingit praeclare. *Puppim humeris ſubeunt*, quum vero decliuis via tardius incedere cogeret, *proni decurrunt, neruis poplitum intentis* nituntur contra, ne ponderofa nauis humeris excideret, quem laborem *non ſine anhelitu* continuatum et ipfi fibi leuant *clamore*, mutua adhortatione, adclamatione, κελεύσματι, et *Orpheus blandus teſtudine*, ad lyram canens. Fufius hunc laborem defcribunt Orpheus 253 fq. et Apollonius 1, 371 - 387.

188 — 204. Tum laeti facrificant Diis marinis, prae aliis omnibus *Neptuno*, cui *caeruleis*, maris colorem imitantibus, *vittis* (cf. *Winkelmann Hiſt. des Arts T. 2. p. 187. Huber.*) redimitum *bouem*, *Thetidi iuuencam*, vt fexus magis congruat, *deiicit*, ferit, (cf. 2, 329. 6, 194. *deiectus iuuencus* Phaedr. Fab. 2, 1. 1.) *Ancaeus*, ipfius Neptuni

filius, popa, *quo non alius certior pinguia*, (macilentas enim hoftias adferre nefas habitum) craffa et firma *colla boum frangere* callebat *letifera fecuri.* Apollonius 1, 429. Ἀγκαῖος κατὰ πλατὺν αὐχένα κόψας Χαλκείῳ πελέκει, κρατεροὺς διέκερσε τένοντας — 193. Ipfe Iafon, *ter carchefia*, pocula, *libans* Neptuno, preces fundit: cf. Pindari Pyth. 4, 343. *fpumantia regna quatis*, mare tuum tridente concutis, vt fpumet, *ignofce*, fcio me inlicita tentantem dignum effe, cui *hiemem* tempeftates inmittas; fed *non ita mens tumet*, non ita ftolide audax fum, vt *montes* montibus *iungere*, vti olim Gigantes, *aut fummo depofcere fulmen Olympo*, Iouemue cogere velle fuftineam, vt Olympo cedat, fulmenque mihi permittat. — 200. *Ne Peliae te vota trahant*, noli illi contra me fauere. Non fponte veni; Pelias eft, qui mihi meisque luctuofum Colchos petendi confilium *reperit*, excogitauit. — 202. *Illum ego* — Ellipfis fere eadem, quae apud Virgil. Aen. 1, 139. *Quos ego.* — me irritum eius confilium facturum fpero. *Tu tantum non indignantibus vndis* (cf. fupra indignantem Oceanum v. 10.) *hoc caput*, me, *adcipias*, et *preffam regibus alnum*, nauem heroibus, Deorum natis, plenam, obfeffam. Regum nomine focios compellat etiam Iafon apud Orphea v. 279. βασιλεῖς, alibi ἄνακτες. — 204. *pingui libamine* oleo *cumulat flammam.*

205 — 226. In medio facrificandi actu adcedit augur Mopfus, et non admodum laeta vaticinatur. Dum ignis *in altaribus luctans* prorumpere cupiens *in extis denfis*, expugnatis carnium folidarum humoribus, *crinem*, flammularum radios (cf. 2, 42.) *protulit*, fparfit (Apollon. 1, 438. λιγνὺν πορφυρέαις ἑλίκεσσιν ἐναλσιμον ἀΐσσουσαν.) *et adfcendit falientia viscera tauri*, iamque fuperpofitas carnibus interiores partes ita adtingit, vt vi ignis furfum moueantur leniterque exfiliant; *ecce* (exfpectatio per totum locum apte intenditur) *ecce facer totusque Dei*, augur Deo plenus, ὅλος τοῦ θεοῦ, (v. Bergler ad Alciphr. 1, 13.) *per litora*, e longinquo, *Mopfus*, (iam videmus hominem) *inmanis vifu*, *vittam lauream*, (erat enim Phoebi ipfius filius, Phoebeus 3, 372. Delius facerdos 3, 432.) *comamque per auras furgentem* non mouet, fed *rotat* — quid igitur monftri adfers? eloquere. *Tandem vox reddita* edita, fed *vox horrenda viris*, vociferatur in horrorem procul ftantium; *tum facta filentia vati*, filentio imperato haec tandem profatur: 211. *Heu, quaenam adfpicio! Neptunus*

nostris conscius ausis (secundum casum frequentius adsciscit *conscius*, nec tamen Datiuum ipse Cicero respuit) *modo totum aequoreorum conuocauit concilium*, *fremere omnes* indignabundi, *hortantur legem defendere* (sic lex poli 2, 557.) iura sua tueri, institutumque primitus a natura ordinem, vt Oceano dissociabiles essent terrae. — 214. Iam vero mente commoti vatis ad Iunonem et Palladem conuertitur oratio, vt et ipsae Neptunum monere velint. *Tu, Iuno, sic, sic fratrem amplectere, tuque Pallas* ei palperis, *nunc*, *nunc patrui flecte minas*, iras. — 216. Et, me felicem! pergit, *cessere* Dii marini, *ratemque adcepere mari*, transitum per aequora permisere. Nihilo minus tamen (ita nunc futura praedicere incipit, simul vero poeta, quae deinceps in carmine persequi velit, indicat) quam multa *discrimina* video, quibus *vix me expediam: Hylam* video in Deum marinum mutatum — video *coronam harundineam* — *vrnam* — *caeruleas vestes*. Video *Pollucem vulneratum* — *tauros igniuomos* segetem e draconis dentibus surgentem pedetentim ita, vt primum *galeae*, mox *hastae* ex omnibus sulcis, *humeri* denique virorum emineant *pugnam* cum dracone ineundam video circa vellera. Et, en nouum visum! *femina, nescio quae, alatis anguibus auras secat caede madens, et ferit ense paruulos: eripe, Iason miser*, (obscurius haec effert consulto, nec aperte dicit: tuos ipsius, mi Iason, filios) *cerno en thalamos ardere iugales* Creusae. Sic igitur more epicorum in primis poetarum Valerius totius poematis oeconomiam vaticinio exposuit.

227 — 239. His igitur *ambagibus* obscuris vaticiniis et Argonautas et Iasonem *terrificauerat* Mopsus. *Sed enim* (at vero; cf. Ovid. Met. 1, 530. 11, 13.) nunc alius *contra insurgit* augur *Idmon*, *Phoebi* et ipse filius, non tamen *pallore*, quem hominibus a numine adflatis tribuunt poetae, et *horrore comarum*, vt Mopsus, terribilis, eo tamen non minus *plenus fatis*, augur futuri certus, *plenusque Phoebi*, sed *quieti*, placidioris, vaticinandi peritissimus, *seu flammas interroget* altarium (ignispicio, πυρομαντεία — ἐμπύροις σήμασι Apollon. 1, 144. cf. infra 8, 247.) *seu lubrica* tactu *exta*, (extispicio) *seu plenum certis pennis*, auibus, *aera* (auspicio). Quam placide vero, quamque breuiter hic loquitur! *Augur*, augurii omnis praeses, *Apollo*, *flammaque prima*, extremitates flammularum dura quidem praenuntiant quaedam, quae patientia tamen omnia vin-

centur. *Durate* igitur, (καρτερεῖτε) animum firmate, viri! ſpondeo vobis redeuntibus dulces parentum amplexus, quod mihi, proh dolor! non continget, qui, morte praeripiendus, caros Argos mihi denegatos eſſe praeuideo.

240 — 254. His Deorum monitis vtitur Iaſon ad ſociorum animos confirmandos. Vos quoque vires *animosque adferte paternos*, auitos, maioribus veſtris dignos. Nec adeo *Peliae pietas* in Phrixum *culpanda*, incuſanda mihi videtur, *nec ſuſpecti* in memet ipſum ſtructi *doli; Deus ipſe* Iupiter hanc a nobis ſuſcipi iubet expeditionem, *ipſe* (in) *ſuo voluit commercia mundo et tantos hominum miſcere labores.* Pulcre vero verbo *miſcere* mutuae mercium, prouentuum, laborum permutationes efferuntur. *Ite mecum, viri*, et in ipſis periculis ea *euincite*, praeſtate, quae et nos ipſos meminiſſe iuuet, *noſtrisque nepotibus inſtent*, quae vrant, vrgueant eos, et ad aemulationem excitent. v. ſupra 30. — 250. Age vero, noctem inſtantem transigamus hilariter. Paretur: inter iuuenes *molli in alga*, ad litus algoſum, *fuſos conſpicuus toris*, amplo pectore latisque humeris, *Tirynthius* Hercules. Toros vti aliis, quorum muſculoſae partes eminent, v. c. Amyco apud noſtrum 4, 245. ita in primis Herculi adſcribunt poetae. vide 2, 510. et quae congeſſit Heinſius ad Ovidii Metam. 15, 230. — *Exta miniſtri*, nam hos non defuiſſe Argonautis docet Pindarus Pyth. 4, 72. Apollonius δμῶας nominat 1, 234. 305. cet. Quamquam h. l. non expeditionis maritimae comites intellegere malim, ſed qui praeſto eſſent ex vrbe famuli. Iaſoni dum adhuc in portu eſſet, miniſtraturi. *Exta* igitur, carnes, *rapiunt veribus, Cereremque* panibus impleuere *caniſtra.*

255 — 270. Has inter epulas aduenit *Chiron*, Centaurus, celeberrimus antiquitatis Paedagogus, aliquando tamen ſeuerior noſtris, Achillem iam grandiorem verberibus probe coercens. Vide mihi Ovidium de Arte amandi 1, 11 ſq. et Iuvenalem 7, 210. Praeter Achillem diſciplinae alumnos habuit Patroclum et ipſum Iaſonem. v. infra 407. et Pindar. Pyth. 4, 180. 205. — *Summo decurrens* citato curſu *vertice* Pelii montis *aderat.* Episodion profecto pulcerrimum, adumbratum illud quidem ad Homeri Aſtyanactem Il. 6, 465. ita tamen, vt, quod imitandum ſibi Valerius propoſuiſſet, exemplari non inueniatur inferior. Eamdem ſcenam inducunt *Apollonius* 1, 553. ſed breuibus, latius *Orpheus* 375 ſq. quem, quamquam aliter rem narrat, compar. ſſe

operae pretium erit. *Chiron* igitur, *Peleo* patri abitum paranti inopinatam laetitiam adlaturus, filium *Achillem* advehit, *procul ostentat* (Virgil. Aen. 2, 674. paruumque patri tendebat Iulum) *clamantem*, quod puerorum est gaudentium. Pater ad notam vocem *erectus*, excitatus, obviam procedit, sed *ingenti passu*, *tendensque brachia*. Puer *adsilit*, caraque *diu* pendet ceruice. Puerile eiusmodi osculum venuste pingit Tibullus 2, 5, 91. 92. *natusque parenti Oscula comprensis auribus eripuit*. Propius adcedunt epulantibus, vbi nil curat puerulus *pocula valido spumantia Baccho*, nec tenetur, quibus tenera aetas magnopere alias delectatur, imagunculis, *signis*, quae poculis inseri solebant, ἐμβλήμασι, immo *stupet in ducibus* (omen futuri!) *magnumque sonantes haurit*, totus pendet ex ore eorum, cupide audit res a se gestas non tam narrantes, quam iactantes, *nec cohorret* terribili leonis rictu, quo galeae loco Hercules vtebatur, immo propius adcedit, *fert comminus ora leoni*. Quibus visis pater, gaudio exsultans, (Orpheus 445. laetitiae addit lacrumas δακρυόεν γελόων, quod tamen ab Homero sumtum Il. 6, 484.) brachiis collo filioli iniectis, *rapit* oscula oculis ad coelum conuersis: Dii, inquit, si mihi licet ventos optare *ferentes*, secundos, felicemque in patriam reditum, *hoc mihi caput*, tam praeclara minantem filium, *seruate*. Cetera tibi, amicissime Chiron, commendo, qui filio tam egregius ductor contigisti; ita instituas, vt *paruulus* adhuc *lituos et bella* loquentem te *audiat* mirabundus, vt *puer tela*, sed venatoria tantum, te magistro, discat tractare, donec *adolescens ad nostram hastam*, ad arma bellica, *festinet*. Haud poenitebit huc conferre Evandrum, filium Pallantem Aeneae fidei commendantem ap. Virgilium Aen. 8, 515 sq. quem ob oculos sine dubio habuit Valerius.

271 — 293. Argonautis *omnibus inde calor additus*, magno animo mare ingredi cupiunt, praemia laborum videntes *vellus absens* tamquam praesens *Phrixi*, *auratosque* in modum triumphi *nauis corymbos*, ornamenta navium h. l. in prora et puppi (infra arctiori sensu de sola puppis extremitate 4, 692. 8, 194.). — 274. *Sol ruit*, vergit ad occasum, mox *vndae totum deduxere diem*, Oceano conditur sol, *sparguntur litore curuo lumina*, *nondum vllis terras monstrantia nautis*, adcensa in domibus casisque ad litus habitantium, quae oculis iam quidem iucundum praeberent conspectum, nondum tamen nauigantibus,

qui tum nondum essent, lucem e longinquo praeberent, cursumque eorum dirigerent. Possis etiam de ignibus adcipere in montibus ad ligna danda adcensis, quales barbaris etiam nunc gentibus in vsu sunt. Vtramque interpretationem debeo Burmanno; prior tamen magis placet. — 277. Ad tempus fallendum *Orpheus* promit lyram, carmenque canit, a consilio poetae non alienum, de Phrixi Hellesque fatis, *vt steterit* ille *redimitus tempora vittis*, hostia destinata, (v. omnino, quae supra diximus ad v. 42.) *vt contectus* inuolutus *nubibus Nepheles* matris *effugerit*, *Inoo linquens Athamanta Learcho* patris dilecti Athamantis vsum atque consuetudinem concedere coactus fratri, ex nouerca Ino nato, Learcho, — *vt ab aureo vectore*, ariete, *miserantibus vndis*, quibus adfectus poetica ratione tribuitur, *inlatus* sit — vt Helle timidiuscula, *adstrictis cornibus* firmiter ea tenens, *consederit*. Septem iam dies totidemque noctes praeterierant, quod poetice effertur ita: *Septem Aurora vias* (nam non praenuntia tantum erat solis, sed et per totum diem ad occidentem vsque comitari iubent poetae plures, de quo vide in primis *Voss mythol. Briefe* P. 2. p. 66.) *totidemque peregerat vmbras Luna polo*. — 284. 285. Sensus est: Vrbes *Sestos* et *Abydos*, haec Asiae, illa Europae, ex alto mari prospicientibus vnam eamdemque ciuitatem conficere visae, iam *geminae*, duae ab se distantes adparere coeperunt, breui: ad fretum adcesserunt, Hellespontum postea dictum. Hic enim *Helle fratrem Aeoliden*, ab auo Aeolo Phrixum, *deserit*, *aeuum mansura per omne*, huic quippe ponto nomen in perpetuum datura, magnumque numen maris exstitura. vid. supra 50. — 288. Viuis nunc coloribus ob oculos pingit poeta labsum virginis ex ariete. Tendit quidem, quantum potest, longissime iam defatigatas manus ad *repetendum*, vnde deciderat, arietem, sed vndas trahunt *bibulae vestes*, *manusque leui*, lubrico, *labuntur auro* pelle arietis aurea. cf. 5, 188. Felicior Phrixus, qui, quamquam et ipse *rapido concitus aestu* fluctibus, natando tamen vitam seruat, sed respiciens *miserae sororis ora clamantia*, tum *extremas manus*, tandem nil nisi fluitantes *crines* videt. Elegans gradatio!

294 — 308. Bibendi tandem, confabulandi, iocandi (cf. Apollon. 1, 457 sq.) finem faciunt Argonautae, somno se daturi. Iason ad paternam visit domum, supremum parentibus vale dicturus. Excipiunt *grauis pater materque*

vigil; vtrique *ſpectant tenentque pleni oculos*, lacrumis obortis, quos tamen placido adloquio filius ſolatur. Obdormit tandem ipſe, audit vero per ſomnum *tutelam nauis* ita *inſtantem: Dodonida quercum* vides, *Chaonii Iovis famulam*, (erat autem Dodona oraculo Iovis incluta vrbs Chaoniae, regionis Epiri,) deſtinatam ad mare tecum traiiciendum, nec *fatidicis ſiluis* auellere me potuiſſet *Tritonia* Pallas, (v. ſupra 95.) niſi inter aſtra locum mihi promiſiſſet. Repoſui *Tritonia* pro *Saturnia*, praeeunte *Nodellio* Crit. Obſſ. libello, Campis 1781. edito p. 41. cui adſtipulatur Heynius ad Apollodor. p. 176. nam nauis ſtruendae curam non Iuno, ſed Minerva ſusceperat. vid. ſupra 94. 95. — Age igitur, ſic pergit, rumpe moras, nihilque time; nam etiamſi omnia, quotquot ſunt, maria nobis emetienda eſſent, licet coeli inconſtantia multas nobis hiemes immittat, nil cura, *confide ſuperis, confide mihi.*

309. Quo monito *pauens, magis tamen laetus* Iaſon, lecto proſilit *primo mane.* Primum hoc mane praeclare pingitur: *Alma nouo criſpans pelagus Tithonia Phoebo*, h. e. *alma*, benefica Aurora, *Tithoni* coniux, ſub orientem ſolem, *nouo Phoebo criſpat*, leui horrore perſtringit *mare*, exaſperat, tremulam ſuperficiem reddit. Rutil. Itiner. 2, 13. *adridet placidum radiis* (ſolis) *criſpantibus aequor.* — 312. Videt Iaſon ſocios admodum induſtrios: *discurrunt, cornua* antennas (brachia ſupra 126.) *in ſummo malo expediunt*, alii *tonſas* remos *in marmore ſummo*, ſuperficie maris, *praetentant*, in antecelſum remigando ſe exercent, *Argus funem* ancorae *ab alta prora legit*, in orbem colligit, glomerat. Hos varios labores vide etiam apud Orphea 27, ſq. et Virgil. Aen. 5, 762 ſq.

315. *Matres gemunt, corda adeo patrum fortiora languent*, emolleſcunt: vix a mutuis amplexibus auelli posſunt. — 317. *Planctu* tamen Iaſonis mater Alcimede ac *furore* et *vlulatu* tantum ſuperat reliquas matres, *quantum tuba Martia* bellica *buxum* tibiam. *Planctum* v. 317. non vitupero, ſed v. 318. 319. non deſideraueris, ſi abeſſent: Alcimeden enim nimis dolentem nimisque vociferantem ſiſtunt. Quanto magis placet, quae ſequitur, adfectus veri plena oratio: — 320. *Nate*, nihil merueras, vt hos tales labores per maria ſubires, ſed fata volunt, *vt diuidamur; nec ad hos animum componere caſus ante datum*, ad alia omnia, quam quae nunc inſtant, timenda animum poteram praeparare, *timebam tibi quidem bella terrasque* bella

terrestria. — 323. *Vota iam aliis*, marinis nempe, *facienda Diis*, quos si tibi fauere persuasum mihi possim habere, vitam diutius, etsi timoris et sollicitudinis plenam, tolerauerim. — 326. *Sin aliud Fortuna parat; miserere parentum, mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor.* Haec paullo obscuriora. Nonnulli codices post *parentum* incisum tollunt, probante Heinsio, imperatiuum *miserere* igitur iungunt morti: *miserere, o mors, quae bona es* — quod ego quidem concoquere non possum. Quid? si *miserere* trahas ad Fortunam: Sin aliud Fortuna *paras*, miserere parentum; noli saltem ad nostras aures peruenire mortem nostrorum, nam *mors bona* est, *dum metus est.* Haec ipsa sententia Seneca aliquo digna ob breuitatem argutiorque quam pro adfectu loquentis videtur, nec alium sensum exsculpo, nisi hunc: *Mors, dum metus est*, quamdiu eorum, quos caros habemus, metuimus mortem, hoc saltem ea boni habet, vt tamen liceat sperare; si adcidisse reuera nuntiatur, tum nihil nisi dolor restat, vel, vt cum Ovidio loquar Metam. 14, 488. *dum peiora timentur, Est in vota locus: sors autem vbi pessima rerum, sub pedibus timor est, securaque summa malorum.* — 330. *quoties raucos ad litoris ictus*, fluctus litora *nostra* verberantes *deficiam*, sollicita ero, toties multoque magis *Scythicum et mare et coelum* metuam. Quae quum ita inclementia esse soleant, quidni, etsi serenitas in Thessalia nostra summa sit, tibi tamen *ingrata*, malum aliquod tibi eo ipso tempore adcidere fortasse credam posse? — 333. *Da precor amplexus*, non excident animo vltima vale mihi dicentis verba, et dulci *iam nunc*, vbi potes, *preme lumina dextra.*

335 — 349. Vale filio dicit etiam *Aeson*, fortior tamen, non muliebriter querulus, sed gaudens, quod Iasoni suo rerum egregie gerendarum occasionem dederint Dii, sed sperans, fore, vt iisdem Diis auxiliantibus peragat iussa. Quod senes amant, temporis acti rerumque a se gestarum laudatores, idem facit Aeson. — 336. *O si mihi sanguis* (sanguis integer aeui Virgil. Aen. 2, 638.) vigor esset ille, *qualis* erat, *quum signifero* caelato *cratere minantem Pholum*, Centaurum bibacissimum, (vnde *sitiens* audit Iuvenali Sat. 12. 45.) *manus haec* (δεικτικῶς) *alio non leuiore*, non minoris ponderis, *auro*, cratere aureo *compesceret* atque conficeret, primus profecto essem, qui nauim tecum conscenderet. — 341. Sed audiuere Dii preces pro filio fusas: video *tot reges*, egregios duces, heroas, horumque ducem

te: — *tales*, *tales* et ego olim vel duxi, vel fequntus fum — nunc *ille*, *ille* dies *fuper* (eft,) nihil mihi optandum amplius, quam vt *fplendente in humeris vellere* excipiam filium, qui patrem ipfum virtute fuperauerit. — 348. Tandem discedendum: in quo tamen et ipfo poeta muliebrem mollitiem mafculamque grauitatem feruat. *Matrem conlabantem* vix poteft fuftinere Iafon, *pater* nil nifi filium *amplectitur*.

350 — 386. *His* aliorumque *amplexibus Zephyrum ratemque*, nauem, cui nunc fauebant venti, *morantibus*, facientibus, vt auris fecundis vti neglegerent, finem impofuit *fignum tuba tertia* vice *datum*. Argonautae, quorum cuique tranftrum adfignatum peculiare, confident. Primum ordinem ducit ex finiftra parte TELAMON; alterum dextrum, *aliud mare altior* procerior *Alcides* HERCVLES. Cetera pubes ita distribuitur: Poft Telamonem ex ordine fedent I. 355. ASTERION, *quem Cometa pater criftatus matre cadentem gemino amne fouit, fegnior Apidani vires vbi fentit Enipeus.* Obfcuriora haec lucem adcipiunt ex Apollonio 1, 35. 55. quem fequutus eft Valerius. Afterion nempe patrem habuit Cometen *criftatum*, quo fortaffe ad Cometam, ftellam crinitam, adludit non tam Valerius, quam fciolus aliquis librarius: nam Apollonius itemque Orpheus 161. pro eo habent *Pirefium*, ab vrbe Magnefiae Pirefia, (v. Steph. Byzant. voc. Pirafia) qui filium *matre cadentem* natum (cf. Claudian. in Rufinum 92.) *fouit* educauit, *vbi Enipeo fegniori*, lenius, placidius defluenti fefe inmittit *Apidani vis* rapidior. — II. 358. *Nititur hinc*, poft hunc remos contentis viribus agit TALAVS, ita, *vt fratris terga vrgueat*, III. LEODOCVS, vtrique Argivi. — IV. Eamdem patriam habuit IDMON, qui *nec augurio*, quod mortem praenuntiaret, (v. fupra 239.) *detentus* adfuit, nam *turpe viro timuiffe futura.* — V. 362. Porro *confurgit in vndas tortas* (vide, quam fcite orationem variet poeta) IPHITVS, *Naubolides*, vel a patre Naubolo, vel a patria Phocide, quam et Naubolen dictam fuiffe docet Paufanias 10, 33. — Deinceps *frangit aequor patrium*, Neptuni quippe filius, VI. 363. EVPHEMVS, *qui tenet vndifonam Pfamathen*, fontem ad Thebas, *Taenaronque*, promontorium et vrbem Laconicae, *femper patentem*, quoniam ibi antrum ita profundum, vt aditus crederetur ad inferos. — VII. VIII. 365. DEVCALION cum fratre AMPHIONE, *molli a litore*, leniter diclivi *Pellae*, non Mace-

doniae vrbis, quae paullulum diſtabat a mari, ſed, quaè a conditore Pella nomen habebat, Arcadia Pallene. vid. Burmann. in Catal. Argonautar. v. Amphion. Alia diffi- cultas eſt in Deucalione, quem ſolus habet Noſter, cuius loco Amphioni fratrem dant et Orpheus et Apollonius Aſterium, non confundendum cum Aſterione, ſupra n. 1. memorato. Quidquid ſit, vtrique erant *et fortes*, Deuca- lion *iaculo certior*, Amphion *comminus enſe* nobilior, *et gemelli, pariter quos edidit Hypſo*, ita ſimiles vultu, vt dignoſci inuicem non poſſent, *nec potuit* (mater) *ſimiles voluitue ediſcere vultus:* noluiſſet, etiamſi potuiſſet, ne forte alterum altero magis amare videretur. Similiter de Caſtore et Polluce Claudianus de Conſ. Honorii 209. *iuuat ipſe Tonantem error, et ambiguae placet igno- rantia matri.* Virgil. Aen. 10. 392. de gemellis: *gra- tus parentibus error.* Cf. Ruperti ad Sil. , 636 ſq. — IX. X. 369. Aliud fratrum par: CLYMENVS (Apollonio 1, 86. Clytius) *percutiens remo pectus*, et IPHICLVS, *puppim trahens.* — XI. 372. NAVPLIVS, famoſior bello Troiano factus, quo tendit poeta: *face ſaeua in tua mox Danaos acturus ſaxa, Caphareu.* Nam quum filii Palamedis, ab Vlyſſe fraudulenter interemti, necem vlturus ignem in Caphareo, Euboeae promontorio, ad- cendiſſet, Graecos a Troia redeuntes in errorem induxit, vt ibi adpellerent, et naufragium facerent. — XII. 372. OILEVS, pater Aiacis, diſtinguendi ab altero eiusdem no- minis, Telamonis filio, *qui tortum non ab Ioue fulmen gemet*, quod itidem ſpectat ad belli tempora Troiani. Oileo enim deploranda fuit mors filii Aiacis, qui, quum Troia capta Caſſandrae, virgini regiae eidemque vati, in ipſo Pal- ladis templo vim intuliſſet, ad hoc flagitium vindicandum in Euboico mari dira tempeſtate eſt obpreſſus, *et torto non ab Ioue fulmine:* a quo igitur? nam in eo non conſentiunt poetae. Nihil quidem definit Valerius, ſine dubio tamen Virgilium Aen. 2, 42. 55. ſequutus, Minervam in animo habuit. — 373. *nato ſtridente per vndas.* Haerent etiam interpretes in *ſtridente.* Alii de gemente Aiace ipſo, alii de fulmine, quo feriretur, alii de vulnere ſtridorem emit- tente intellegunt. Hoc vltimum placet Burmanno, cui et ego adcedo. cf. inf. 3, 278. — XIII. et XIV. 375. CEPHEVS et AMPHIDAMAS, fratres, quorum ille Herculem *Ery- manthei ſudantem pondere monſtri*, aprum Erymanthium totum eumque adhuc viuum (v. Apollon. 1, 125. 129. et

Diodor. Sic. 4, 12.) humeris portantem domi ſuae in Arcadiae vrbe *Tegea* hoſpitio exceperat. De Amphidamante nil habet, quod narret, Valerius, alium vero vtriusque fratrem non nominat, ſed circumſcribit, (Lycurgo ei nomen fuiſſe ex Apollonio I, 164. diſcimus) qui *plenior annis*, non aetate prouectior, ſed *natu maior*, Apollon. l. l. προγενέστερος; nam non ob ingraueſcentem aetatem domi manſit, ſed vt parentem, Aleum ſenio confectum foueret. Suo tamen loco miſit filium XV. 377. ANCAEVM, quem patruis commendauit, vt glorioſae expeditionis comitem adſciſcerent. — XVI. 378. EVRYTION, diſtinguendus omnino ab Euryto, qui infra obcurrit v. 439. et alibi. Noſtri Eurytionis non niſi hoc loco mentio fit. Fuit autem *tectus colla ſeruato capillo*, comam aluit, *quem pater Aonius*, Boeoticus, *reducem tondebit ad aras*, ex voto, ait Burmannus, vt aleret, donec ſaluus rediret: ego vero malim explicare de ſacerdote deſtinato, quod *arae* videntur ſuadere. — XVII. 380. NESTOR, quem Troiano bello adceſſurum ſiſtit poeta: *Mycenaeis*, Argivis, Graecis, *olim qui candida velis aequora*, tantam nauium multitudinem, vt prae candidis velis aquae conſpici non poſſint, *nec ſtantes* longo ordine *mirabere* adſtupeſcens conſiderabis *mille magiſtros*, rem quippe nauticam dudum expertus, et egregiorum comes Argonautarum. — XVIII. 383. MOPSVS, Phoebi filius, *nec vana fides parentis*, qui ſpem patris augur non fefellit, quem ſacerdotali exornat poeta veſte, *palla alba ad imos pedes*, talari, ita tamen, vt militem etiam quodammodo prodant *caſſis*, galea, *conus*, cum criſta, cuius ſummitati adnexa erat *laurus Peneia*, a Peneo, Theſſaliae fluuio, quem laureta circumdederunt, ex quo Daphne ibi eſſet in laurum mutata, quae et ipſa *Peneia* audit Ovidio Metam. 1, 452.

387 -- 461. Progrediamur nunc ad alterum nauis latus, vbi ordines ducit Hercules. — XIX. TYDEVS, quem hic ſine honore dimiſſum, infra contra Cyzicenos fortiter pugnantem videbimus. — XX. 388. PERICLYMENVS *Nelides*, Nelei, Pyli regis, filius, Neſtorisque frater, qui Pylii nomine eam ob cauſam apud Homerum vbique obuius eſt. Tres autem ſunt vrbes Pyli, Eliaca, Triphyliaca et Meſſenia, ab vno eodemque conditore denominatae, quarum quaeque Neſtora ſibi vindicauit. Periclymenus igitur, eiusdem familiae, dominus et ipſe fuit nonnullarum illius ditionis vrbium, e quibus tres Valerio

memorantur, *Methone*, oppidum Messeniae, *Elis* et regio et vrbs, in cuius vicinia ludis posthac celeberrima Olympia, quo fortasse adludit *leuis Elis equis*, agitandis equis apta, (ingratum trium in *is* desinentium vocum concursum tollere possis, si cum Santenio ad Propert. p. 928. scribas: *Diues et Elis equis.*) et *Aulon* (Plinio 4, 5. *Aulona*) *fluctibus obuius*, cuius moenia mari adluerentur. Nihil igitur aliud voluisse videtur poeta, quam Periclymenum per totam viciniam inclaruisse, metuendumque fuisse *caestibus*, quibus *aduersos* (aduersariorum) *vultus frangere* calleret, de quo barbaro inmanique pugnae genere plura ad Lib. 4, 113 sq. disserendi dabitur locus. — XXI. 391. PHILOCTETES, *Paeantis* filius, *bis Lemnum visurus*, nunc inter Argonautas, v. 2, 79 sq. posthac bello Troiano, vbi a Graecis ob foetorem vlceris in pede oborti relictus, vitam in ista insula traduxit aegerrime, *nunc cuspide patris*, lancea ex hereditate patris adcepta *insignis*, *Herculeas olim moture* vibrature *sagittas*. Moribundus enim in Oeta monte heros sagittas, Lernaeo sanguine venenatas, amico tradiderat, vsumque earum edocuerat. Has itaque secum tulit ad Troiam, in Lemno tamen retinuit, donec Vlysses, quoniam vrbs illa sine istis telis expugnari non poterat, dolo easdem eliceret. Consule, vt alios taceam, Homerum, et Sophoclis tragoediam huius nominis pulcerrimam. — XXII. 394. BVTES ab *Actaeis oris*, ex Attica, *diues* mellificio, *innumeras nam claudit*, alit aluearibus inclusas *apes*, *longaque superbus*, sibi ipse plaudens, *fuscat nube diem*, (pulcre homini adscribitur, quod apum est) fuscat ipse *longa* nube diem longis examinibus, solem ipsum obtenebrantibus — *dum plenas nectare cellas pandit*, eximit fauos, et *in dulcem*, apibus gratum ob florum copiam *Hymettum*, montem prope Athenas *reges* (*Weisel*) *emittit.* — XXIII. 398. PHALERVS. *Casus tuos expressa geris arma*, clypeum; in clypeis enim fata gentilitia adpingere solebant. Ad Graecam rationem haec dicta, quam amat omnino Noster, pro armis, in quibus casus tui expressi sunt. Sic paullo ante v. 385. *vittata frontem cassis;* sic paullo post v. 402. *caelata metus alios arma;* sic v. 410. *inmissus patrios de vertice crines;* sic libro 2, 655. *pocula bellorum casus expressa recentum;* sic Virgilius Ecl. 3, 106. *inscripti nomina regum nascuntur flores.* Liberalior fui adferendis exemplis, vt breuior essem aliis locis. Qui vero *casus illi* fuerint, nunc exponitur. Puerulum Phalerum anguis ab

arbore vacua (solitaria? sed mallem *caua* vel *patula*) labsus circumuenit, spiris suis inuoluere minatur, quo viso anxius pater Alcon) v. Anthol. Gr. Vol. 2. p. 152. ed. Lips. et Iacobs Animadv. Vol. 2. P. 2. p. 38. et qui ibi laudantur) stat procul dubiusque, an arcum intendat. *Intendens dubium arcum* ait poeta, arcui tribuens, quod hominis est, qui intendit. Sic *dubiae alae* 4, 527. — XXIV. 402. ERIBOTES. Orpheus et Apollodorus ignorant hominem. Apollonius 1, 73. habet, sed et hic non magis, quam Valerius adfert, quo caelati in clypeo *metus* inlustrentur. Sine dubio terribilis quaedam imago in orbe scuti fuit expressa. — XXV. 403. PELEVS, *fretus soceris*, Nereo et Doride, et coniuge diua, Thetide, *Aeacides*, Aeaci filius, cuius *hastam* poeta dicit tantum *splenduisse* prae ceteris, quantum arbor, e qua excisa esset, reliquas Peliaci montis arbores proceritate superauerit. — XXVI. 407. *Actorides* MENOETIVS, qui natum, Patroclum, Chironis disciplinae tradiderat, vt cum Achille iam tum amicissimo lyra disceret canere, hastam vibrare, et *in ipso magistro placido*, non inuito, *equitare*. — XXVII. 412. PHLEIAS, *quem fama genus*, filium esse, *non est decepta Lyaei* Bacchi: nam non minus bene comatus, quam pater (intonsus) *immissus patrios de vertice crines*. — XXVIII. 413. ANCAEVS. Hunc mater, Astypalaea, eo confidentius commisit ponto, quod ex Neptuno eum conceperat, *plena rege maris*. Alius Neptuni filius, ideoque aeque securus Argonautis comitem se dederat, nempe XXIX. 415. ERGINVS, qui maris insidias, astra, ventique flatus cuiusque, *e clausis quem destinet Aeolus antris*, tam probe nouerat, vt, si quando Tiphys ab astris obseruandis lassatus esset, huic tuto vices suas permitteret. — XXX. 420. *Lacon*, i. e. POLLVX. *Taurea terga*, non tota, sed lora tantum e corio bubulo (caestus) *plumbo caelata*, quae quamquam Burmannus, an quis vmquam dixerit, dubitat, ego tamen retinuerim, intellexerimque de globulis plumbeis prominentibus, quibus caestus erant distincti. Sic *caelata velamina* 5, 7. non alia possunt esse, quam quorum superficies non loris, sed figuris acu pictis aspera est. Hos vero caestus in vsus seruat futuros, nunc *in vacuos* tantum vibrat *ventos*, vt *Pagaseia* Thessalica (ab portu et promontorio Pagasis) *puppis*, Argo spectaret *Oebalium* Spartanum (ab Oebalia, Laconiae oppido) *alumnum*, adolescentem, inde a iuuentute patrio more luctae (*Oebaliae arti* 4, 372.)

adſuefactum, et magna adſtante miranteque multitudine (*celebrantem*) in litore *ludum*, animi tantum cauſa, *ſecurum*, innoxium, non ſerio caeſtum vibrantem. Huic iungitur perpetuus comes, gemellus frater XXXI. 424. CASTOR. Vti frater pugil, ita ipſe eques egregius. (Homer. Il. 3, 237. et qui hunc exſcripſit, Pſeudo-Orpheus 945. Κάστορα δ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Horat. Od. 1, 12, 35. *hic equis gaudere, ille ſuperare pugnis nobilis.* cf. eumdem Sat. 2, 1, 26.) *ora* equorum *Theſſalico freno contundere* compeſcere *melior*, quum *vectorem pavidae quaereret Helles*, ad vellus arietis aureum repetendum, Argonautis comitem ſe adiungeret, *Cyllarum*, equum ſuum, (de quo vide Virgilium Ge. 3, 90. Statium Theb. 6, 337. et *Hermann mythol. Handbuch* 2. p. 144.) quod nulla eius in mari vtilitas eſſet, *herba* interea *Amyclea* (Laconica, vbi vrbs Amyclae) *pingueſcere* paſſus eſt. — 427. Hoc tam nobile par fratrum egregiis etiam veſtibus exornare placuit poetae: *Illis pariter*, vtrisque *fuco* ſuco muricis *Taenario*, (Laconico, cf. infra 5, 513. et Horat. Od. 2, 18, 7. 8.) *tremit* per humeros volitat *ignea*, ardens, viuidi coloris *purpurea veſtis*, *opus ſpectabile*, viſu mirabile, quod *mater*, Leda, *tela gemina*, bis, eaque ſimillima *duxerat*, (verbum ſolemne de feminis fila trahentibus) bis agri Spartani amoenitates, *Taygeton* montem, *ſiluasque in eo comantes ſtruxerat* (videmus proceritatem arborum) bis *Eurotam* fluuium *fuderat* (vide lenem deflexum) *auro molli*, in filo extenuato. (Sic Ovid. Met. 6, 68. *lentum filis inmittitur aurum.*) Vterque equo albo, *niueo de flamine* vehitur, Cyllaro Caſtor, Xantho Pollux, vterque in pectore (thorace) geſtat *cycnum* (*volat cycnus*) cuius ſpecie adſumta in gratiam Ledes ſeſe inſinuauerat Iupiter. — Locus elegantiſſimus, in quo nec Ledae acum, nec poetae elocutionem deſideraueris artifices, ita aptiſſime verba delecta, ita ad naturam omnia expreſſa ſunt. — XXXII. 433. MELEAGER. Hic alio corporis habitu ob oculos pingitur. *At tibi conlectas ſoluit iam fibula veſtes*, fibulam ſoluis pallii ad remum commodius ducendum, *oſtenditque* (melius tamen *oſtendisque*) humeros fortes, *ſpatium pectoris ſuperbi Herculeis aequum* de quo non minus gaudebas, quam Hercules lacertis. XXXIII – XXXV. 436. Tres Mercurii filii, *proles Cyllenia*, *numeroſa phalanx*, AETHALIDES, EVRYTVS, ECHION. Et *Aethalides* quidem *ſubitas neruo redeunte ſagittas cogere*, quod obſcurius

elatum ita ego intellego: vix emiserat sagittam, quum neruum remissum denuo statim adtraheret, aliamque subito inpositam conlinearet, atque emitteret. — *Eurytus*, gladio magis fortis, quam sagitta — *Echion* denique, qui, quam Diis pater Mercurius, eamdem Argonautis filius operam praestaret: saepius enim infra habebimus vel praeconem, vel legatum, qui mandata ad reges perferret. — XXXVI. 441. IPHIS, *non rediturus*, cecidit enim in pugna adversus Scythas 7, 433. *dolebit* vero desiderabitque celerem, strenuumque in remigando, *cessantem* (vacuum) *lugebit remum* Argo. — XXXVII. 444. ADMETVS, rex Pherarum, Thessaliae vrbis. Totus locus ita cohaeret: *Delius* Apollo ob *Steropen* Cyclopem *arcu ingrato* (Iovi nempe, Iove indignante, nisi malis cum Broukhusio ad Tibull. 2, 3. 17. *irato*) confossum Olympo ad aliquod tempus ab Iove exclusus, et Admeto pastor datus est; (in quo Valerius sequitur Euripidem in Alcestidis Prologo, et v. 568 sq. nam alii aliter narrant) a quo liberaliter habitus, ad gratiam rependendam boues ita fecit fecundas, vt gemellos parerent omnes. Iam omnia ad intellegendum facilia: *tanto pastore* Apolline, *felices campi*, res pecuaria, *pendens*, luens, dans poenas *Delius* cet. Hanc fratris sortem inducit poeta dolentem *Dianam*: Ah quoties *obuia famulo* Admeti *fleuit*, vel sub arboribus *Ossae*, montis in Thessalia, sese refrigeranti, vel egregiam alioqnin comam, proh dolor! *miseros crines* iam *Boebeide*, lacu Thessaliae, (Βοιβηὶς λίμνη Orph. 164.) *perdenti*, deturpanti: vide paullo post v. 467. — Sic etiam *conrumpere*. v. c. *lacrumis ocellos* Ovid. Amor. 3, 6. 47. Sequitur XXXVIII. 450. CANTHVS, *insurgens transtris et remo Nerea* (mare) *versans*, casurus in proelio ad vrbem Aeam. (6, 317 sq.) *Interea*, dum remigat, pone eum iacet *clari decus orbis*, affabre factus clypeus, ab *Abante* patre olim *gestatus*, in cuius *tegmine aureo*, lamina aurata, exhibitus erat *Euripus Chalcidicus*, nobile illud fretum Euboeam inter et Boeotiam, et *Neptunus* ab *Geraesto*, quod Euboeae promontorium Neptuno sacrum erat, *ostrifero*, vbi magna conchyliorum copia, *celsa frena*, in curru sublimi stans, *semiferorum luporum*, belluarum marinarum lupinis capitibus *contorquens*, magna vi, robusta manu moderans. Plerumque et a poetis et ab artificibus priscis Neptuni currui iunguntur duo vel quatuor equi, iique equinis capitibus; lapidem tamen vetustum Romae se olim vidisse testatur *Pius*, Valerii nostri

editor, qui capita praeferret lupina. Quo terrarum abierit ista gemma, equidem nescio; *Lippertus* saltem non habet, aliorumque, in quibus antiqua artis monimenta repraesentantur, librorum curta mihi supellex est. XXXIX. 457. POLYPHEMVS, alius ab famoso illo eiusdem nominis Cyclope. Nostro destinatum fuit fato, haec enim narrat poeta, vt in patriam eo ipso rediret tempore, quo famuli, diu eius aduentum praestolati, in eo essent, vt patrem, Elatem, rogo compositum concremarent. XL. 460. IDAS. Vltimum ordine transtrum obcupat, ideoque non tam longe protendere potest remum, quam in medio conlocati. *breviore remo mare mouet*, eodem sensu, quo Lib. 5, 415. *breuior rota* tribuitur Lunae, quae interiorem quam Sol in coelo orbem circumscribit.

461 – 491. Sic ennumeratis ad remum sedentibus Argonautis, addit Valerius eos, quibus alii demandati essent labores, et primo quidem XLI. 462. LYNCEVM, proxime praecedentis Idae fratrem (Apharei et) *Areuae* filium, eumque tam acuti visus, vt *rumpere* penetrare *terras*, vt *deprehendere Styga tacitam* (ornans h. l. epitheton) nihil vt et ibi acumen eius effugeret, vt *fluctibus e mediis terras dare*, terram continentem portusque monstrare *magistro*, vt *astra dare rati*, indicare situm astrorum, ad quem nauis cursum dirigeret — vt, quamquam *aethera Iupiter vmbra perdiderit*, serenitatem abstulerit, coelumque nubibus obduxerit; (*perdiderit* contra *Heinsium*, qui emendandi omnino cupidior iusto est, recte defendunt *Burmannus* et *Wakefield* Sylv. crit. P. 5. p. 9. cuius ex Homero Odyss. 13, 399. adlatum ὀλέσω τρίχας, *canitie adspergam*, mirifice placuit. Neutrum tamen miror meminisse ipsius nostri, qui paullo ante v. 451. eodem *deformandi* sensu τὸ *perdere* adhibuerat.) *solus* tamen omnium has nubes posset prospicere. — Porro *vacat* a remigio immunis *Cecropiae* Atticae *proles Orithyiae*, filii duo, XLII. et XLIII. 468. ZETES, *fraterque* (CALAIS) quibus iniunctum erat hoc, *vt tremulos temperarent ceruchos*, h. e. vti recte post Pium explicat Burmannus, scanderent malum, antennas et vela curarent. — Nec *Odrysius* (Thrax) ORPHEVS XLIV. 470. *transtris inpenditur*, bene delectum verbum, longe praestantior existimatus, quam cui vile remigandi munus demandaretur, sed *carmine tonsas ire docet*, mensuram lyra dat κελευστής, vt eodem omnes tenore remos ducerent Apollon. 1, 540. ὑπ' Ὀρφῆος κιθάρῃ πέπληγον

C 2

ἐρετμοῖς Πόντου λάβρον ὕδωρ, *ne ſummo in gurgite pugnent*, inter ſe conliderentur. cf. *Böttiger Archaeolog. Muſeum Heft* 1. S. 74. *Donat*, remittit etiam Iaſon iuueniles labores XLV. 473. IPHICLO, ex *Phylace*, Theſſaliae vrbe, oriundo, aetate admodum prouecto, vtilem tamen operam praeſtanti eo, quod monitis regeret iuniores, *maiorumque laudibus* ad imitandum propoſitis *vreret*, inflammaret, ſtimulosque iis adderet. — XLVI. 477. ARGO, quem ipſi Palladi adceptum referebant Argonautae, *ſors erat*, hoc fuit demandatum, vt curam gereret totius nauis, vt ne quam forte traheret aquam, rimasque, ſi quae hiaſſent, pice vel molli cera *conduceret*, exquiſite, ſeruato vocis etymo. — XLVII. 481. TIPHYS, *Hagniades*, Hagnii filius, *peruigil pendebat* adtentus obſeruator (*adfixus coelo* Sil. Ital. 7, 362.) *Arcadio ab aſtro* Boote. *Arcadium aſtrum* ideo, quod, dum homo eſſet, Arcadis nomen geſſerat. Erat autem Lycaonis ſceleſti illius filius, qui Iovi ad ſe deuertenti hunc ipſum filium in fruſta conciſum edendum adpoſuerat; Iupiter autem innocentis pueruli miſericordia ductus inter ſidera retulit. *Felix* Tiphys, vtilis nautis, laudeque dignus, quod primus docuit *vſum ſtellarum ſegnium*, tardius ſeſe mouentium, nec tam cito, vti aliae occidentium, vnde *tardi*, *pigri* nominantur poetis. — Tandem XLVIII. 485. ACASTVS, decepto, vti promiſerat, patre, breuiore *per obliquum montem* via aduolat, *horrendus iaculis*, *parmaeque*, clypei politi, *ſplendore coruſcans*. Cuius aduentu laetatus, dolisque gaudens ſuis Iaſon *ardenti ferro*, i. e. ſtatim *retinacula ſolui* iuſſit, haud ſecus ac *venator*, qui *teneras compreſſus pectore tigres*, quem onus premit raptorum tigridi catulorum, de quo Graeco idiomate v. ſupra ad v. 398. *quas aſtu pauido*, aſtute quidem nec tamen ſine metu *rapuit*, *dominoque timentem* (pulcre!) *vrguet* incitat *equum*, domum auehere properat, priusquam *mater ſaeua* ex *Amano* Ciliciae *monte*, erat enim his aliisque feris frequens illa regio, *recurrens* inſequatur.

His ita a Valerio enumeratis Argonautis ſi addas HERCVLEM et TELAMONEM, qui ordines ducerent, habebis QVINQVAGINTA numero. Adde ipſum IASONEM, et, ſi vis, qui poſtea temporis ad Thermodontem in vrbe Sinope adceſſerunt 5, 115. AVTOLYCVM, PHLOGIVM et DEILEONTA, tum LIV. numerabis. Eumdem numerum, non eosdem tamen homines habent *Apollonius* et *Diodor.*

Sic. 4, 41. — *Orpheus* 50. — Apollodorus 45. quos inter ſe comparare noſtrum nunc non eſt. Vide omnino *Bachet de Meziriac Commentaires ſur les Epitres d'Ovide* T. 2. p. 82. *Heynium ad Apollodor.* p. 177. *Burmanni Catalogum Argonautar.* Valerio eius praefixum, *Krauſii* Apollonii Rhodii Catalogum Argon. Hal. 1798. cet.

494—497. Vt *pariter*, aequali remorum ictu per fluctus agitur nauis, ſtant in litore matres, oculisque abeuntes proſequuntur, aliquamdiu cernunt adhuc *clara* candida *vela, percuſſaque ſole* radiantia *ſcuta, donec iam celſior arbore,* naui vel adeo malo *pontus.* Pulcre profecto et ad naturam adcommodate: quo longius enim per mare deuexum nauis progreditur, eo magis pontus ad litus ſtantibus altitudine creſcere videtur.

498. Proſpicit ex Olympo Iupiter, laetaturque Graecis tam arduam, tamque vtilem generi humano expeditionem ſuscipientibus, *non* enim *probat otia patrii* Saturnii, *regni.* Vna *gaudent ſuperi* de laetis, *quae mundo ventura* ſint, temporibus, *Parcaeque, quae vias ſibi creſcere cernunt,* longe plura, quae hominibus deſtinent, fatorum genera vident. Imitatus fortaſſe Valerium eſt Iscanus de bello Troiano 1, 185. itidem de Argo naui loquens: *Atropon auxit.*

503—527. Solus dolet *Sol, non intrepidus,* maxime ſollicitus *de filio Scythico,* Aeeta rege Colchorum. Ad Iovem igitur adcedens, quam bene meritus ſit ab initio rerum, mereaturque quotidie (eodem fere modo, quo poſt Phaethontis caſum apud Ovid. Metam. 2, 381 ſq.) exponit. *Tibi noſtra dies, voluentibus* (ſe) *annis, tot peragit* transigit, emetitur *reficitque vices,* is ego ſum, qui tot totius anni diebus faciam, vt, quae in mundo tuo peragantur, perſpicere poſſis — tu vero *Graecos* iam non foues tantum, ſed adeo *ducis* — liceat et mihi *meritos,* non iniuſtos, quos tacitus diu mecum continui, *queſtus rumpere.* Iam diu tale quid *metuens* atque praeſagiens, et ne qua *foret manus inuida nato,* ne inuidiae aliorum Deorum exponerem, non in medio terrarum orbe, nec in *inprobis,* fertiliſſimis (nam *inprobum,* poetis in primis, omne nimium eſt, modum excedens, copia abundans cet. cf. 2, 651. *inproba arua*) *diuitis plagae aruis — Teneant,* nec inuideo, *teneant vberiora Teucer* (Troiani) *et Libys,* (Afer, Africa, in primis Aegyptus) *et veſtri Pelopis domus,* (Peloponneſus) ego *filio legi* elegi, adſignaui *campos ſaeuo gelu*

pressos (quos malus Iupiter vrguet Horat. Od. 1, 22, 20.) *strictosque* (glacie) *amnes.* (v. 513. pro *premiS* malim *premiT*, vt referatur ad praecedentem *plagam.*) — 514. *His* adeo *cederet filius*, et vlterius sese reciperet, sed ne posset quidem: nam *zona nube rigens*, perpetuis nebulis inuoluta, *nescia rerum*, quae in reliquis orbis terrarum partibus gerantur, ab omnibus tam longe secreta hominibus, et ad vltimos terrarum terminos repressa, vt *nostros reuerberet ignes*, vt ipsi radii mei, ab ea repercussi, ad me redeant. (Ad τὸ *reuerberare* cf. si placet Ovid. Met. 4, 349. *obposita speculi* referitur *imagine Phoebus.*) — 517. Non video, *quid Phasis barbarus*, quem homines inculti adcolunt, aliis quibuscumque amnibus, quid *proles mea* filius meus *auersis* longe remotis *gentibus obsiet*, inpedimento sit. Quid *Argonautae queri meruere*, quam caussam iustam adferre posse putant? v. paullo ante 08. *Non vi potitus* est vellere aureo Acetes, immo Phrixo auxilium petitum denegauit, *nec ad Inoas aras venit vltor*, noluit vltionem sumere ab Ino nouerca, quae inmolare eum voluerat, quum filia potius partem aliquam regni concessit, *videtque e Graia nunc stirpe nepotes, et generos* (latiori sensu pro adfinibus, nec desunt exempla, vbi pro *maritorum sororibus* generi ponuntur. v. Gesneri Thes. h. v.) *vocat et iunctas sibi sanguine terras.* — 525. *Flecte*, retro igitur verte *ratem, flecte motus*, vim reprime, quam filio inferre volunt Graeci, nec *vulnere nostro*, in dolorem, detrimentum nostrum *aequora pande* aperias *viris.* — 527. *Veteris sat conscia luctus silua Padi, et viso flentes genitore sorores.* Iam olim mihi doloris auctor fuisti acerbissimi, cuius testes sunt *et Padus* (Eridanus) in quem filium Phaethontem fulmine deieceras, et sorores (Heliades, Naiades) *viso genitore*, viso meo, patris, dolore *plorantes.*

528—530. His Solis precibus, satis placidis et molli adfectu plenis, suas addit *bellipotens* Mars, sed vehemens, vt semper, atque incitatus. *Adfremit, quassatque caput, qui vellera dono sibi fixa videt, tentataque.* Editiones *tentataque* sequentibus adiungunt sic: *tentataque contra Pallas* cet. Sed verissime Burmannus ad Martem refert, nec aliter fieri potest. Quid enim? Vellera videt Mars *fixa?* At *fixa* iam diu viderat: iam vero eadem videt *tentata*, de iis auferendis cogitari. Hinc illae Martis irae. Interpungendo igitur lucem loco aliis obscurissimo viso adfudisse nec nunc poenitet. — 529. *contra Pallas et Iuno*

questus amborum gemunt tacite secum, anxiae adstant dubiaeque, quid valiturae sint apud Iovem Solis et Martis querelae.

531 – 559. Ad haec Iupiter mentem expromit ita: Quae nos *a principe cursu* inde ab initio *rerum* instituimus, ea suo ordine *pergunt* procedunt, *fixaque manent;* neque enim tum *sanguis*, liberi erant, *iustique facultas hic*, illo tempore *erat*, non erat, cur partium studio tenerer, *quum varios struerem* (exquisite!) *per saecula reges*, quum longam regum seriem per plura saecula ordinarem. — 536. *Audite ergo*, sic pergit Iupiter et quidem vaticinans, *curarum decreta mearum*, quae post diuturnam deliberationem apud animum constitui. *Iam pridem*, pluribus saeculis *inmensa* amplissima orientalis plaga ad Hellespontum vsque et *Tanain tenus* (sic Accusatiuo additum? vnicus in omnibus scriptoribus locus, quapropter plures *Tanai* insserunt reponi refragantibus tamen omnibus Valerii Codd. Genitiuo iungitur ap. Virgil. A. 10, 210.) florentissima fuit. *vndat* abundat (cf. Virgil. Ge. 2, 437.) *equis virisque*, exercitibus, nec alia gens ausa est, bellis eam adoriri, nam ipse ego *fata locosque fouebam*, regioni illi fauebam, vt mihi ipsi constarem, qui felicitatem illi olim hanc decreuissem. Ceterum *fata locosque* posuit poeta pro *fata locorum*, vti infra 4, 557. — 542. Sed *labat*, mox labetur *Asia*, *poscit sua* sibi destinata *me tempora Graecia*, quam *meae quercus* (Dodonae) *tripodesque* (Apollinis Delphici) *animaeque parentum* manes maiorum ad hanc expeditionem excitarunt. *Nunc*, *Bellona*, animum explebis, *via facta per vndas*, *perque hiemes*, per inpetuosum mare: *nec vellera tantum indignanda manent:* non ob vellus tantum ereptum indignabitur Asia. (Burmanniana *indignanda: manet propior* cet., Sed libri ante Carrionem omnes, ipse Burmannianus, et editio Bononienses ita, vti dedi: *indignata manent;* addito colo: — dedique eo confidentius, quod idem suasisse reperio Biblioth. nouam philol. Vol. 1. Fasc. 2. p. 261.) *propior*, (non tam remotus loco) subintellecto *est*, *de virgine rapta* (Helena) *dolor; sed nulla magis sententia menti fixa meae*, idque tam firmiter decreui, quam quod firmissime; *veniet Phrygia pastor ab Ida* (Paris) *qui gemitus*, irasque pares et mutua *dona* (fluctuant hic et libri et interpretes inter *dona et damna;* illud retinui, exquisitius quippe, et ironice adcipiendum; hoc facilius est intellectu, sed magis prosaicum

et vulgare) *adferet*, magnae quidem et ipſis Graecis calamitatis auctor erit — *qua*, quanta *claſſe procorum* Helenam repetentium *bella effuſa! quot hiberna* caſtra, quot per annos *Mycenae flebunt* ad Troiam! — 553. *quos* (non *quot*, conſentientibus optimae notae codicibus, et ob ſequens *quae*) *proceres*, regulos, *natosque Deum*, *quae robora*, fortiſſimos viros, *cernes* Bellona, *obpetere* mortem, *et magnis Aſiam concedere* ſubcumbere *fatis!* — 555. *Hinc*, ex hac Troiae expugnatione *Danaum de fine ſedet*, Graeciae potentiam frangere certo apud animum conſtitui; gentesque fouebo mox alias, pateat terra continens omnibus, pateant clauſa hucusque maria, *ſpes et metus omnibus eſto arbiter*, prout gens quaeque terras in medio poſitas obcupare poſſe ſperet, vel aliis concedere cogatur. — 558. *Ipſe, terrena ſumma mouendo* poſt translatam modo ad hanc, modo ad illam gentem maiorem potentiam, *locos experiar*, obibo terras, vti paullo poſt v. 567. explorabo, quae potiſſimum, nam adhuc dubius ſum, digna ſit, cui reliquae omnes quam diutiſſime pareant, cuique ſummum imperium meum tuto committam. Miror, quod Romanos ſuos, quos in animo habuit, diſerte non nominet Valerius, quos in coelum extollendi occaſionem haud facile dimittunt Augusteae aetatis poetae.

561 — 573. Tunc oculos conuertit ad mare Aegaeum, *robur Herculeum*, βίαν Ἡρακλοῦς, Herculem ipſum, ſed fortem eum et robuſtum *intuens*, *et Ledae genus*, filios, Caſtora et Pollucem, atque ita fatur: *tendite in aſtra viri*, idque meo ipſius exemplo, *quem regia* coeli, Olympus, (reliqui Dii, concilium Deorum) *inpoſuit mundo*, ſummum Deum, mundi gubernatorem eſſe voluit, (cf. infra 668. et Virgil. Ge. 1, 503. Aen. 7, 210.) ſed poſt bella demum *cum Iapeto* Titane *truce*, haud parum timendo, et cum Gigantibus *in campis Phlegraeis* confecta. — 565. Locum et vobis in Olympo deſtinaui, ſed labore et periculo defunctis. Sic *Bacchus meus orbe peracto*, toto fere, qua habitatur, terrarum orbe expeditionibus bellicis peragrato — ſic *Apollo*, *expertus*, qui aliquas ſaltem luſtrans *terras*, aliquamdiu abfuit ab Olympo, quod factum, vel, dum paſtorem ageret apud Admetum (v. ſupra 444.) vel, dum ad leniendum de Phaethonte filio dolorem Hyperboreos adiret (Apollon. 4, 611.) vel, dum ſedem oraculo quaereret. v. Homeri hymnum in Apollinem 214. Aeſchylum Eumenidum prologo, Pindari fragmenta, T. 3. ed. Heynii

p. 87. *neue Allgem. Deutſche Bibl.* B. 66. St. 1. p. 226. 568. Dixit, et fulmen miſit, quod egregie exornatum: *facem nubila flammantem ingenti ſulco direxit per inane*, quod fulmen ſe diuidit in duas flammulas, Caſtoris Pollucisque frontibus adhaeſuras, ſplendentes illas quidem, ſed innoxias, immo *miſeris* periclitantibus *olim implorabiles nautis*, quibus conſpectis ſerenitatem coelo mox redituram ſperent. Locus adumbratus ex Virgil. Aen. 2, 680 - 684. et facile adnoſcenda electrica materia, quae per tempeſtates in malis nauium adparet (ſeu St. Elme).

574. Interea Boreas *ab arce Pangaea*, Thraciae promontorio, naues conſpicit, quae naues poetice efferuntur: *carbaſa* vela *medio permiſſa profundo concitusque*, ſtatim et celerrime tendit ad *Aeoliam* inſulam Strongylen, hodie *Stromboli*, vnam ex Aeoliis, quas et Vulcanias et Lipareas adpellant, (cf. omnino Heyne Exc. 1. ad Lib. 1. Aeneidos) in *Tyrrheno* Etruſco aequore ſitam, et vim ſuam in via exſerit per ſiluas, *omne nemus rapidis alis ingemit*, — exſerit per campos, *ſtrata* nempe *Ceres*, ſegetes, — exſerit per mare, *nigrescit pontus ſub praepete moto* (melius *motu*, v. Bibl. philol. l. l. p. 262, quod, quum mirifice placeret, nihil haeſitabundus in textum recepi. — 579. Aduenit, quo tetenderat, in *Aeoli antro*, in quo deſcribendo Valerius profecit a Virgilio A. 1, 52 ſq. quem comparaſſe operae pretium erit. *Aequore Trinacriae* Siculo, et *a parte* quidem *refugi*, olim abſciſſi ab Italia *Pelori*, promontorii Italiam ſpectantis. *Stat rupes horrenda, quot in aethera ſurgit molibus, infernas totiens demiſſa ſub vndas.* Locus profecto et obpoſitis et ſublimitate laudandus: mox fluctibus in tempeſtate retro cedentibus ſolito maior nubes ferire, mox iisdem redeuntibus ſub imas vndas depreſſa, euanuiſſe videtur. cf. et hic Virgilii Ge. 2, 290. 291. vbi de arbore: *Quantum vertice ad auras aetherias, tantum radice in Tartara tendit.* — 580. Nec *proxima tellus*, inſula Vulcania (Hiera), quod ſuadent Cyclopes memorati, *ſcopulos aut antra minor*, (Graeco more, omiſſo κατά) minores habet ſcopulos, aut antra, quae inhabitant Cyclopes *Acamas*, *nudusque Pyracmon*. (In nominibus horum Cyclopum variant Mythologi. Virgil. Aen. 8, 425. praeter *nudum membra Pyracmonem Brontem* habet *Steropenque*. Vnde noſter *Acamanta* ſumſerit, neſcio; fortaſſe *Argen* voluit, quem habet Apollodorus 1, 2.) — 584. Hic ſedes proprias et imbres, et

venti et tempestates habebant *olim*, hinc in terras et maria libera potestas erat, *hinc olim polum infelixque fretum miscebant*, vndas ad coelum vsque erigebant, quum regem nondum haberent, donec *Oceanus aduena Libya* (Africa) *rumperet* abrumperet *Calpen*, oppidum Europae ad fretum Gaditanum, Europam ipsam, *quum flens* suo damno *Oenotria* (Italia) *fines Siculos*, Siciliam, sui antea partem *perderet, et mediis intrarent montibus vndae*, ipsorum montium obstantium molem frangerent. Cf. de eadem re canentem Virgilium Aen. 3, 417. *Venit medio vi pontus, et vndis Hesperium Siculo latus abscidit*, et Iustinum 4, 1. — 591. Tum vero Iupiter *pauidis* ita, vt pauerent, *ventis intonuit, regemque* Aeolum *dedit, cui parerent, et monte* (carcere Virg. Aen. 1, 141. et noster v. 602.) inclusit, in quo *chalybs iterataque muris saxa*, clathri ferrei, et duplex murus, vnde non nisi concedente rege (*ipse volens*) et claustra refringente exire possent. cf. Virgil. Aen. 1, 55 sq.

597. Ad hunc igitur Aeolum nuntius venit alte vociferans ita, *vt solio regem proturbaret*, *Boreas: Heus! magnum tibi nefas adfero; Graeci quidam iuuenes* (contemtim) *molem magnam ferro* securibus *commenti*, iuuenili audacia sibi excogitarunt; *ingenti velo gaudentes* per mare incedunt. Vtinam liceret, profecto *imis freta tollerem harenis*. Quam alius ego nunc ab illo! Haec talis audacia ex eo orta, quod *Boream* (me, sed ἐμφατικωτέρως nomen proprium loco pronominis positum) *sub rege vident*. Age igitur, *da mergere* permitte vt mergam *Graios*, *insanumque* ad insaniam vsque temerariam *nauem* (*insanae aquae* Ovid. Heroid. 1, 16.) cui, *nil enim me mea pignera tangunt*, quamquam filios meos, Zeten et Calain et ipsos vehat, non parcam. (Pro *pignera* mauult *viscera* Wakefield Silv. crit. 4. p. 214. Nil opus!)

608. Cuncti intus cum fremitu poscunt in aequora emitti, Aeolusque, *Hippotades*, Hippotae Troiani ex filia Segesta nepos *valido turbine portam inpellit*, cardines versat, *fundunt* effundunt *se* (cf. 2, 662.) *carcere laeti Thraces equi*, (*Thraces*, nam Thracia omnino ventorum domicilium priscis habebatur, *equi*, Ζέφυρος ἱππεύσας Eurip. Phoeniss. 220. *Eurus Siculas per vndas equitans* Horat. Od. 4, 4. 44. vbi vide interpretes) *Zephyrus*, *Notus nocti concolor, nimborum cum prole*, filiis quasi, originem ventis debentibus, *Eurus procellis crinem hispidus*, cui ca-

pilli ventis turbati, horridi ſine ordine volitant, *et multa flauus caput harena*, erutis ex fundo maris harenis conſperſum habuit caput.

614. Iam ingruit tempeſtas, ab his, *vnanimis* mota, *rauco tractu* ſpiramine *freta curua* in altum, in montes curuata, ſinuata *ad litora ferunt* compellunt, *nec ſola tridentis regna* Neptuni *mouent*, ſed tonitrua etiam et fulgura excitant. Excuſſi manibus remi, *nauis in obliquum* verſa reſonat inpulſu fluctuum, *vela ſuper tremulum ſubitus volitantia* (fluitantia Ovid. Met. 11, 470.) *malum turbo rapit.* Euge! belle! ſic apte delecta epitheta, ſic viuis picta coloribus omnia videmus. Imitatur Virgilium Aen. 1, 102 - 105. *Stridens aquilone procella velum adverſa ferit, fluctusque ad ſidera tollit. Franguntur remi: tum prora auertit* (quod eſt Valerio: in obliquum) *et vndis dat latus: inſequitur cumulo praeruptus aquae mons.*

621. Qui tum Minyis horror, *quum picei fulſere poli*, ex nigris nubibus eliduntur fulgura, et *antenna laeuo cornu prona*, malo delabſa, *dehiſcentem ſustulit vndam*, vndam haurit, et in aera ſecum rapit ex fluctibus hiantibus. — 625. Neſciebant vero Argonautae, hanc hiemem a Diis ſibi inmiſſam, ſed *tale fretum* hanc maris eſſe naturam putabant. Tum moeſti ſecum: *Hoc erat, temerare inlicitas vndas*, meruimus, qui quod nefas eſſet, (de temere enim inlicita, res in primis ſacras adgredientibus vſurpant τὸ *temerare*,) ſusceperimus, *quod noſtri timuere parentes* ſapientiores — vix enauiganimus, *en quanto fremitu ſe ſustulit Aegan*, Aegaeum mare. cf. 4, 715. hiccine iam *concurrunt*, pro ſimplici ſunt, inueniuntur, ſed cum reſpectu ad Graecum συμπλέγαδες — *linquite terrae* homines in continenti viuentes *ſpem pelagi, ſacrosque*, quos tentare religio eſt, *ſeponite fluctus*, nauigandi ſtudium dimittite.

633. *Haec iterant, ſegni flentes obcumbere leto.* Segne letum Ovidio Metam. 7, 544. *iners* 8, 518. *ignauum* Sil. Ital. 14, 607. *ignobile*, nempe eſt, cui auertendo fruſtra vires intendas, quod fortiter obpetere non poſſis. Hoc doluit in primis *magnanimus Hercules*, ſpectat pharetras, ſpectat lacertos, nulli iam vſui futuros. — 636. Vale ſibi dicunt inuicem vltimum Argonautae, iungunt manus, atque *ora fatigant* mutuis oſculis. *Adſpectu tota in miſero quum protenus aluus ſoluitur, et vaſto puppis mare ſorbet hiatu.* Ex his, ita politis, fateor, etiam poſt perlectas interpretum notas, me ſenſum aliquem idoneum extricare non

potuiſſe. Plana omnia fuerunt, vt primum praeſtantiſſimi *Beckii* (hunc enim Harleſianae editionis cenſorem in aliquoties iamiam memorata biblioth. philol. fuiſſe, quouis pretio contenderim) p. 261. vidi emendationem, qui ſublata poſt *fatigant*, poſita poſt *miſero* interpunctione, vnius vero literulae mutatione, *totI* enim ſuadet pro *totA*, clariſſimam lucem adfudit loco. Iam vero facillime fluunt omnia: *Ora fatigant adſpectu toti in miſero*, in tam triſti adſpectu ſolo occupati, *quum protenus* etc. Recepi in textum, adprobantibus certo, qui naſum habent. Nunc etiam reliqua melius intelleguntur: *alnus ſoluitur*, rimas agere incipit, easque ita patulas, vt magna vndarum vis intret, vt *vaſto mare ſorberet hiatu.* Iactant iam venti nauem, *verberat Eurus, ſtridens Zephyris aufert Notus*- pro pila quaſi vtuntur, *vndique feruent aequora.* Sed

641. en Deus ex machina! *Neptunus* in (armatus) *trifida haſta*, tridente, (Ovid. Metam. 1, 330. *tricuſpide telo*) efferens caput ſic fatur: Pallas et Iuno precibus et lacrumis hanc eblanditae ſunt nauem, addixi, promiſſis ſtandum, *abstulerint*, habeant, ne tamen eadem alias libido inceſſat, *Pharias* Aegyptias, *Tyriasve* naues! Sed praeuideo, proh dolor! plures eadem tentaturas, *plenas malis* miſerorum *clamoribus* praeuideo *vndas, nec Orion meus* filius (v. 2. 507. et not. ad 4, 123.) nec, quae aliis nauigantibus grauia ſidera habentur, *Taurus* et *Pleiades*, *mortis nouae* hucusque incognitae *cauſae erunt*, immo tu *Arge*, tuque *Tiphy*, quibus, meruiſtis enim, nulla mater locum *in Elyſiis campis*, *piorum* ſedibus adſignabit. — 651. His dictis Neptunus *pontum et turbata litora reponit*, quietem reddit, *ventosque depellit*, quos et terga vertentes terribiles videas, *horror caeruleus*, aſperum adhuc et trepidum mare, *madido grauis vnda ſinu*, nubes vndis gravidae, *longeque ſequutus imber*, quem diu adhuc oculis proſequi poſſis — ſic igitur *ſimul tendunt ad aequora portae Aeoliae.* v. ſupra 579 ſq.

656. *Emicuit reſerata*, (duae, nec iniucundae, metaphorae) *dies*, et *arcus* coeleſtis *reſoluit* recluſit *coelum*, ſerenitatem reduxit. Nauis placido mari exſtat, ab ipſis Diis marinis *Thetide* et *Nereo*, in gratiam Pelei Argonautae, qui illam coniugem, hunc ſocerum habuit, *erecta.* — 660. Iaſon, gratiam Neptuno acturus, *ſacro amictu velatus*, *Aeſoniam* ab Aeſone patre adceptam capit *pateram auream*, quam hoſpitale donum pro pharetris olim Aeſoni

dederat *Salmoneus*, *nondum ille furens*, nondum ſtulte inpius, vti poſtea temporis, quum Iovis fulmina imitari ſustineret. Hoc neſcio, an nimis docte et alieno loco ſic extulerit poeta: *Quum fingeret quadrifida trabe* (*trabs* bene et σκωπτικῶς, cum fulmine comparata; fortaſſe et hominis ſtultitiam ridendam proponere voluit Valerius eo, quod, quum Iovis fulmen non niſi trifidum eſſet, quadrifida trabe Salmoneus vteretur) *ruentemque* tonantem (Horat. Od. 1, 16. 12. *horrendo ruentem tumultu*) *Iovem contra Atho* (non *Athon*, vti vulgati, quod metro in ſyllaba poſteriori repugnat. v. Heyne ad Virg. Ge. 1, 332. vbi et Athos et Rhodope itidem iunguntur. Aliis tamen locis priorem ſyllabam ſemper corripit Noſter. Quidni vero et hic breuem ſyllabam tueri liceat, ſi vltimam literam in ΑΘΩ non elidas, ſed Graeco more ob ſequentem vocalem corripias?) *aut Rhodopen*, ſic Salmoneus, *Iovis aemulus*, in ſuas terras ſaeuiret, *ardua Piſae* (per prolepſin) *nemora et Elidis*, cuius rex erat, *agros vreret*. Ne longus ſim, comparari velim Virgilium Aen. 6, 585. cui nonnulla ſublegit Noſter. — 666. Ex hac igitur patera *libat latices*, vinum (laticem Lyaeum Virg. Aen. 1, 690.) Iaſon, his additis precibus: *Dii marini*, quorum *regia*, palatium, imperium (cf. ſupra v. 563.) non minus amplum, quam Olympi eſt, tuque, Neptune, cui ſorte contigit mare, *diuique biformes*, (vt Scylla et alii aliaeque) *ſeu caſus nox illa*, quae tantam nobis tempeſtatem intulit, (hoc facile, non item, quae ſequuntur:) *ſeu voluitur axis, vt ſuperum ſic ſtaret opus*, (et hoc fortaſſe exponi ſic poſſit: fieri potuit, vt terrae motu concutiendus eſſet orbis, vt aequali vbique pondere libraretur) *tollique viciſſim pontus habet;* (hic vero haeret aqua, nam *viciſſim* quo referam, non reperio, nec τὸ *habet* ſenſum fundit. Malui igitur cum *Oudendorpio* ad Frontini edit. ſec. p. 66. cui et Cel. *Beckius* l. l. adcedit, ſic interpungere et reponere: *ſeu voluitur axis* VI *ſuperum*, SEV SIDERE *opus*, *tollique viciſſim*, hoc ſenſu: ſeu neceſſe ſit, vt mare mox quieſcat, mox moueatur. *Opus habet* ſic Infinitiuo additum ſingulare quidem eſt, quod recte monet Beckius, ſed ſingularia amat Valerius — *ſeu*, ſic pergit v. 672. *conſpectus nauis armatae ſubitus* ad iram te concitauerit, ſatis memet luiſſe putauerim, et *tua*, Neptune, *numina*, (ſic ſaepe de *vno* Deo poetae; cf. infra 4, 34.) *iam ſint meliora*, magis propitia. — 677. Quod ſi facias, *meritas tibi aras plurimus paſcet*

honos plurimarum victimarum ſanguine et carnibus onerabo altaria tua, et quantus in aliis vrbibus *ſtas rotis equisue horrendus*, curru vaſto venerabilis, (ſine dubio ob oculos habuit opus antiquum poeta) tantum et in vrbibus erigam noſtris.

681. Idem laeti vouent Argonautae, hoc enim eſt *ſequuntur verba ducis*, non ſecus ac, quum gregibus et campis *Calabri populator Sirius arui*, nimius ſolis aeſtus damnum intulit, *agreſtum manus inſcia* (magis placet *anxia*, quod praeter alios codices Harleſianus etiam praefert, et placet eam in primis ob cauſam, quod Argonautas cum *inſciis*, ſuperſtitioſis ſtupidisque agreſtibus comparare voluiſſe Valerius vix credendus eſt) *in priſcum* antiquitate religioſum *nemus coit*, et praeeunte ſacerdote vota nuncupat. — 685. placidi iam ſpirant venti, volat *inmiſſis* incitatis *caua pinus habenis*, quas ſaepe nauibus dant poetae. v. 4, 679. 680. *inſinditque ſalum*, ſulcos trahit per aequor, et *ſpumas vomit aere tridenti*, roſtris. v. Virgil. A. 5, 143. et Scheffer militia nauali 2, 5. p. 126. Adumbrauit locum ex Virgilii Aen. 1, 35. *ſpumas ſalis aere ruebant*, ſed, quod imitatores ſolent, idem pulcrius efferre adfectauit, nec infeliciter ad meum ſenſum, noſter: nauis aere *tridenti*, roſtro triſido, *vomit* ſpumas, prae ſe agit atque propellit. — 689. *Tiphys agit*, gubernat, *tacitique ſedent ad iuſſa remiges*, omnes ei parent haud aliter ac Ioui, *ad cuius ſolium omnia prona*, promta, feſtinantia, venti, imbres cet. *amnes* adeo *fontibus incluſi*. Comparatio Tiphyi admodum honorifica!

693. At Iaſonis animum *praeſagientem* ſubit metus, quod *crudelis* vlciſcendi cupidus atque *doloſe* Acaſtum patri abduxerit, *cetera* ſuos omnes *neci nuda* expoſita, *medioque in crimine patrem liquerit*, quod poſt Maſerium recte Burmannus exponit: *in criminis ſuſpicione*, qui nempe, niſi auctor ſuaſorque, conſcius tamen rapinae illius Peliae fuiſſe videri poſſit, *ac nullis inopem* ſenio confectum *vallauerit armis* praeſidiis, quibus ab iniuriis ſeſe defenderet — *ruat omnis in illos* patrem et matrem *furor; nec vana pauet*, haud inanis eſt timor.

700. *Saeuit atrox Pelias*, videt e vertice montis nauem, non videt, qua ratione iram poſſit effundere. *Nil animi, nil regna iuuant*, nil prodeſt, quod fortis, quod rex ſit. Colligitur repente armata manus, eaque fremit quaſi *obicem* ſibi obiectum mare, proſequitur tamen, *telisque ſalum*

facibusque coruſcat, arma facesque inluſtrant mare nocturnum, ſed labor aeque inanis, ac olim *Minois*, Cretae regis, *Daedalum inſequentis*. Haec pinguntur: *Quum Daedalus ora aeriſona* terra metallifera, nam ibi officinas habebant ferrarias Telchines, primum Cretae, deinde Cypri, poſtea Rhodi incolae, v. Strabo 14. p. m. 966. *proſiluit*, ſubito effugit, euaſit *volucer* alatus, *iuxtaque comes* Icarus filius puerulus *breuioribus alis; nube noua*, vmbra, quam vtrique coelum peruolantes proiiciebant, *linquente domos*, *Minoia manus* equites et pedites Minois, *conſurgit*, ſed pedites infremunt fruſtra, *equites laſſantur inani viſu*, taedet auolantes diutius non niſi oculis proſequi, ſagittas, quarum vſu maxime incluti erant Cretenſes, expedire non poteſt, *pharetras refert plenas* in vrbem *Gortyna*. (Adcuſativus h. l. vti recte monet Heinſius. Nominativus eſt Gortyn, Gortys et Gortyna. v. Euſtath. ad Dionyſ. v. 88.)

709. *Funditur humi Pelias* in thalamis, ipſoque in limine domus, quam filius inhabitauerat, imagines eius, locaque, vbi ſteterat, oſculatur, fuſis capillis legit veſtigia. Fortaſſe reprehendi poſſit poeta, qui Pelian *ſenem*, canities enim tribuitur v. 711. tam viuidam, iuuenilemque amoris ſignificationem prae ſe ferre voluerit. — 712. Iam in ſermone ad filium abſentem directo non parcit quidem Iaſoni, filio tamen et ipſi exprobrat quodam modo intempeſtiuum laudis amorem. Vere ſi credidiſſem, *freta eſſe peruia*, laudi tuae non inuidiſſem, *vltro claſſem claſſiariosque dediſſem. O domus, o freti nequidquam prole penates!* Sic, quam de filio conceperam, ſpem egregiam, factam video irritam. — 722. Sed iam ira redit ad Iaſonem: *Sunt hinc etiam tua vulnera, tuae lacrumae*, (Virgil. Aen. 1, 462. *ſunt hic etiam lacrumae rerum*) et ego tibi vulnera infligere, lacrumas tuas ciere poſſum, in manibus patrem habeo tuum. — Mortem igitur Aeſoni intendit, ſic tremens atque furens, vti olim *Thyoneus*, (Bacchus a θύειν *furere*, vnde etiam Bacchae Thyades) quum *cornua* (haec enim addunt poetae) *ſaeua ad Biſtonas* (Thraces) *meritos* non ſine cauſa *torſit*, et tota Thracia, quam ſiluis et montibus circumſcribit Valerius, tremeret, maxime tamen *Lycurgum*, qui vites omnes per Thraciam eradicari iuſſerat, perſequutus in furorem dedit, vt *coniux incita* celerrime et *nati* hominem fugerent.

730. Forte adcidit, vt eo ipſo tempore *Alcimede*, de filio Iaſone anxia, *Tartareo Iovi*, Plutoni (Sophocli Oedip.

Colon. 1606. *Ζεῦς χθόνιος*. *Pater Tartareus* infra hoc libro 828. *Iupiter tremendus* 3, 385. *Iupiter niger* Silio 8, 16. *Stygius* ap. eumdem 1, 386.) ſacra faceret, *Deosque Manes excitaret.* Non ſine cauſa Valerius Alcimeden, nam feminae futuri curioſiores eſſe ſolent, haec ſacra facienda demandauit, *Aeſona tamen facilem habuit*, facile perſuaſit, qui non minus, quam ipſa, de filio eſſet ſollicitus. *In ſcrobibus*, foſſis, has enim excauabant in ſacris Diis inferis faciundis, *cruoris largus honos*, ita largus, vt in foſſis *ſtagnaret*, *funditur Phlegethonti operto*, apud inferos flumini. — 736. Adſtans *Theſſalis* Alcimede *grandaeua* ſenex magno clamore prouocat Manes maiorum, *magnaeque nepotem Pleiones*, Mercurium, cuius et apud inferos magna fuit potentia, inplorat, vt Vmbris concederet, aliquantisper ad ſupernas regiones redire.

738. Iam *Cretheus*, Aeſonis pater (v. Tab. genealog. I.) his Alcimedes carminibus excitatus, *tenues* (nam apud inferos omnia ſunt exilia, tenuia, leuia, inania) *vultus effert*, filiumque nurumque ita adfatur: Nolite timere de filio, *volat* ille per maria; Aea, vrbs Colchorum, Colchisque tota trepidant, *quatiunt*, percellunt, timore inplent (cf. 2, 122. 5, 273.) prodigia omnes et oracula. *Qui horror* quam timendus *pergit* in itinere, mox Scythiae ſpoliis onuſtus, captisque feminis ſuperbiens rediturus, cui triumpho vtinam ipſe poſſim adeſſe. — 747. Celare tamen non poſſum, *fratrem* patruelem Pelian dira omnia tibi, mi Aeſon, parare. Tu vero praeuertas voluntaria morte, eaque cita, *rapias animam*, et *famulos effugias artus.* (*Famulos* refert Burmannus ad Pelian, hoc ſenſu: niſi praeuenias, perpetuo te ſeruitio ille addicet. Ego vero malim *animae* iungere, cui, parti hominis diuiniori, corpus terreſtre debet parere; qui ſenſus melius adeo pateret, ſi pro *effugias* reponere velis *exuis*.) Sic igitur, mi fili, facias. Exſpectamus te, ego pater, et *Aeolus*, non qua ventorum Deus, ſed auus, *volitans*, quatenus vmbra eſt, in Elyſiis campis.

752. Interea Peliae regiam moeſtam *clamore ſupremo*, alias conclamatione in mortuis, an forte in vitam reuocari poſſint, vſitata, *famuli ad horrorem* vsque inplent, de Acaſto recuperando deſperantes. *Fragor* tumultus regem *per moenia differt*, per vias omnes diſcurrit, *mille ciet manus*, iubetque, quae ciuibus facienda ſint.

755. *Sacerdos* facra faciens Aefon *flagrantes aras vestesque nemusque praecipitat.* Interpretes omnes de facrificio *parando* adcipiunt. Nollem factum! Sacra fecit Aefon v. 735. nec lignorum multitudinem, quam in *nemore* inueniffe fibi videntur, adnouerim ideo, quod *arae iam flagrarent.* Ego igitur in alia omnia discedo, habeoque mihi perfuafum, Valerium de *finiendo* facrificio cogitaffe. Properauit Aefon, vt deflagrarent arae, vt deponeret veftem facram, vt nemore exiret. Sic vero, praeter quam quod interpretatio mea v. 774. vbi *facra nouantur,* comprobatur, et h. l. omnia optime cohaerent. Tumultuarius vrbis clamor Aefonis in nemore verfantis aures ferierat; dubius eft, quid faciat, *leonis inftar,* qui, quum magno venatorum numero coarctatum fe videt, *rictuque genas et lumina preffit,* quod non intellego, nifi praeeunte Columbo legere liceat *rictumque gemens* et interpretari: iram vultu praeferens (*gemere* enim vti de quocumque fono, ita etiam de ira vultu expreffa vfurpare poetas, docuit me Ruperti ad Sil. Ital. 1, 425.) *preffit* dentes conlifit — *et lumina preffit* nictat, oculis arguitur. Similis locus 5, 739. *dolor adtrahit orbes.* Lingua noftra totum locum ita efferre poffis: *Stand da mit verbiffener Wuth und blinzendem Auge.* — 759. Sic igitur dubius adftitit Aefon, *inbellisne* fenex *enfem iuuentutis* olim *geftamen* adriperet, an fenatum populumque in auxilium vocaret. v. fupra 71.

762. Ita fluctuantem erigit Alcimede. Locus fuauiffimus, dulciffima coniugalis amoris imago. *Effufa manus,* Graeco more, pro effundens, protendens manus, maritum amplectitur. *Me quoque,* ait, cuiuscumque cafus comitem habebis, *nec fata traham,* protrahere vitam velim, *fat coeli patiens,* fatis diu quae vixi, *nec fine te natum adeo,* in quo mihi funt omnia, *videbo,* videre velim. *quae potui tantum ferre dolorem,* quae vici dolorem ex abitu eius conceptum, *quum primum per altum vela dedit.* Sic ordinata, nam ftructura verborum in contexto implicatior, clara funt omnia. Talia *per lacrumas* lacrumans fata quum effet,

767. Aefon mori ftatuit, incertus *quo fine,* quod genus mortis eligeret fefe dignum. *Natus* et *domus,* generis nobilitas, et auus *Aeolus* et *bella pugnata,* res olim infigniter geftae, *magnum obitum* praeclaram mortem poftulant. Verfatur etiam ob oculos *alter filius, aeui rudis,* puerulus adhuc, (Promachus,) quem morte voluntaria ad

ingentes animos et fortia facta *atque olim leti meminisse paterni*, ad necem patris vlciscendam malit excitare.

774. *Ergo sacra nouat.* cf. v. 755. *Veteris sub nocte* vmbra *cupressi, sordidus et multa pallens ferrugine* ferrei coloris, fuscus *stabat adhuc* ex interrupto sacrificio *taurus, cui caeruleae*, nigrae, (v. Virgil. Aen. 3, 64. et infra 3, 400.) *per cornua vittae et taxi*, (cuius arboris fucus et rami apud inferos etiam in vsu erant; nam, si Statio credimus, Theb. 8, 9. Furiae faces ex hac arbore parabant) *frons hirta comis* corona taxea (fuscus taurus, nigrae vittae, taxi corona — omnia in sacris adhibita, quae Diis inferis fierent) *inpatiens loci*, maluisset aufugere, *visaque exterritus vmbra* Crethei. — 779. 780. In his versiculis me offendit *nefandae;* nam si Thessalis non est saga quaedam, quae praeter Aesonem et Alcimeden adesset, quod Vossio placuit, sed Alcimede ipsa, vti ego existimo, non satis honorifica huic vox illa videtur, quae quamquam non ipsi, sed *genti* iungitur, nihil tamen inde ad excusandam Alcimeden efficitur, quae nefandae gentis moribus sese adcommodare non debuit; ideoque malim post *more* incidere, et aliud loco *nefandae* substituere verbum, quod tamen non statim obcurrit. — 781. *Tergeminam tum heram*, Hecaten triformem, *placat*, *Stygiasque domos obsecrat*, Deos inferos obtestatur, *iamiam exorabile retro carmen agens*, quod ego ita adcipio: agit (cf. 4, 87. *mouet* 5, 100.) *carmen* interruptum antea, quod suadere τὸ *iamiam* videtur, *retro*, denuo incipit (retro enim de tempore etiam vsurpari notum est) et *exorabile* quidem, quod optaret exaudiri; nec aliter explicuerim *non inexorabile*, *quod petimus* infra 5, 321. Video Burmannum Gesnerumque in Thes. h. v. actiue hoc verbum sumere nostro loco, nec me fugit *medicabile carmen* 5, 87. quod ibi actiue sumi necesse est, h. l. non item. — 783. *neque enim ante leues* tenues, exiles *niger auehit vmbras Portitor*, quod mihi non ad solum carmen pertinere videtur, sed ad totum sacrificandi actum: cymba non ante excipit eas Charon, quam Deos inferos propitios inferiis sibi reddiderint, *et cunctae*, quotquot sunt, *primis stant faucibus Orci*, ad limina regni Plutonii consistendum omnibus est. Erat, vbi pro *cunctae* coniicerem *functae*, vita defunctae, mortuae, quae vox hoc sensu apud aureae aetatis poetam Albinovanum 393. legitur, sed et hoc frigere animaduerti. — Haec scripseram, quum ad manus venirent Cel. *Iacobs* Miscellaneis

philologicis, ab Cl. Aug. Matthiae nuper edi coeptis, inſertae emendationes, vbi p. 7?. vir acutiſſimus *exorabile retro carmen* inluſtrat ex Horatii Epod. 17, 6. Canidia, citum *retro ſolue, ſolue* turbinem. Vti igitur veneficae quibusdam formulis humanas mentes deuincire, et aliis easdem ſoluere ſe poſſe exiſtimauerint, ita etiam Theſſalida Valerii, vt vmbras evocatas priſtinis ſuis ſedibus redderet, iisdem carminibus putat vſam, ne ſcilicet a portitore reiectae in ipſis Orci faucibus retinerentur. Quum vero τὸ *cunctae* elumbe ſit et ab hoc loco alienum ideo, quod per ſe pateat, non vnam aut alteram illarum vmbrarum, ſed *omnes* eidem legi fuiſſe obnoxias, in eius locum reponi ſuadet *vinctae*, (nondum ſolutae, adhuc incantatae). Quae explicatio, pluribus veterum locis adductis munita non minus, quam emendatio tam facilis, facile, vt mihi, ita pluribus ſeſe probabit.

785. *Taurum vbi terrifici ſacri in tempore conſpexit*, obportune ad ſacra inferis facienda adſtantem morti eum deſtinat, tactisque cornibus ante obitum Manes maiorum innocat. — 788. *Vos, quibus non ſegne peractum lucis iter*, vita laboribus fortiter transacta, *conſiliis* prudentia *bellisque cognita mihi nomina, magnorum fama ſacrata nepotum*, quae nepotes, et ipſi magni, poſteritati commendarunt — *tuque excite parens* (Cretheum putat) *vmbris, vt noſtra videres funera* calamitates, et *oblitos*, ex quo Lethes aquas bibiſti, *ſuperum*, viuentium (τῶν ἄνω. cf. 827. res ſupernas) *paterere labores, da mihi placidae ſedis iter*, faue meo ad inferos itineri. — 794 — 815. Iam vero inſurgit in Peliam oratione, irae, indignationis et dirarum plena. *Tu nuntia ſontum Virgo Iovi* (Aſtraea; cf. 2, 363. vbi *flagitat iras in populos*) *vltricesque Deae*, Furiae, *Fasque* Iuſtitia, *et grandaeua Furorum Poena parens*, Furia maxima v. 817. (cf. 7, 147.) *meritis regis* Peliae *ſubcedite tectis* (pro *meritis* Heinſius et Marklandus maluerunt *meriti*, quod facilius, illud magis poeticum) *ſacer* terribilis *Pavor* (cf. 2, 204. 287.) *effera raptet corda* ſubito totum obcupet animum, vt non vnam Iaſonis mei nauem, ſed claſſes regum Ponti, indignantium, quod ratem ipſis *temere* inmiſerit, metuat — vt mori optet, nec tamen poſſit, donec Iaſonem vellus reportantem viderit. — 806. Tum vero ſtabo inſultans tibi ego, exſultans prae gaudio; tum vos, Dii Deaeque ſcelerum vindices, ſi quod habetis mortis genus inauditum adhuc, incognitum et turpe, huic

inferte fallaci seni — ne cadat in proelio (*magno obitu* supra 768.) nec manu Iasonis, quo honore indignus esset — ipsi eius milites et cognati diripiant, lacerent, insepultum proiiciant. — 815. Hoc, hoc piaculo pascat oculos Iason meus, hoc cunctae, quas maris periculis exposuit, *gentes*, familiae Argonautarum.

816. *Adstitit*, statim praesto fuit, *Furiarum maxima* (Virgil. Aen. 3, 252. 6, 605. erat enim alia maior natu, alia minor) *tangit graui manu taurino fumantia pocula tabo* sanguine, (cf. 2, 212. 4, 749.) quem auide hauriunt Aeson et Alcimede. Hoc proprie, de Aesone saltem, adcipi debere, iubent Diodor. Sic. 4, 50. et Apollodorus 1, 9. 27. *Αἴσων θυσίας ἐπιτελῶν ἀδεῶς τοῦ ταύρου αἷμα σπασάμενος ἀπέθανεν.*

819. *Fit fragor, inrumpunt* a Pelia missi *sonitu*, (mire languet, ait loco saepius laudato Beckius p. 262. quum praecesserit *fragor*: emendant *foribus*, *domini*, *senibus*; miror nemini in mentem venisse *subito*, quod videtur maxime adcommodatum) inueniunt in agone mortis senes, *subfecta leto lumina*, subfusa pallore ara. (Sic subfecti sanguine oculi Virg. Aen. 2, 210. infra 2, 105. maculis subfecta genas; alias: *morte natantia*, *morte grauata*, Ovid. Metam. 4, 145.) *vndanti reuomentes veste cruorem*, magnam sanguinis copiam emittentes. cf. supra 688. Diripiunt igitur *primo rudem sub lumine rerum*, primos vitae annos agentem, puerulum Promachum, *visa parentum morte pallentem*, quibus eum dant comitem moribundis. Cuius nefandae caedis Aeson spectator *procul horruit memoremque tulit sub nubibus vmbram*, vlciscendi cupiditatem ad inferos secum abstulit.

827. Finem inponit poeta huic libro describendis inferorum sedibus. *Tartarii sedet aula patris*, domus Plutonia, tam longe remota, *supernis rebus abscissa*, vt, etiamsi Iupiter *victam* detritam *molem*, mundi superioris compagem, *soluere et primae velit omnia massae reddere* rudi illi et indigestae, ruina tamen ipsa eam non adtingeret. — 831. *Iacet*, amplitudinem pingit, *Chaos*, h. l. non memorata modo rudis et indigesta moles, sed aula Plutonis ipsa, quo sensu apud nostrum 2, 86. et alibi, saepe apud alios, Graecos etiam, poetas obcurrit. v. Hesiodi Theog. v. 700. pater Noctis et Erebi. Virg. Aen. 6, 265. — *ore tam ingenti*, vt *pondere fessam materiem*, si fractus delabatur orbis, totum eum possit, non excipere, sed *consumere*.

833. Hic *duae aeternum*, inde ab initio rerum, *portae*, quarum altera, *dura* inmutabili *lege ſemper patens, populos regesque*, ſummos et imos, *receptat*, alteram *tentare nefas et tendere contra*, intrare vi adeo adhibita volentibus non licet, *rarius* patet, ſed *ſponte*, lubens adcipit egregie in hac vita meritos, fortes heroas, *vulnera gerentes* (in) *pectore*, non tergo, *quibus galeis praefixa rotisque domus eſt*, qui ſpoliis, exuuiis curribusque hoſtium (v. Sil. Ital. 6, 434. in primis Virgil. Aen. 7, 184. vbi Heynius non ipſos currus, ſed fictilia ſigna eorum ſuspenſa fuiſſe recte exiſtimat) domos exornarunt, — *quibus ſtudium mortales pellere curas*, qui vitam humanam minus moleſtam, iucundiorem nouis inuentis fecerunt — quibus *culta fides*, probitas, καλοκαγαθία — *quibus longe metus, atque ignota cupido*, qui prauis animi adfectibus abripi ſe non paſſi — denique pii Deorum miniſtri, *ſeu venit in vittis caſtaque in veſte ſacerdos*. — 841. Hos omnes *lenis*, propitius, hilari vultu *plantAs*, (ſic dedi, commate poſt *lenis* poſito, pro *plantIs*) — *plantas* igitur, alas talares *et lampada quaſſans progenies Atlantis* Mercurius *agit*, vnde ψυχοπομπὸς, ψυχαγωγῶν. cf. Horat. Od. 1, 10, 17. 1, 24, 18. — 842. *lucet via*, tenebricoſi Erebi aditus, *late igne*, face, lampade *Dei*, donec (ad) *ſiluas et amoena* (loca) *piorum*, campos Elyſios *deueniant*, vbi *Sol durat*, numquam obcidit, et *aprica dies*, coeli ſerenitas, per totum annum dominatur, — *thiaſique*, laetae ſaltationes, *chorique* coetus *virorum*, *carmina* — et — *quorum populis iam nulla cupido*, tam multa alia laeta atque iucunda, vt hominum in terra viuentium ſpem omnem atque opinionem adeo excedant.

847. Has igitur in ſedes, easque *aeternas* in perpetuum *Cretheus* et filium inducit et nurum, ſimul vero edocet, quantae poenae maneant Pelian, portam ingreſſurum ſiniſtram. (De duplici ap. inferos porta v. Virgil. Aen. 6, 540 ſq.) Admirantur noui aduenae magnam piorum laetantium multitudinem, loca amoeniſſima, ampla virtutis apud inferos praemia.

IN LIBRVM II.

1—5. Interea alta ſecat Iaſon, *ſcelerum luctusque*, necis a ſcelerato Pelia patri inflictae, *ignarus;* Iuno enim celat patris mortem, ne in ipſo nauigationis ardore deficiat, ac

temere intempestiue *in adhuc obstantia regis fata*, ad nondum maturam Peliae mortem inferendam, *ruat, placitosque Deis ne deserat actus*, consilia Deorum neglegat exsequi.

Iam ex Pagasaeo Thessaliae sinu in Aegaeum mare tendunt Argonautae, in quorum Geographia ita versabor, vt solum Valerium meum sequar, eumque non nisi subinde comparem cum Apollonio et Orpheo, quibuscum non semper consentit vel consentire videtur. Plura qui desiderat, adeat *Schoenemanni Geographiam* Argonautarum Goettingae 1788. 4. editam. Hoc solum animaduertere velim lectores, quam scita elocutionis varietate vtatur poeta in describendis locis, vti quisque vel in oculos primum caderet, vel euanesceret: *mergunt* — *subsedit* — *recessit* — *adtollitur* — *vidisse putant* — *salutant, in nubes redit* cet.

6. *Pelion*, Thessaliae montem, *fretis summas ornos aequatum*, (Graeco more elatum) *mergunt*, tam longe post se relinquunt, vt e longinquo arbores in iugo montis stantes eamdem cum mari superficiem habere viderentur. — 7. *templa Tisaeae Dianae obliqua*, in promontorio Magnesiae Tisaeo a latere sinistro adparentia *mergunt*, ex oculis dimittunt. — 8. *Sciathos*, insula Thessaliae Euboeam versus, cui bene adcommodatum est *subsedit*, vix visa mari reconditur. — 9. *Sepias*, promontorium Thessaliae, *longa*, longius prominens, in mare excurrens, *recessit*. (*diffugere* 4, 645. discedere *loca* dicuntur, a quibus *homines* discedunt.) — 10. *Magnes campus*, Magnesiae vrbis campi, *adtollit tondentes* (iucunda translatione) *pabula equos*, tam prope adtigerunt, vt equos pascentes possent conspicere. — *Dolopia busta*, monimentum sepulcrale in honorem prisci herois, Dolopis, Mercurii filii, ad vrbem Magnesiam erectum. — *Intrantem Amyron curuas quaesita per oras aequora*, (haud inelegans fluminis flexuosi imago) *flumineo cuius redeuntia vento vela legunt; remis insurgitur*, quae sic intellego: quum ventum ex ora flantem fluuiumque magna vi sese exonerantem haberent ita aduersos, vt vela retro agerentur, contrahere ea coacti sunt, remisque vti, vt vim fluminis ventique frangerent. cf. quae statim sequuntur; *recipit velum reuersus Auster*. — 14. *Eurymenae*. Valerium meum suspicor hic, humani aliquid passum, Apollonium non recte intellexisse. Hic habet 1, 598. εὐρυμένας τε πολυκλύστους τε φάραγγας Ὄσσης καὶ Ὀλύμπου, *latas* et fluctibus sonantes conualles Ossae et Olympi. Valerius igitur vocem ad-

iectiue positam pro nomine proprio adcepisse videtur. Est quidem, quam *Ruhnkenius* Epp. crit. 2. p. 196. ed. sec. ex Livio 39, 25. adfert, huius nominis vrbs Thessalica; quum vero, quas ibidem Eurymenis iungit Livius, Gomphi, Phaleria, Tricca, in Thessalia interiori sitae sint omnes, nostram, de qua nunc sermo est, in eodem tractu positam ab Argonautis litora legentibus ne conspici quidem potuisse, admodum est probabile. Simile quid adcidisse Valerio videtur in *Ancone* Lib. 4, 600. vbi vide not. — *recipit velum fretumque reuersus Auster:* Austrum denuo habent secundum, vela denuo inflantur, vt iter prosequi possint. — 15. *in nubem Ossa redit*, euanescit, rapitur ex conspectu, vti v. 39. — *Metus Deum belloque damnata*, timenda olim Diis belloque Gigantum famosa, *Pallene*, peninsula et vrbs in sinu Thermaico, Phlegra Herodoto dicta. Inserit hic poeta episodion de bello aduersus Deos a Gigantibus gesto, quorum corpora *Terra mater induisse scopulis, trabibus, montibusque*, h. e. in scopulos, arbores, montes mutasse, et in altum exstruxisse dicitur, ita tamen, vt formam humanam et gestus pugnantium procul conspicientibus retinuisse viderentur. — 24. In his tamen non fuit, cui soli contigit, Iovis iram effugere, *Typhoeus* gigas, (cf. et 4, 236.) *Typhon* etiam dictus, ex Iunone, vt Iovi, qui Minervam ex capite peperisset, aegre vicissim faceret, sola natus, centum capitum monstrum. v. Homer. Hymn. in Apollinem 305 sq. Deorum adgressor furiosissimus in fugam quidem se dedit, *profugum* vero et *sacras flammas* fulmina Iovis *pectore reuomentem*, Neptunus capillis prehensum in mare secum rapit, *torquentemque anguibus vndas*, quamuis vndas flagellaret serpentinis, quos Gigantibus poetae adfingunt, pedibus, ad Siculum vsque fretum trahit, et *Aetnam* montem cum circumiacentibus vrbibus ori inponit; vel sic tamen *trux* adhuc *adesi fundamenta iugi eiectat*, mordet Aetnam sibi inpositum, fragmenta in aera propellit, *anhelat omnis Trinacria*, Sicilia contremiscit terrae motibus, *dum molem fesso pectore commouet*, *experiens* an molem excutere possit, sed frustra, *gemitu reponit inani.* Splendida profecto et sublimis imago et Neptuni et Gigantis, qui, quamquam potentiori cedere cogeretur, irae tamen et furoris pertinacissimus inmensas adhuc vires exserit.

34. Nec minus, spero, placebit, quae sequitur, noctis imago. Et primo quidem mythologice describitur nox in-

gruens: *Hyperionius* Solis *currus* (Hyperionem alii Solis patrem, alii Solem ipſum dicunt) *metas maris Hiberi* Gaditani *vrguet*, et *euectae prono laxantur habenae*, equis diurno labore defunctis frena remittuntur, vt proni atque praecipites ad Oceanum properent; *quum palmas Tethys grandaeua*, vna nempe ex antiquiſſimis Deabus, Oceani coniux, *ſinusque ſustulit*, manus brachiaque protendit ad excipiendum Solem, *et rupto ſonuit ſacer aequore Titan*, ad opinionem veterum, qui ſtellis occidentibus, (infra v. 63.) Soli in primis ad inſtar ferri candentis in aquam detruſi ſtridorem adſcribebant. (cf. Taciti Germaniam c. 45. et Iuvenal. 14, 280. *Herculeo ſtridentem gurgite ſolem*.) — 38. Iam horror pingitur noctis, et quam vim ea habuerit ad Argonautarum animos. *Auxerat hora*, ipſa nox, *metus, iam ſe vertentis* euaneſcentis *Olympi faciem* adſpectum, *raptos ſubito montes et locos*, vrbes et inſulas, *circumque*, vndique circumfuſas, *graues* iniucundas *videre tenebras*. — 41. *mundi ſilentium*, 418. mundus tacitus. — 42. *effuſis ſtellatus crinibus* radiis *aether*. — 43. Comparatio inſtituitur cum viatore noctu proficiſcente: *Velut ignota captus* deprehenſus *regione viarum non aure quieſcit, non oculis*, aures oculosque ad omnes vertit partes — *noctisque metus niger auget vtrimque campus* et *obcurrens vmbris maioribus*, quas longiores timor fecit, *arbor*. Omnia ad naturam expreſſa! — 47. Ita anxiis ſociis animum addit *Hagniades*, a patre Hagnio, Tiphys, eo, quod Minervam dicat ſeſe non tantum artem docuiſſe gubernandi, ſed ipſam manum diuinam naui admouiſſe. — 52. *auſtris reſtitimus*, v. ſupra 12. — 54. *In caſſum*, fruſtra, nihil nobis nocens *decidit decimae tumor arduus vndae*, fluctus decumanus, Gr. τρικυμία, Ovidio, more ſuo ludenti, poſterior nono vndecimoque prior Triſt. 1, 2, 49. — 55. Addit Tiphys, ſitum aſtrorum talem eſſe, qui nihil tempeſtatis praenuntiet. *Micat inmutabile coelum*, vti antea, ſerenum, *Cynthia* (Luna) *pura, nec grauida cornu*, pluuiam minitans, *certusque ad talia Titan integer in fluctum, et in vno decidit Euro*, ſignum, quod numquam fallit, vidimus ſolem nulla nubecula tectum et ſolo Euro flante obcidentem. (Sunt, qui pro *Euro* malint *auro*, vt in *vno auro* ſit: *totus aureus*, quod et mihi perplacet, ſed nolui mutare.) — 59. *in noctem venti veloque marique incumbunt*, noctu magis fauent nauigantibus, et *tacitis horis*, nocturnis, per mundi ſilentia v. 41. *ratis ocius*

ire ſolet. — 61. *Atque adeo non illa ſequi mihi ſidera monſtrant, quae delabſa polo reficit mare.* Locus intricatior, et difficultatem in primis mouet *monſtrant*, quod nonnulli mutari voluerunt in *monſtrat*, vel Argo, quod Iſ. Voſſio, vel Pallas, quod Schradero placuit. Heinſius olim coniecerat *mens ſtat*, quod propius adcedit ad vulgatam, ſenſumque fundit aptiſſimum; quum vero durius ſit ad aures, malim ego: *mens eſt.* Sidera ſequi apud animum conſtitui, non quae obcidunt, *quaeque delabſa polo reficit mare*, (hoc ex poetarum more, qui ſtellas obcidentes feſſas quaſi refrigerari in Oceano fingerent) ideoque nil me mouet, nil timeo ab *Orione tanto*, quantumuis magno, nihil *a Perſeo*, qui iam obcidit, *iam ſtridet* (cf. v. 37.) *in aequore irato*, ideo irato, quod Andromachen olim ab monſtro marino defenderat, — ſed 64. mihi *ducem* ſumam *Serpentem*, draconis aſtrum, *qui numquam vndis conditus nitet*, micat, ſemper in horizonte conſpicuus. — 66. Tum Tiphys ex adſpectu totius coeli ſerenitatem praenuntiat: ex ſitu *Pleiones*, quae vxor fuit Atlantis Hyadumque mater, *quo ſidere* (paullo poſt: *qua luce*) *vibret Enſis* (*vibret* enſi bene adcommodatum, ſed paſſiue intellegendum, cf. 6, 518. 8, 449. cet.) *Actaeus qua niteat luce Bootes*, qui, dum in viuis eſſet, Icarius dictus, ad mythologiam *Atticam*, vnde Actaeus, referendus. v. *Hermann mytholog. Handbuch* T. 2. p. 114. — 69. His Tiphyos dictis erecti edunt, bibunt, dormiunt, et regunt *ſua*, fauentia, ſecunda *ſidera* puppim. — 72. *Iamque ſub Eoae Atlantidis* (Eoa Atlantis ſingul. pro plurali, Vergiliae nempe vel Pleiades, matutino tempore obcidentes, v. Virgil. Ge. 1, 221.) *dubios ignes*, diluculo, *albet* e tenebris procedit *ager*, *vrſi truces* ab ouilibus *motis* turbatis *tuta domosque* luſtra, ne paſtores perſequantur, *petunt*, *aues* litorum amantes *rarae* ſingulae in *altum* mare prouolant, quum *primus Phoebus*, ſol oriens, *equis anhelis*, ſurſum ex Oceano enitentibus, *Athon* montem e regione Lemni ſeſe adtollentem *exigit*, conſpicuum ſubito facit, tandemque *diem in medias vndas diſpergit.* Alacriter remos agunt Argonautae, *celeri curſu tremunt roſtra prima*, donec aduerſam ſibi vident inſulam Lemnon.

79. Iaſon ſociique dum per aliquod tempus hic morantur, moratur etiam poeta, inſulae iſtius ab antiquiſſimis temporibus fata repetiturus. *Lemnos, tibi*, Vulcane, *per varios defleta labores*, in qua non ſemel ob varias aegri-

monias doluisti (bis enim, primum a Iunone, deinde a Iove dicitur e coelo deiectus, fortasse etiam vxor non admodum verecunda animum subinde pupugerat, vt caput frontemque scaberet) Lemnos igitur, tam cara tibi atque dilecta, nec nunc, quamquam *Furiis et crimine matrum*, a feminis per Furias incitatis, quidquid masculum est in insula, expellitur, te tamen non expellit, *nec te piget meriti meminisse prioris*, et tu grato animo recordaris, quam bene de te olim insula merita sit.

82. Quale hoc meritum fuerit, nunc exponitur. Illo tempore, quo aliquot Deos Deasque, *nouitate regni tumentes*, (nam ex diuisione Saturnii regni partes quisque suas adceperant) Iovem tamen summum Numen adnoscere recusantes, satisque, quod fit in subita fortuna, superbos, quum tacite coniurare et *silentia pacis* quietem pacemque *aetheriam* turbare velle Iupiter animaduertisset, *Iunonem primam* prae aliis omnibus *volucri*, qui perpetuo mouetur, *Olympo, suspendit, horrendum Chaos poenasque barathri*, regnum inferorum Tartarumque, *ostendens*. Sumtum ex Homero Il. 15, 18 sq. — 87. *Mox*, quum Iunonem matrem Vulcanus liberare tentaret, Iupiter *vertice coeli deuoluit*, (quod auget molem viri) *ruit ille polo noctem diemque*, (heu! quantum spatium emetiendum!) *turbinis in morem* conglobatus. Lemni quum litore tandem *insonuisset*, magno cum sonitu procidisset, *vox inde repens* repentina (facilius esset *strepens*, ingens clamor) *vt perculit vrbem*, adcurrentes ciues *adclinem scopulo* inueniunt, miserantur, fouent, sustinent *alternos aegro cunctantem poplite gressus*. (viden' vix incedentem et claudicantem?) cf. omnino Homerum Il. 1, 591 sq. vbi ipse Vulcanus rem omnem lepide narrat. Incessum tardum claudicantium idem Homerus 11, 546. pingit: ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων. Virgil. Aen. 12, 386. *Alternos longa nitentem cuspide gressus*. — 94. *Hinc*, ob hanc Lemnicorum in se beneuolentiam, etiam in coelum reduci insula cara fuit, carior adeo; non minus, quam *Aetne* (Graeca forma ob sequentem vocalem A) aut *Lipare*, vbi plurimum res suas atque officinas habuit; in Lemnum nempe se contulit, si quando ab graui diuturnique laboris opere, vel *aegide Minervae*, vel *fulmine Iovis alato*, (fulminis alas vide etiam infra 5, 56. et ap. Virgil. Aen. 5, 319.) *requiescere vellet*, — hic *epulis*, in honorem suum ab Lemni incolis *paratis*, lubens laetusque interest.

98. *Veneris* contra *altare frigidum*, fine honore facrificiorum ftetit, ex quo Lemnii eam Vulcani *coniugis inmemorem*, in amplexibus *Martis* deprehenfam, *tacitaque* furtim parata *catena*, fubtilibus retibus a marito adftrictam, toti Olympo ad ridendum propinatam audiuiffent.

101. Hunc fui contemtum vltura Dea *nefas ftruit*, de nimis iniufta crudelique cogitat vindicta, *exitium furiale* mouet. Non enim iam *almae* nomine, quo alias mortales laudare eam folebant, *tumet*, gaudet, nec, vt antea, comit fe, de ornatu cultuque follicita, *auro tereti*, in fila ducto, *crinem* (quod magis poeticum, quam *crines*. Broukhuf. ad Prop. 1, 2, 3.) non *fubnectitur*, (Virgil. Aen. 10, 138. *molli fubnectens circulus auro*) *fidereos* diuinos *diffufa finus*, quod ego adceperim vel de laxo et male cincto amictu, vel de laetitia, cui fe antea dederat, perpetua, Graeco διαχεῖσθαι, noftro: *fich zerftreuen;* 104. *eadem*, fed quam diuerfa ab illa! *effera* et *ingens* (quo vocabulo pro *terribili* non vno loco vfus eft Virgilius, v. c. Aen. 9, 598. *ingentem fefe clamore ferebat*) *et maculis* liuore? *genas fubfecta* diftincta, (v. 1, 821.) *virginibus Stygiis* Furiis *fimillima* (κατὰ) *pinum fonantem*, vibrata face, *nigraque palla*, vefte talari. Quae Deae imago horroris plena Valerii noftri, vti Statiana Thebaid. 5, 61-64. an fatis digna Venere fit, de eo acute contra Spencium difputantem vide *Leffingium* in *Laocoonte* p. 97-101.

107. *Dies aderat*, *qui fuderat Thracas*, poet. pro: quo victi fuerant Thraces. *Dux Lemni*, *Codrus* fine dubio v. 136. obcurrens *puppes tenui canna contexere aufus*, et *inducto tergo* pellibus *cratem*, interiorem nauem viminibus textam *defendere* ab aquis ingruentibus. Naues putat coriaceas, quibus et olim Babylonios vfos effe narrat Herodotus 1, 194. barbaras etiam nunc gentes vti docent Itineraria. vide *Forfter Bemerk. auf feiner Reife um die Welt* p. 397. Plura dabit *Scheffer de militia nauali* p. 33-110. Deuictis igitur Thracibus rediens dux, fignis victoriae e longinquo datis, litori iam admouet naues, feminis armentisque plenas, et veftibus et torquibus, *infignibus loci*, quibus Thraces, nobiliores in primis, ornare fefe folebant.

115. Venus interea *piceo per fudum* ferenum coelum *turbida nimbo praecipitat*, Virgil. Aen. 10, 634. agens hiemem nimbo fubcincta, Deamque Famam inftigat, vt Lemniis vxoribus perfuadeat, fore, vt mariti redeuntes,

prioribus repudiatis coniugibus, captiuas in matrimonium ducant. — Famae imaginem iam pingit poeta, quae, vti Virgilianam Aen. 4, 173 ſq. ſublimi dignitate non adtingit, ita nec luxuriantis ingenii, vti Ovidiana Metam. 12, 24 ſq., naeuos habet. *Famam* igitur *vagam*, non certo loco conſiſtentem, *inueſtigat* Venus. Iupiter *digna atque indigna*, leuiſſimi aeque ac grauiſſimi momenti res, *canentem* propalantem, *ſpargentem metus*, *placidis* eam *regionibus aetheris* Olympi *arcet; fremens*, vociferans, omnia turbans, habitat *ſub nubibus imis*, inferiori in aere terrae propiori, *non Erebi*, *non diua poli*, nec ſuperis, nec inferis Diis adnumeranda. *Terras fatigat*, alium ex alio rumorem excitat, *qua datur*, (ſic dedi pro *quas*, *datur*, iubente Bononienſi, et adſtipulante Ruhnkenio, v. Burmannum Sec. ad Propertium p. 354.) vtcumque et vbicumque poteſt, *audentem*, mira, incredibilia narrantem, *primi ſpernuntque fouentque*, qui primi audiunt, alii neglegunt adeoque irrident, alii cupide adripiunt audita, mox *omnes* agit. Adcedentem Deam *videt prior*, oculis enim quaquauerſum vagatur, *aduolat vltro*, non vocata, *inpatiens*, conueniendi cupidiſſima, *iamque* eminus *ora parat*, *iam ſuscitat* adrigit *aures*.

126. Hanc magis inpellit Venus, et *vocibus inplet*, vrguet iuſſis. (Sic v. 167. *voce et queſtibus inplent Deos.*) *Vade*, age, pete *Lemnon*, et cunctas *verte* perturba *domos*, vti ante bella ſoles, vbi omnia in maius *fingis* — *mille* tubas, armata per campos *agmina*, *innumerorum equorum flatus*, hinnitus. Nuntia vxoribus, mox adfore maritos, *Threſſas* tori ſocias ſecum ducturos. Hoc igitur tu age, reliqua perficiam ego.

135. Dicto audiens Fama *gaudens* intrat vrbem primamque in proximis *Codri* aedibus adpellat *Eurynomen*, *exeſam* tabeſcentem *curis*, *caſtumque cubile ſeruantem*, deſiderium abſentis mariti ſolantem eo, quod *velleribus fatigaret famulas*, fila deducere iuberet adeo per noctem, *inſomniaque* varios belli diuturni caſus narrando fallere. De his ad colum ſedentium puellarum narratiunculis vide Virgil. Ge. 4, 345 ſq. Ovid. Metam. 4, 36 cet.

141. Huic Dea *lacrumans*, *Neaeram* (cognatam ſine dubio aetate prouectam) veſte et facie ſimilans, *icta genas* (*icta* audacius dictum. *Wakefield* in Siluis crit. P. 2. p. 12. ex codice Oxonienſi adfert *laeſa*, laniata, *genas*. Nec hoc placet, et malim cum *Schradero* ad Muſaeum p. 243. *ficta*;

vultu ad feueritatem, miferationem compofito). *Vtinam laetior tibi effem nuntius,* (pro *nuntia,* dubito, an recte, vix enim alio exemplo firmari poffit. Facillimum, fi cum Burmanno legas *effet*) fed maritus tuus *fic* tam bene *meritae,* dum *votis* eum *fletuque requiris,* infano, feque teque *indigno* amore captiuae tenetur, eique *famulatur.* Et, quod magis mireris, *non forma, non arte colus,* nendi, acu pingendi, texendi, *non laude pudoris* et verecundiae *tibi par,* nec quae ad nobiles auitos genus referat, vti tu, *proles magni praeclara Dorycli,* cuius nominis Phoenicis et Caffiopeae filium habet Scholiaftes Apollonii 2, 178. *fed picta manus vftumque mentum,* notae Threiciae (Cicero de Off. 2, 25.) manibus genisque inuftae, (v. paullo infra) placere potuerunt marito. Nihil profecto omifit maledica, quod ad inuidiam valere poffet faciendam.

151. Tu tamen eo fortaffe temet folaberis, quod *thalamos in aliam domum fataque meliora transferas,* alium tibi maritum, eumque melioris notae quaeras; doleo tamen liberos tuos, *pellice damnatos,* quos pater ipfe in pellicis gratiam negleget. cf. ad 1, 70. — 154. *Transuerfa tuentem* oblique et contemtim defpicientem cerno nouercam, *letalesque dapes infectaque pocula,* cibum potumque venenatos; nam lurida terribiles mifcent aconita nouercae Ovid. Met. 1, 147. — 156. *Scis fimile vt flammis fimus genus,* quam irritabiles fimus, quamque facile ad iram inflammemur feminae, (ingenua profecta confeffio!) quid igitur timendum a *Daha* Scythica *femina,* cui *patrium,* patrius mos eft, *faeuire,* quae *lacte ferino,* equino praefertim, vti et nunc Tatari, pro potu vtitur, *gelu durata* inde a iuuentute, in mitiores plagas noftras venit. — 158. Me ipfam manere eamdem fortem audio, et meos thalamos occupabit *virgata,* ftigmatis compuncta, (tältowirt, de quo more vide Wefleling ad Herodot. 5. p. 374. et *Beckmann* kleine Anmerk. Stück 1. p. 69.) vfto mento (v. paullo ante) et *plauftro,* quo vtebantur Thraces Nomades, *derepta.*

162. Relicta Eurynome pergit ad alias domos; mox totam vrbem fama perfonat, maritos, eiectis in exfilium coniugibus, cum Threffis res habituras. Obuia quaeque *eadem traditque auditque,* noui quid alteri adferre geftiens, idem tamen ab altera audit, *neque vlli vana fides,* omnibus vera effe, quae narrarentur, credita. — 167. *tum voce Deos, tum queftibus inplent,* fatigant. cf. v. 126. —

168. *oſcula toris* poſtibusque ipſis *ingeminant*, cf. 1, 710. Virgil. Aen. 2, 490. *amplexae tenent poſtes, atque oſcula figunt*, nec poenitebit comparaſſe Livium Albanorum, vrbem ſuam relinquentium, abitum narrantem 1, 29. — *lacrumis iterum viſuque morantur*, denuo lacrumantes ſemel adhuc reſpiciunt. — 171. Vincit tamen furor, non amplius curant penates, *proſiliunt, adglomeratae nudis ſub aſtris*, ὑπαί-θριοι, ſub dio conglobatae noctem tranſigunt, cf. 8, 454. *acuunt* augent *fletus*, ac *dira coniugia* et *Stygias taedas* Furiarum, pro nuptialibus, faces maritis inprecantur.

174. His ita plorantibus, plorans et ipſa, *Dryopes*, matronae ſine dubio Lemniae, imagine adſumta, *has inter medias* (pro media inter has) inmiſcet ſeſe Venus. Vtinam, inquit, nata in Sarmaticis terris eſſem, *triſtibusque ſub pruinis* coelo frigidiſſimo *plauſtra ſequerer*, Nomadicam vitam agens, *aut iam patriae vidiſſem per ignes culmen agi* faſtigia tectorum ignibus in aera rapi, (Virgil. A. 4, 670. flammae furentes culmina perque hominum voluantur perque Deorum,) *ſtragemque Deum*, a Diis inmiſſam caedem — quid enim deeſt, niſi hoc? quum *cetera belli* mala, diſcrimina patiamur. *Mene, me*, inquam, ingenuam *amens* maritus *nouis* indignis *ſeruitiis deſtinet*, aut relictis liberis vrbe expellat? — 182. *Nonne* enſe armemus et igne manus, *nonne magnum aliquid ſpiret*, inhiet audaci facinori *amor* laeſus? His dictis vim addit igneos oculos torquendo, furor maternam adeo pietatem vincit, *praecipites excuſſit ab vbere natos.*

186. In furorem et deſperationem (nam τὸ *ilicet* in re deſperata vſurpant poetae) actae mulieres dolorem tamen cordibus premunt, ſimilant laetitiam, templa exornant, hilariter excipiunt aduenientes maritos, domos menſasque petunt, epulantur, ſua cuique *furens feſtinaque* (recte, non *infeſta*, quod Marklandus et Frieſemannus volunt: nam ira, etiam tacita, omnia deproperat) *adiacet*, adcumbit, prope ſedet, non tam coniux, quam Furia, qualis *inferni ſub nocte barathri*, in Tartaro *iuxta Phlegyam*, Ixionis patrem, qui praeter alia ſacrilegia Apollinis templum incenderat, *et Theſea*, qui Plutoni Proſerpinam abducere tentauerat, (Περσεφόνης μνηστευόμενον γάμον Apollodor. 2, 5, 12.) *Tiſiphone* adcubat, *ſaeuasque dapes et pocula*, qualia in Tartaro ſolent adponi (*tormenti genus*) — quam parentheſin Virgilio ſublegit Aen. 8, 486. — *et nigris amplectitur hydris.* Totus locus adumbratus ex Virgilio Aen.

6, 618. vbi v. Heynius et Meziriac ad Ovidii Heroid. T. 1. p. 417.

196. Redit iam vera Venus e coelo, coeptum opus perfectura, ſed redit vt Dea, eoque terribilior. *Quaſſans vndantem* (vox ſollemnis poetis de fumo, flammis cet. ad vndae inſtar exſurgentibus) *turbine pinum*, *adglomerat tenebras*, denſa nube ſe inuoluit, *deſilit*, greſſibus inmenſis properat in Lemnum, *nimbis et luce fragoſa*, fulguribus e nubibus cum fragore emicantibus. *proſequitur polus*, Iupiter ipſe in filiolae gratiam intonat, *tonitru pater auget honoro.* — 200. *Furibunda clamores ingeminat* tantos, vt *primus Athos*, cacumina montis, et pontus, et *Thraca palus*, totum mare ad Thracium vsque Boſporum, et *mater omnis toris exhorreat*, lectis horrore perculſa exſiliat, et infantes lacte deſtituti deficiant, *adſtricto riguerunt vbere nati.* — 204. Et quam terribilis eſt, quem Dea ſecum ducit, comitatus! Non contentus paucis, quos habet Homerus Il. 4, 440. Φόβον, δεῖμον, ἔριδα; Virgil. A. 12, 335. Formidinem, Iras, Inſidias, Valerius numerum auget horrendorum ſodalium. Adcelerat *Pavor*, quem cum Timore poetae Martis vel equum, (cf. 3, 90.) vel armigerum vel filium ex Venere ſusceptum (Heſiod. Theog. 933. de quo mytho vide Cl. *Manſo Verſuche* p. 51.) faciunt, et *Discordia* (Ἐρις) e ſtabulis, contemtim, tuguriis, plauſtris *Geticis*, Scythicis, Threiciis, qui rixoſi adeo perhibentur, vt inter pocula etiam decertarent (ſcyphis pugnare Thracum eſt Horat. Od. 1, 27.) — *Irae*, *hirtae genis pallentibus*, horridae et pallidae — *Dolus* — *Rabies* et *Leti maior* terribilior *imago viſa*, *truces exſerta* (exſerens) *manus*. Hi omnes adproperant, *vt prima vocatu intonuit*, diro clamore excitauit, *Mavortia coniux*. Mavortia? quidni *Vulcania*, quod verſus etiam tuliſſet? Sed Martis, alterius coniugis, e conſuetudine crudelitatem contraxerat. Enimvero ſumi etiam poteſt de *ſaeua*, *inmani*, ſi quando laeſum putaret numen ſuum. Graecis aliquando Ἀρεια. Vide tamen Cl. *Manſo Verſuche* p. 149 ſq.

209. Iam vltimum, ſed maxime *tremendum* atque cruentum *orditur nefas:* dum enim videntur ſibi Lemniae audire gemitus et clamores morientium, Dea ipſa inrumpit domos, manu ferens *ora* capita *ſingultantia*, in quibus vis adhuc exigua vitalis ſupereſſe videretur, *adrectis comis*, *recenti tabo* cruore (cf. 1, 816. 4, 749.) *veſtes perfuſa*, inclamat: *En prima reuertor vlta toros*, exemplum vobis

praeiui, agite igitur, *premit dies*, aurora adpropinquat: tum *verbere* feminas in suos quamque thalamos agit, et enses subministrat.

216. Cruentam scenam aperturus poeta praeparat lectorem ad varias scelerum facies caesorumque multitudinem, quibus describendis supersedere posse optat; *o qui me vera canentem*, quamquam verissima narraturus sum, *sistat*, inhibeat, reprimat, *et hac nostras exsoluet* liberat *imagine noctes*, lucubrationes, carmen ipsum, partem carminis, in qua nunc versor, vti Pius et Beckius recte exposuerunt.

220. Feminae inuadunt aditus, ianuas, thalamos, et *cara quondam suorum corpora; pars, vt erant* (ὡς εἶχον) maritos nempe, *dapibus vinoque soporos* ob nimium cibum potumque sepultos somno, in quibus igitur conficiendis nullus labor erat — *pars*, aliae, *magnis cum facibus parata conferre*, conserere, si opus esset, *manus;* et opus erat in nonnullis, quos inueniebant *insomnes et cuncta tuentes*, (quod desumtum ex Virgil. Aen. 9, 245. *vigilantem et cuncta videntem*). Ordo verborum in contexto est perplexior, sensum tamen sic recte expediisse puto. — 224. Vigiles ipsi nec fugere sustinent nec arma capere, adeo *ingentes* praeualidas Diva sistebat vxores, *notaque sonat vox coniuge maior*, (cf. Sil. Ital. 3, 699.) vehementior, quam alias ex coniugibus audire consueuissent. Debebat esse *coniugis*, sed tales translationes non infrequentes poetis. — 227. Nil sibi relictum videbant, quam oculos vt premerent; agmina enim Furiarum videntur conspicere ipsamque Bellonam ensem super capita *coruscantem*, vibrantem. (*Coruscare* sic actiue positum non sine exemplis; vnum excitare sufficiat Virgilii Aen. 10, 651. *strictum coruscat mucronem*.) — 229. *Hoc* ense *et soror et coniux valet, propiorque hoc nata parensque*, interiori necessitudine iunctae filiae matresque, quae ne patribus quidem filiisue parcunt, *toris obpressos mactat, trahitque femineum genus* viros eos, quos nec *Bessi*, iique *inmanes*, nec *Getae* (vtrique Thraces, quos et aliquoties iungit Ovidius in Tristium libris) vincere potuerant, nec *maris irae*. Placet obpositio feminarum inbellium, et inmanium barbarorum; miseret virorum, tam *segni leto* 1, 633. obcumbentium.

233. Manat sanguis in pauimentis, et *anhela* hiantia *in pectore fumant vulnera, luctantur trunci*, sed frustra: *deuoluuntur toris;* feminae partim *diras ad fastigia taedas*

iniiciunt ADDVNT*que domos: pars ignibus* ATRIS *effugiunt propere.* Sic vulgata. Quae quum ſenſum admittat vix tolerabilem, ego auctoritatem Bononienſis, quo Harleſius vſus eſt, codicis, cui etiam Beckius adcedit, ſequutus dedi OBDVNT domos, i. e. obſtruunt. Hanc τοῦ *obdere* ſignificationem Gesnerus in Theſ. h. v. firmauit ex Plauti Caſ. 5, 1, 17. *obdere forem,* et Plinii 6, 11. *obdere fores ferratis trabibus.* Porro pro *atris*, quod languet otioſum, eodem codice ſuadente repoſui *acti.* Sic omnia opinabar clara atque perſpicua eſſe: *Feminae flammas iniiciunt faſtigiis, ſimul vero obſtruunt fores aedium: pars* quidem maritorum *ignibus acti effugiunt*, effugere volunt *propere, ſed dura in limine coniux obſidet* cet. Aliam loci ſanandi rationem iniit Cel. *Iacobs* in Miſc. philol. a Matthia edi coeptis p. 74. qui pro *domos* poni ſuadet *rogos*, quibus occiſorum cadauera abſumerentur. Ingenioſe, vti viri praeſtantis omnia. — 239. *aliae Threſſas*, tam inpii furoris cauſas, inuadunt, *gemitus clamorque precantium vocesque barbarae* aethera perſonant.

242. Sed ſatis diu Deae ſcelera, pace Veneris dixerim! ſcelera feminarum caeſosque indigniſſime viros vidimus: laeti iam ad laetius argumentum poetam proſequimur, ad iuſtis celebrandam laudibus, quae ſola patrem Thoantem ſeruauerat, *Hypſipylen. Quae digna tuis auſibus ora feram*, vtinam ore magna ſonaturo laudes efferre poſſim tuas! Serae eas poſteritati geſtio commendare, *durent Latiis modo ſaecula faſtis*, annales ſuos continuet Latium; *Iliacique lares tantique palatia regni*, quamdiu ſtabit Roma, tanti imperii caput.

248. In eumdem furorem actae natae, matres, coniuges ſaeuierant in viros, totaque iam inſula *ſparſis monſtris* ad eamdem inauditam crudelitatem exarſerat, quum *Hypſipyle, armata* quidem κατὰ *manus*, ſed *pias*, patris amantes, ad hunc properat: *Fuge vrbem, fuge me.* (Placet breuiloquentia.) *Non hoſtis, non laeſi*, vindictam ſumturi, *Thraces* obcuparunt vrbem: *noſtrum hoc facinus, ne quaere, quis auctor*, quod ipſa neſcio. *Iam* illico *fuge, iam dubiae donum rape mentis*, propera, vtere hoc ipſo temporis momento, adceptumque refer hoc momentum dubiae menti meae, quae parum aberat, quin aliarum abriperetur exemplo. 252. *enſem tu potius miſerae retine*, cape tu enſem, tutius tibi committitur, quo miſera ego etiam nunc fortaſſe abuti poſſim.

253. Sic fata amplectitur patrem, caput eius velat, *tacitumque* (hoc Heinsio suspectum, quod paullo post *tacita* sequatur. Sed recte monet Burmannus, non semper mutandas voces, etsi breui interuallo repetantur, hoc enim et Valerio et aliis saepe adcidere. Ita 3, 346. *referre* 5, 161. *arduus* 6, 582. *arma* 666. *miser* cet. quae omnia loca corrigere temerarium esset. Sic Burmannus.) secum rapit ad *Bacchi templa conscia*, quae eum reciperent, tuerentur. (Sic conscius 1, 5.) Non exspectato ipso templi introitu, eminus, *primoque manus a limine tendens, exime, pater Bacche*, clamat, et *miserere rursus piorum*. Thoas ipsius Bacchi filius fuisse perhibetur, patrisque iam antea aliquem expertus est fauorem, de quo tamen nil certi constat. — 257. *Tacita tunc sede locauit sub pedibus dextraque Dei*, quae ego quidem sic intellego: Locauit in sede, vbi non animaduerteretur, nempe in basi, eaque eius parte, quae sub dextra statuae esset. — 258. *latet ille receptus veste sacra*, velaminibus, quae basin tegebant. — 260. *voces chorus et trieterica aera reddunt carmina*. Bis sumas τὸ *reddere*. Chorus reddit voces, et trieterica aera reddunt sonum, hoc sensu: Chori cantantis hymnis adcinunt tympana triennalia, diebus festis, tertio quoque anno in Bacchi honorem celebratis, qui fortasse eo ipso tempore incidebant, quod, quae paullo post sequitur, pompa suadere videtur — *fixae fremunt in limine tigres*, tantus erat sonitus tympanorum cet. vt ante fores stantes aeneae tigrides, (erant enim in tutela Bacchi) et intus cauae resonarent. Aliam postea temporis interpretationem inueni *Wesselingii* in Probabb. crit. p. 62. qui de pellibus tigridibus detractis adcipit, quae ventilatae strepitum concitarint. cf. infra 276.

261. *Regina*, filia regis, vti passim infra Medea, vt *Auroram roseis bigis surgere* (imaguncula poetica) et silentia domibus reddita sensit, nam, quum reliquae feminae insomnem egissent caedibus noctem, nunc somno se dederant, *stabilem quando optima facta dant animum*, conscientia recte et pie factorum fortem facit, patrem in Bacchi morem *sertis, coma*, vestibus exornatum currui inponit, circumsonant *aera et tympana*, praecedunt *plenae tacita formidine cistae*, quibus non vulganda religionis Bacchicae arcana erant inclusa. — 267. Hypsipyle ipsa Thyadis habitum induit, *hederis famularibus*, quasi sacerdos, famula Dei, *ligat artus*, *pampineamque hastam*,

thyrſum *ventoſis ictibus*, vt per aera maior flamma excitaretur, *quatit*, vibrat. — 270. Iam vero ſemel adhuc patrem luſtrat, an perſonam Dei ita recte per omnia acturus ſit, an *velatus ſatis*, ne adnoſceretur, *habenas virides*, hederis inplexas, *teneat*, an *niuea tumeant cornua mitra*, cornua (cf. Horat. Od. 2, 19, 30. Ovid. Faſt. 3, 790. Arte am. 1, 232.) e mitra candida promineant, et *ſacer an Bacchum referat ſcyphus*, an rite atque decenter manibus tractet poculum *cantharum*. Sic debebat eſſe; nam ſcyphus Herculis potius, cantharus Bacchi et Sileni fuit, nec niſi forma differebant. cf. Heyne ad Virgil. Ecl. 6, 17. et quos laudat Ruperti ad Sil. Ital. 7, 197. — 272. Tum demum *validas* robuſtas *templi fores acri ſtridore* magno cum ſonitu *inpulit*, aperiri iubet, *pompam* non ducit, ſed *rapit* per vrbem, ne pia fraus pateat, ita canens. Linque, Bacche, vrbem tuam, quae caedibus te ſeque contaminauit — patere, vt *ponto*, aqua marina, quam veteres credebant vitia etiam animi abluere, *expieris*, et *referam lotos in tua templa dracones*. Dracones explicat Carrion de ſignis, vexillis in Bacchi templo, nec meliora habet Burmannus. Equidem Carrioni adceſſerim, ita tamen, vt formam draconum non habuerint iſta vexilla, ſed notio tantum volitandi ſpectanda ſit, et reuera pelles tigridum intellegi debeant, quo firmaretur Weſſelingii ad v. 260. memorata interpretatio.

277. *Sic medios egreſſa metus*, inſtantia, ſi ſimilatus Bacchus deprehenderetur, pericula quum euaſiſſet, *facit ipſe verendam Deus*, et *flatu non inſcia gliſcit anhelo*, ipſa ſentit, ſibique placet, ſuperbitque diuino acta adflatu. cf. 3, 632.

280. *Iamque ſenem tacitis obculerat* (licentia poetica pro *obculuerat*, niſi malis legere *obcultat*) *ſiluis*: ipſam tamen *Pauor* et *fraudata Erinnys*, cuius furorem irritum fecerat, *turbant*, nec auſa fuiſſet (*nam ſemel Orgia fallunt*) ſimilata Bacchi pompa cines fallere denuo, immo timida fuit adeo, vt ne *furtis* quidem (non eſt, quod reponas facilius et vſitatius *furtim*, nam infra 8, 228. itidem eſt *furto*) ad patrem in ſilua viſere ſuſtineret, miſerum ſibi ipſi commiſit, *et fuga diuerſas miſero quaerenda per artes*, vt ipſe aliquam fuga vitam ſeruandi rationem comminiſceretur.

285. Interea tamen Hypſipyle ratem conſpicit *ſaeuae defectam*, defunctam, *laboribus vndae*, quam *Thetidi Glau-*

coque repoſtam, dedicatam, (nam opifices, nautae, artifices inſtrumenta artis Diis vouebant, cuius moris exempla innumera habet Anthologia Graeca et Latina) *longinqua dies*, plures fortaſſe anni, *ſolibus*, aeſtu ſolis, et *canis*, (epitheton ornans) *pruinis luna vrebat*, (vrunt enim poetis omnia, quae nocent, ipſumque frigus). Ad hanc igitur nauiculam nocte concubia patrem e ſiluis rapit: heu tibi, care pater, patria relinquenda eſt, tanta tamque laeta pube nuper frequens, *quanta modo linquis inanes pube domos!* Sed, quid agam, neſcio. *Taline*, tam fragili *credam puppi? an retineam tantis periculis*, quae in patria manenti immineant? *Soluimus heu ferum Furiis ſcelus?* Mire hic variant et codices et interpretes. Retinui, quam Burmannus dedit, lectionem, Gronovio adcedens, in Obſeruatt. p. 6, 8. ita fere interpretanti: Sic igitur, quamquam ſero Furiis cedere et mortis tibi cauſa fieri debeam eo, quod tam fragili putridaeque naui committam? — 295. *Tibi, Luna, quae ſoporiferas nunc trahis aequore bigas* (cf. 3, 415.) *patrem commendo, nec dite ſolum*, frugiferas terras, *non regna*, hoc ſaltem peto, vt ſoſpes patriam euadat. *Quando ego ſeruato mediam genitore per vrbem laeta ferar?* vtinam mox tempus adſit, quo de ſeruato patre laetari per vrbem poſſim! *quando hic lacrumas planctusque videbo?* vtinam reliquas feminas mox poenitentiam facinoris ſui lacrumis teſtari viderem!

300. Sed quid pater? Ille *anxius procul fugit alno trunca*, naui lacera et vix cohaerente, *Taurorumque locos delubraque ſaeua Dianae*, in Cherſoneſum Tauricam, vbi hoſpites Dianae immolabantur, delatus eſt. Nota haec ex Iphigeniae, Oreſtis et Pyladis hiſtoria. Diana igitur, Hypſipyles precibus mota, aduenam Thoantem enſe dato ſacerdotem ſibi facit, *nec mora terris tibi longa cruentis*, quae non ad Thoantem referenda, quem in Chio inſula deinde domicilium poſuiſſe narrant nonnulli Mythologi, nullus autem in Italiam migrare iuſſit, ſed ad Dianam ipſam, cuius ſtatuam Oreſtes et Pylades in Italiam transportaſſe feruntur. *Mora non longa* Valerii noſtri non admodum tamen premenda, nam aetas Oreſtis ab Argonautis prope centum annis diſtat. v. Meziriac ad Ovidii Heroid. 2. p. 4¹. Hoc igitur in ſequentibus ipſe confirmat poeta. *Iouem* ait praeuidiſſe tempus transferendae *Dianae, iam te ciet altus ab Alba*, ab Albano monte, *Iupiter* Albanus, Latialis, inuitat in viciniam, *in nemus Ege-*

riae, ex hiſtoria Numae notiſſimae, vrbemque *Ariciam*, *ſoli non mitem regi.* Quod quomodo intellegendum ſit, optime docet Pauſanias in Corinthiacis c. 27. p. 180. ed. Facianae. Hippolytus nempe, Theſei filius, dolis nouercae a patre pulſus et ab equis conſternatis curru deiectus, miſere quidem perierat, ſed ab Aeſculapio in vitam reuocatus noluit ad patrem deſiderantem et deprecantem reuertere, ſed ſedem coulocauit in Italiae vrbe Aricia, vbi templum erexit Dianae, in cuius nemore certamina inſtituit ſeruorum fugitiuorum ſingularia, eumque, qui ſuperior disceſſiſſet, ſacerdotem et *regem* (Rex Nemorenſis Sueton. Calig. 35.) eſſe voluit, donec ab alio vinceretur. Haec igitur eſt Ariciae in regem crudelitas.

306. Hypſipyle, interea in vrbem reuerſa, turbam mulierum congregatam, tumultuantem, ſedes parentum, filiorum, maritorum occupantem obſendit. *Vacuae*, vt otium fallant, *iura nouant*, nouas ſibi leges ſcribunt, nouam regiminis formam inducunt, Hypſipylenque ſolio patris inponunt, *vt meritam* quaſi meruiſſet, verius tamen a Diis ipſis ita ordinatum, vt ignaris reliquis feminis praemium pietatis in patrem ferret, *redeunt piae ſua praemia menti.*

311. Ecce vero procul nauem viris armatam inſulae adpropinquantem conſpiciunt — regina ſubito arceſſitur — concilium vocatur — furor *inprobus* inmanis, mentibus adhuc inſidens, telis ignibusque contra ire inpellit, ſed *Vulcanus* ipſe *ſaeuas Veneris iras frangit*, non admodum blandis ſine dubio verbis, increpans eam compeſcit atque in ordinem cogit. — 315. Acceſſit, vt mitiora conſilia ſuaderet, etiam *vates Phoebo dilecta Polyxo*, quam Apollonius 1, 668. Hypſipyles nutricem fuiſſe ait, prae ſenio ſubclaudicantem pedibus curuis, baculo firmantem gradus, et egregie promtam loqui, (ex verſione Carrionis) *non patriam, non certa genus*, quae cuiatis eſſet, quam patriam, quos parentes habuiſſet, nemo dicere, fortaſſe nec ipſa poterat: (cf. de hac vetula etiam Spanhemium ad Callimachum p. 797. ed. Erneſti et Hermann mythol. Handb. 3, 235. 238.) *ſed maxima Ceto Proteaque ambiguum Pharii ſe patris ab antris huc rexiſſe vias*, e quibus verbis ſi quis ſenſum elicuerit, totam Polyxo, quanta quanta eſt, vel, ſi mauult, Phyllida aliquam ſolus habebit. Sequutus igitur Cel. Beckii p. 264. auctoritatem mihi grauiſſimam, Burmanni emendationem eo promtius in textum recepi, quo facilior ea eſt ad ſenſum, et Codicibus adeo firmatur.

Sic igitur repoſuit Burmannus: TE, *maxima Tethys, Proteaque ambiguum Phariis* REFEREBAT, (hoc enim, vel aliud eiusdem ſignificationis verbum neceſſario requiritur) *ab antris huc rexiſſe vias.* Iam vero plana omnia et ad intellegendum facilia. *Tethyn maximam*, Dearum maris antiquiſſimam Polyxo narrat *cum Proteo ambiguo*, qui, quamcumque vellet, formam induere poſſet, *ab Phariis antris*, Niloticis Aegypti *huc rexiſſe vias*, mare circa Lemnum inſulam ſedem ſibi elegiſſe. Filius nimirum Tethydis fuit Proteus, cuius in gratiam mater etiam in hanc regionem migrauerat. — 320. Horum numinum gratiam atque familiaritatem iactans anicula ſaepe ſe condit aquis, paullisper morata emergit, et, quae ſub aquis audiuiſſe fingeret, narrat. Sic itaque et nunc fecit: *portum demus*, ait, *hoſpita* amica *venit pauis*, *leuior* propitius aliquis *Deus huc flexit Argonautas. Venus ipſa volens* lubens *dat tempora iungi*, matrimonia noua iubet inire, *dum vires vtero maternaque ſufficit aetas*, dum venter adhuc partumeius, prius quam effetae fiatis.

325. Dicta placent. *Iphinoe* a regina ablegatur ad Graecos, *nec turba nocens ſceleriſque recentis ſigna mouent*, Argonautas nempe, qui nec multitudine feminarum truculentarum, nec nuperae caedis ſignis absterreri ſeſe paſſi ſunt ab eſcenſu, nam *ipſa Venus loci timorem abſtulerat.*

329. *Protenus ingentem taurum procerum ſub nomine deiicit*, mactat. (cf. 1, 191.) Sed quis? Hypſipyle, an Iaſon? Iuſto breuior eſt omnino hoc loco Valerius, et verba *procerum ſub nomine* obſcuriora. Quo factum, vt interpretes vel Iphinoen, vel Polyxo, vel Hypſipylen, quae Iaſoni taurum miſerit, intellegerent; mihi vero adridet magis *Pierſoni* Veriſimil. p. 201. coniectura, legentis: *procerum* DVX *nomine*, Iaſon igitur ipſe ſuo et reliquorum heroum nomine taurum ferit, *et hac prima Veneris calet ara iuuenca*, quae prima poſt longum temporis ſpatium hoſtia fuit, quae Veneri obferretur.

332. Venit Iaſon, Hypſipyle comitante, ad rupem, in qua Vulcani erat officina, quam hyperbolice, pulcre tamen, ita pingit Valerius: *cuius pendentia ſaxa nigris fumant iugis, coquiturque vaporibus aer.* Subſtitit admirabundus Iaſon; at regina, haec, inquit, Vulcani domus: vina igitur libes cum ſociis tuis, et preces fundas. Mirum tibi fortaſſe videatur, *quod factum* abſolutum *taceat iam fulmen in antro*, quod ſileat officina, et vacet ab fulminibus

cudendis; ſed exſpecta noctem, *nox dabit fidem*, et *clauſae cum murmure* crepitantes *flammae*, et *incuſſae maſſae* ferri in incudibus *ſonitum mirabere*.

340. Interea dum vrbem, agri vbertatem, maiorum potentiam *iactat* Hypſipyle Iaſoni, famulae *expediunt* parant *conuiuium*, *lectosque* ſternunt veſtibus purpureis, *Tyrio vibrat* coruſcat *torus igneus oſtro*. *Stant Threſſae* mulieres captiuae, *atauos reges regesque maritos moerentes*, filiae, neptes, coniuges regum et magnatum, iam miſerae miniſtrae ſeruaeque, *quaecumque faces timuiſſe iugales credita, nec dominae ſanctum tetigiſſe cubile*, quibus pepercerant Lemniae, quod maritos noluiſſe conrumpere comperiſſent.

346. Iam adcumbunt, in medio Iaſon et regina, poſt reliqui *proceres*, et Argonautae, et Lemniae matronae; *ſacris vincitur* ſedatur *extis prima fames;* prima obponitur dapibus ſequentibus, iam minutulis viſcerum hoſtiae partibus veſcuntur, *circum pateris* (nondum poculis) *it Bacchus*, libationis cauſa in orbem ibat patera, ex qua paullulum vini et ſorbebant, et effundebant, *omnis aula ſilet*, quoad duraret libationis religio. (cf. Virgil. A. 1, 729-738. vbi itidem et pateras et libationem et ſorbitionem et ſilentium inuenies.) — 349. Tum demum iuſtae *dapes coeptae*, fercula larga adpoſita, quae iucundas inter confabulationes in ſeram noctem protrahuntur. — 351. Hypſipyle in primis caſus miratur Iaſonis, diligenter omnia exquirit, *quae fata trahant, quae regis agat vis*, (malim cum Burmanno *quo*, quo nimirum tendat, quae meta ſit itineris) *vnde molem Haemoniae ratis*, vnde tam magnam, tam egregiam Theſſalia adceperit nauem, *vnius adhaeret adloquio*, tota pendet ex ore narrantis, et *blandos paullatim conligit* concipit *ignes*, *iam non dura toris*, *Veneri nec iniqua reuerſae*, non aſpera, immo promta et parata coniugio, vt in gratiam Veneris nuper reuerſae quam primum ſeſe inſinuaret.

356. *Et Deus ipſe*, *Iupiter*, (vti in antecedentibus Virgilii Aeneas et Dido ob oculos verſati ſunt Valerio, ita et hic, quam tempeſtatem apud illum, vt ſpeluncam Dido dux et Troianus eamdem deuenirent, inmiſerat Iuno, nunc, vt Iaſon diutius commorari poſſet in Hypſipyles amplexibus, mouere poeta noſter iubet Iouem) Iupiter igitur ipſe *fauet amori:* nam *lege poli* (cf. 1, 213. et Columellae v. 219. *foedera coeli*) *aeternum voluens opus*, ex conſti-

tuto ab initio rerum aequali et eodem semper ordine recurrente siderum motu *Pleiadas astro nimboso* insserat oriri: *vndis cuncta ruunt* inundari videntur, *vnoque Dei sub ictu*, superciliorum motu? *Pangaea* (iuga) mons Thraciae, *Gargaraque* montis Idae pars, *et moesti steterant formidine* horrore, metu nubium, quas atras cogi viderent, *luci*. — 361. Tempestas oritur, qualem vix vmquam mortales viderant, et vrguente quidem et *flagitante Astraea*, quae, ex quo vitiis hominum irata *terras reliquit*, non desinit *adsiduo questu Saturnia sidera* (sidera sic saepe de vno astro apud poetas, v. c. sidera Solis Ovid. Met. 14, 172.) Capricornum, pluuiis famosum, *inuocare*. Venti debacchantur per mare Aegaeum, fluctusque decumani litoribus adliduntur. — 367. *Et lunam quarto densam videt imbribus ortu*, quarto adeo die lunam nubibus obumbratam videt *Thespiades* Tiphys, *quem longus coeptis et fluctibus metus arcet*, diuturna plurium dierum tempestas ab itinere per maria prosequendo retinet. Argonautae autem *ad Divae melioris* iam propitiae *ignes nouos* amores, amatas *sedent vacantes*, desident otiosi, *viduis indulgent thalamis* viduarum amplexibus, *nimbos* dies hiemales *luxu educunt* transigunt, (cf. 1, 251.) *nec iam velle vias*, nollent, etiamsi possent, in itinere pergere, *Zephyros* secundiores ventos audiunt flantes, sed andire dissimilant.

373. Hoc amplius ferre non potest *Tirynthius heros* Hercules. v. Ind. *ipse rati inuigilans* atque *integer vrbis*, vrbem non intrauerat, ideoque luxu in ea dominante non abreptus. cf. omnino Apollonium 1, 855 sq. Quid? ait, inuident fortasse Dii tantum mare adortis? Non ideo domus deseruimus, vt *tempore segni* desidia atque luxuria consumto *vota parentum fraudemus*, inrita faciamus? Quin et *ipse* (Graecorum αὐτὸς, *Hauptperson*) dux noster Iason inter cunctantes sit? O miseri, qui te ducem sequuti sumus! Phasin, Aeeten, Scythici ponti pericula *redde*, promisisti enim, (sic saepe reddere v. c. 7, 427.) *solus amor rerum* gerendarum *in mare me traxit*, vbi spem mihi videbam excitari *Cyaneas sistendi* petras, *vigilemque alium*, vti antea in Hesperidum hortis, *spoliandi draconem*. *Si sedet* animo infixum, *Aegaei scopulos* (contemtim) *habitare maris*, *hoc*, velleris aurei expugnationem, *mecum Telamon peraget meus*.

385. Tam amaris monitis Iason haud secus incitatus, ac *equus bellator* bellicosus, *quem frigida* otiosa *terra*

longa pace iuuat, qui *breuis* palis adligatus, ne latius in aliena pafcua exfpatiari poffit, (pro *palis* Horatius in itinere Brundifino Serm. 1, 5, 17. habet *retinacula*) *ideoque piger*, pigritiam contraxit, et *in laeuos angitur orbes*, quod equorum effe dicitur, qui difciplina nondum adfuefacti funt, vel dedidicere, dextro pede prius quam finiftro vti in procedendo. Ipfi, fateor, mihi non facio fatis in loco tam intricato, quem non vna premit difficultas. Aliam alii viam ingreffi funt. „ Inl. *Heynius* in Obff. ad Tibullum 4, 1, 91. p. 192. ed. fec. iungi iubet: *Terra iuuat breuis* h. e. exigui campi pafcua. *In laeuos orbes piger angitur*, h. e. longa defidia fractus, fi quis infederit, vix ad naturalem flexum ei ille obtemperet. — 389. *frena tamen dominumque velit*, vt primum clamorem bellicum tubamque audit — 390. Itaque Iafon, vti antea equum defidem, ita nunc denuo alacrem imitatur, *Argum Tiphynque vocat*, et ad abitum omnia iubet parari.

393. Nouus inde in vrbe dolor exoritur, *facies planctus antiqua*, eadem, quae antea triftitiae figna; *fibi*, magno malo fuo vrbem denuo *linqui*, defertam fore, *ecquando* aliquandone *natorum tempora, gentem qui recolant*, ventura? fic euanefcere fpem filiorum, qui fubolem ciuium reficiant. Iam faeua illa nox, qua maritos interfecerant, *thalamique filentes* ob oculos verfantur, et poenam fe daturas, quod *excuffa vincla* coniugii *denuo induerint*, nouasque inde curas atque moleftias contraxerint.

400. Hypfipyle ipfa ingemit, et blandis verbis folicitum de Iafone animum promit. *Iamne primo fereno*, vbi vix ferenitas aliqua coelo emicuit, *deducere*, demittere, *vela* cupias, care, *carius adeo patre* caput? — 405. *Sic portus fugeret ratis*, num ita ex portu properares, fi tempeftas nimbofa in litore Thraciae te obpreffiffet? — 407. Ergo *foli coelo* et *hiemi*, non amori adceptum referam, vt ad nos deuerteris? — 408. Sic lacrumans *promit chlamydem textosque labores*, chlamydem acu pictam, *dona haefura* in fui memoriam a Iafone geftanda. Xenia eiusmodi v. ap. Homer. Odyff. 15, 115. Virgil. Aen. 5, 535. Ovid. Metam. 13, 679. etc.

410. *Acu nempe prefferat* expreſſerat, pinxerat *genitoris confcia facra*, templum Bacchi, in quo patrem condiderat, *curruque pios*, pietatis teftes, *ftant faeua pauentum agmina* mulierum Lemniarum, *dantque locum* via decedunt: *viridis filua* ex pampinis *circum horrida tela*

thyrſum, quam Thyadis perſonam agens geſtauerat, *tremit*, tam ſubtiliter picta eſt, vt tremere videatur: *mediis refugit pater anxius vmbris* ſiluis. Commodior ſenſus exſiſteret, ſi vna literula abiecta pro *viridis* legas *viridi*, vti Heinſio viſum eſt. *Tela* (in) *viridi* tremit horrida ſilua, in cuius medias vmbras pater anxius fugit.

414. Altera pictura referebat *inluſtrem*, famigeratiſſimum illum *pueri* Ganymedis *ex Ida frondoſa raptum: mox aethere laetus adſtabat menſis* Deorum, Iovis pocillator; quin et ipſe *Iovis armiger* aquila, *a Phrygio miniſtro iam*, antea enim raptori iratus fuerat, *pocula blanda adcipit*. Gemmam, in qua ita paſcit aquilam Ganymedes, acri inciſam dedit Lippertus Dactylioth. P. I. p. 22. cf. Spanhem. ad Iuliani Caeſares p. 70. Tria haec, ad Ganymedis hiſtoriam pertinentia, quum fieri non potuerit, vt vna eademque areola exhiberentur, pro parergis et in fugam vacui Hypſipylen ſingulis maiorem illam picturam circumdediſſe exiſtimauerim. Idem fere placuiſſe video Cl. *Lenzio* in *erklär. Anmerkungen zu den epiſchen Dichtern der Römer* p. 297. qui et gemmam laudat Stoſchianam exhibitam a *Schlichtegrollio* (Abbildungen Liefer. 3. n. 32.)

418. Chlamydi donum adiungit aliud *enſem, notum ferens inſigne Thoantis*, cuius capulo inſculpta eſſent, quae ad familiam Thoantis ipſumque ſpectarent, qui tibi *ſit* (ſic repoſui pro *ſim*, quod ferri poſſit, ſi interpreteris: ego, i. e. memoria mei tibi ſit comes; ſed nimis coactum) *belli pugnarumque comes*, quem pater ab *Aetnaeo Deo*, Vulcano, (ἄναξ Αἰτναῖος Euripid. Cycl. 597.) olim dono adceperat, nunc te dignus. I memor terrae, quae te *quieto ſinu* prima et amice excepit, et a Colchide redux iterum ad nos deuerte, idque peto per pignus amoris, *per hunc, vtero quem linquis Iaſona* paruulum *noſtro*. cf. Apollon. I. 898. Quid vis, vt agam puero, *ſi quem* cet. et Virgilii Didonem 4, 327 ſq.

426. Nec ſine lacrumulis dimittuntur ab aliis feminis *Orpheus*, *Aeacides*, h. l. *Peleus*, nam Telamonem et ipſum Aeaciden cum Hercule in naui remanſiſſe vidimus v. 384. et *Caſtor*.

428. Has inter lacrumas *piger* diu otioſus *vncus* ancora *harenis legitur*, ſoluitur, et remi et venti inpellunt nauem, *ſpumea ſubſequitur fugientis ſemita claui*, gubernaculum celeri motu ſulcum trahit per mare ſpumans.

432. Tunc *Lemnos tenuis*, ita vt tenuis fieret, minor nauigantibus fieri videretur, euaneſcit ſenſim. et *Electriam terram* ab Electra, Atlantis filia, ſic dictam, *Threiciis arcanam ſacris*, Samothracen legunt. Hic *numinis ingens horror*, religio horroris plena, et *incautis decreta piacula linquis*, graues poenae manent eos, qui temere euulgarint myſteria. — 434. Haec inſula tota inmunis eſt ab omni tempeſtate; tum demum *Deus* (Dii, Cabiri) *vndas aſperat*, fluctus mouet, quum *infidos nautas* litora ſua tangere velle ſentiat. Tales quum Argonautae non eſſent, obuiam ſponte venit ſacerdos *Thyotes*, *excipit terris adytisque*, templo, *reſerat adeo ſecreta*, initiat myſteriis, quae ad artem in primis nauticam pertinuiſſe putantur. v. *Boettiger archaeolog. Muſeum Heft*. 1. p. 67. — 439. *Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque miſſa mane, ſacrisque metum ſervemus opertis*. Sic ed. Burmanniana. Mirum, quantum deſudarint in his Sibyllae foliis expediendis interpretes, quotquot Valerio meo operam inpenderunt, quam tamen luſiſſe omnes videntur. Nec felicior poſt Burmannum fuit *Withofius*, qui legendum eſſe coniicit: *vatem Samothraca reducens, Muſa, mane!* vide *kritiſche Anmerkungen* St. 5. p. 26. Rem, niſi fallor, acu tetigit *Schraderus* Obſſ. p. 21. qui ita refingit: *Hactenus in populos* VATI, *Samothraca, diemque miſſa* VALE. Senſum meis verbis exponere liceat: ſed haec hactenus, ait poeta. Plura de te, Samothraca, (Vocat.) praeter ea, quae mihi, (*vati*) a me in populos diemque miſſa ſunt, quae notiora hominibus facere, in lucem protrahere coeperam, non ediſſeram: pergas arcana eſſe, *vale!* quod firmat Apollonii νῆσος κεχάροιτο 1, 920. Sic igitur in contextum recipere nullus dubitaui. Quae ſequuntur, *ſacris metum ſeruemus opertis* ſatis facilia: plura nunc non addam, ne religionem hisce myſteriis debitam violem. Ceterum, ne et ego ſacra haec arcana profanem, lectores conſulant velim (L. B. de Sancta Cruce) *St. Croix über die alten Myſterien überſetzt von Lenz. Gotha* 1790. p. 41 ff. et *Hermann mythol. Handb.* Th. 3. p. 169 ſq.

441. Luce orta, Argonautae laeti, *plenique Deorum* initiati ad tranſtra redeunt, vrbes antea viſas *condunt*, poſt ſe relinquunt, et meridie in conſpectu habent *Imbron*, inſulam haud procul a Samothrace ſitam. Tunc primum *Theſſala puppis* Argo *Dardaniis harenis adpulit et Sigeo litore ſedit*, peruenit in regionem Troianam eiusque promon-

torium. Ibi in terram escendunt, *pars leuibus candentia velis castra leuat* (locat?) iucunde tuguria velis tecta pinguntur, *pars frangit*, comminuit *adorea farra*, frumenta *tracto saxo*, molis manuariis lapideis: *citum strictis aliis de cautibus ignem ostendit foliis*, alius laetatur, quod celeriter e silice excussum et foliis exceptum sociis possit ignem ostendere, et *sulfure pascit* sustentat *amico*. Epitheton felicissimum! sulfur facile se iungit fomiti, adripit.

451. Hercules et Telamon *dum litora blando anfractu sinuosa*, molli flexu sinuata, *legunt*, *vox adcidit* ferit *aures flebile* (flebiliter) *subcedens*, non tam vox, quam lenis fletus, *ceu* (mel. quod Burmanno placet, *qua*) *fracta remurmurat vnda*, in litore, vbi fluctus franguntur. — 454. *Adtoniti pressere gradum*, leniter incedunt, vacuumque sequuntur vocis iter, nil nisi vocem inanem aera transeuntem (sic vacuus ventus 1, 421.) iam *certa* magis articulata, quam vocant, *sonat* — *quem non* (omnes) *hominum superumque vocat?* Eo acrius instant viri, *subcurrere certi*. Sic, vbi *taurus acerbo gemitu auia campos late inplet* mugitu, *super alta terga leonem morsu* sibi colla *frangentem ferens*, (cf. 3, 589.) *coit e sparsis mapalibus*, casis Maurorum per agros passim positis, *manus agrestium clamore caeco*, incondito, quo, quid sibi velint, ipsi nesciunt. Simile hoc, quatenus taurum sistit, non displicet; sed si adcommodes taurum *mugientem* voci Hesiones *lamentabili*. et agrestium *clamorem* et *caecum* quidem cum actis Herculis compares, tum huic loco non satis aptum inuenies. — 462. Constitit Hercules, *visuque enisus*, oculorum aciem intendens, (in) *rupe truces manicas*, vincula manus constringentia, *defectaque* deficientia, pallida *virginis ora cernit*, et *ad primos turgentia lumina fluctus*, oculos, qui, vt primum fluctus tolli viderent, ad leuissimum aquarum motum, tumerent, lacrumis subfunderentur. — 465. Iam vultum Hesiones moerentis comparat poeta cum statuis et imaginibus, in quibus ebore vel marmore vel penicillo artifices tristitiam expresserint. *Exanimum veluti multa tamen arte coactum* conglutinatum, (vide *Heyne antiquar. Aufsätze* 2, 149.) *moeret ebur*, cf. moestum ebur Virgilii Ge. 1, 480. — *Pariusue lapis* marmor *notas* tristitiae et *nomina* ipsarum personarum moerentium faciem et lineamenta adcurate *sumit*, refert aut *liquidi referunt miranda colores*, pictor viuidis coloribus ad admirationem vsque veras sistit.

468. *Ductor*, Argonauta Hercules propius adcedit, quaerit ex virgine nomen, genus, cur vincta mortique ita exposita sit. Ad quae respondet Hesione: — 470. *non ego digna malis*, nam *suprema parentum dona vides*, quae mihi non dedissent, si quid deliquissem, vides vestes purpureas, auro distinctas, ad tumulum meum honorandum *in scopulis* expositas, suspensas. *Nos Ili veteris quondam genus;* acute monet *Slothouwer* in Actis Soc. Rheno-Traiect. Vol. 3. p. 171. pleonasmum esse in *veteris quondam;* conrigit igitur: *Hi felix quondam. Genus* refero ad Ilum Troiae conditorem, et felices fuimus, *donec inuida Laomedonteos fugeret Fortuna penates.* Sic pie atque modeste, quod patris culpa esset, Fortunae tribuit. Laomedon enim quum Apollini et Neptuno, quos tamen ipsos Hesione non nominatim calamitatis auctores dicit, pactam pro auxilio in exstruendis Troiae moenibus praestito mercedem dare noluisset; Apollo, *coeli temperie*, aere, *conrupta* pestem regioni inmisit tam grauem, vt *certantibus* (exquisite! vix vnus in cineres consederat, quum alter exstruendus esset,) *rogis arderent campi;* Neptunus autem belluam marinam, *monstrum ingens, montibus maius*, et quod vix sinus maris nostri capere videretur, excitauit, cui dedendae essent, iubente sic oraculo (Hammonis), puellae ex sorte, *sortita Lethen corpora*, quae sors mihi fatalis exiit, *crudelis scopulis me destinat vrna.* Verum, sic pergit Hesione 485. si iam *Phrygibus* Troianis *numina redeunt*, fauent iterum, si tu is es, quem auguria nobis praenuntiarunt aduenturum, et quem votiui, a patre pasti, *cornipedes* equi praemia manent, age, me et Troiam nostram *defectam* puellis orbatam *eripe*, *potes enim*, quantum ex robore coniicere licet, egregio amploque corpore, quale nec Neptuni olim, nec Apollinis, quum moenia ad coelum vsque nostra struerent, *iungerent astris*, videre memini. cf. Virgilii Aen. 1, 589. *os humerosque Deo similem.*

493. His virginis precibus Hercules si iungeret totius regionis adspectum *faciem moestissimam* capti et infestati a bellua litoris, tumulos honorarios, cenotaphia puellarum, quae iam antea perierant, *coelumque* graue et pestiferum *vrbi incubans*, tum calamitates in memoriam redibant *Nemeae*, *Erymanthi*, *Lernae infectae* venenatae.

497. Iam signo a Neptuno dato sinus maris mugire incipit, bellua, *Sigea pestis*, ὄλεθρος, pernicies, *adglome-*

rat, ante ſe conglobat fretum, *ſtellantia lumina tremunt* vibrantur *nube glauca* in capite fluctibus obnubilato, et *coeruleo fragore fulminans* (eodem ſenſu, quo de aprorum dentibus vſurpatur) *curua*, recurua, vti Delphinum capita, *ora quatit ordine triſulco*, triplici dentium ordine — *pelago remenſo cauda redit*, longitudine corporis per mare extenſus caudam retrahit, *paſſosque ſinus* ſparſas antea ſpiras *rapit ardua ceruix*, totam corporis molem ſubito in breue ad ceruicem contrahit. Sic belluae et magnitudinem et robur et iram augendo ornat poeta.

503. Sic *per mille volumina incumbentem* pontus comitatur altis *adſultans* fluctibus, et *trepidis ruentem litoribus ſua cogit hiems*, tempeſtas a bellua excitata ipſam litoribus coarctat, facit, vt nec ipſa vlterius progredi poſſit: tam dira enim iſta tempeſtas eſt, vt *nec Notus nubifer*, nec *Africus ouans*, dominans, maiorem excitare poſſet, *nec Orion*. *quum manus patriis* (Neptuni) *habenis plenus*, firma manu eas moderans, *flatu bipedum* in piſces deſinentium *equorum mare tollit*, in fluctus erigit.

509. Hercules, adſtupente comite Telamone *furiis crudeſcere pugnae*, efferatur ad certamen ineundum, *ſurgitque toris*, lacertos tollit, vibrat, *graues pharetrae pulſant terga*, iis inſonant, inuocatisque *patre Ioue, pelagi Diis ſuisque ipſius armis*, (ſic enim priſci heroes, vide Virgil. Aen. 12, 95. per arma iurabant, infra 3, 707. vina adeo iis fundebant. Sil. Ital. 6, 138.) *inſilit ſcopulo*, (aliis locis quartum caſum iungit verbo inſilire Valerius) *horret ipſe* mare ex imis ſedibus commotum, et *celſi*, celſa ceruice ſeſe erigentis, *monſtri*, quod, vti *Boreas* (amat noſter ventos) *e conuallibus Hebri* montis *ſe tollens volucres nubes per Rhipaeos montes* praecipitat, *nondum tamen omnia coelo tenet*, nondum totum nubibus obduxit, eodem modo bellua *molem horrendam ſcopuloſaque* (melius *ſcrupoſa*, coniectante Heinſio) *terga promouet*, *ingentique vmbra* circa ſe ſparſa *ſubit*, incedit, *intremere Ida*, *inlidique ratis* (magis tamen placet Cel. Beckii emendatio l. l. p. 264. intremere *vndae*, inlidique *vadis*) *pronaeque reſurgere turres*, quae lectio, ſi ſana eſt, alium ſenſum habere non poteſt, niſi hunc: tam longe receſſerunt vndae, vt turres olim conlabſae, demerſae iterum adparerent, exſtarent.

521. Adripit arcum Hercules, *totaque pharetrae nube*, ſagittarum copia tanta, vt pharetram euacuet, belluam *premit*, vrguet, quae tamen non magis ſede mouetur,

quam *Eryx magnus* Siciliae mons, quem *imbres velint*, minentur in *valles deferre*, deiicere. Delatum nemus habuimus 1, 122. *Iam breuis et telo volueri non vtilis aer*, spatium aeris nimis angustum, quam vt vim possint exserere sagittae. Effert Silius Ital. 9, 221. *amisere ictus spatium.* Florus 4, 9. *absumto iactus spatio.*

525. *Fremit* ob irritum coeptum *tacitoque pudore* tangitur Hercules, denuo tremit, pallescit Hesione. Aliam igitur viam heros ingreditur, proiicit arma, *proxima saxa respicit* lustrat, et *quantum ventis adiuta vetustas*, temporis diuturnitas accedentibus tempestatibus, *pontive fragor*, fluctus maris, *impulerit*, labefactauerit, *tantum ab imi maris sede concutiens abscidit*, vi abrumpit.

529. Iamque *agmine toto* voluminum suorum adest *pistris* (proprie maximum maris Indici animal teste Plinio Hist. nat. 2, 4. deinde de quauis bellua marina, v. c. de Scylla Virgil. Aen. 3, 427. vsurpatur) *miseraeque inhiat iam proxima praedae.* — 532. *Stat mediis elatus* in rupe *aquis*, excipitque inruentem Hercules, saxo obcupat *prior et obruit surgentia colla*, hinc repetitis nodosae quercus ictibus belluam detrudit in imum mare, vt *resoluta* mortua totum aequor obcupet, *Idaeaque mater* Cybele, et *chorus* thiasi, et *summis collibus amnes* fontes, Nymphae *vlularent* prae gaudio. Nam *vlulare*, vt Graeci ὀλολύζειν, etiam de laeto sonitu Latini saepe adhibent. Vnum locum addere liceat Catulli Carm. 63, 28. vbi itidem de Cybele sermo est: *Thiasus repente linguis trepidantibus vlulat.*

538. Protenus adcurrunt ex vna parte pastores magnisque petunt clamoribus vrbem, ex altera Telamon Argonautas ad hoc tale spectaculum aduocat, qui horrescunt, et *subito vident in sanguine puppim*, totum circa nauem aequor cruentatum.

542. Victor in *crudum* asperum *saxi cacumen emicat*, exsultans properat, manusque virginis liberat vinculis, *aptat superba* (superbus) *arma* pharetram et arcum, antea v. 527. proiecta, et *ouante gradu litora tuta* nunc a bellua *superat* transit, regem aditurus, non aliter, ac *per pascua incedit taurus, collo et armis* pectore *erectior*, quum ad stabula alta reuisit, et *ad amores, quos vltus est bello*, ad boues iuuencas amatas, ab insultibus aliorum amatorum liberatas. cf. Virgil. Ge. 3, 226 sq.

550. Obuiam ei procedit *longis emissa tenebris*, quam metus excitatae a pistri tempestatis intra moenia diu con-

tinuerat, liberata *turba Phrygum*, ipſeque rex cum coniuge natum *trahens* puerulum, nondum ſatis firmo gradu incedentem *Laomedon*, moeſtus tamen gemensque, quod equi iam promiſſa praemia tradendi ſint. Alia pars incolarum *aerii*, altiſſimi muri (cf. v. 491.) faſtigia *cingit*, vndique obſidet, et ignotis iuuenem mirantur *in armis*, arma tam inſolita ferentem.

555. Rex Herculem *torua tuens* (cf. 1, 38. γοργὸν, ταυρικὸν βλέπων Ariſtophanes) atque *acri lubricus aſtu* fallaciam perniciemque meditans *ſubit*, doloſe adgreditur, et *patrio male laetus amore*, laetitiam quidem prae ſe ferens ob filiam ſeruatam, ſed ſimilatam eam et deminutam, quod vna filia duos equos cariores habebat. — 557. Tum vero ſic adfatur: Tuum iter ad *Sigeum* promontorium noſtrum, ſi verum fateri velis, non directum, nec huc veniſti miſeratione ductus peſtis inter nos graſſatae, ſed *Forte* fortuna huc delatus. Quod ſi tamen, *vti Fama fert*, Iovis filius es, gratus nobis adceptusque veniſti, cognatus quippe, (vnum idemque caput gentis habemus) *ſator vnus*, *et idem ſtirpis honos*, ſerus quidem ades poſt *tot lacrumas meas*, poſt *tot piacula patrum* (matrum?) poſt tot belluae traditas filias, ſed ades tamen; *quam parua tuis iam gloria factis?* Interpretes ita adcipiunt, vt detrahere Laomedontem Herculis bene facto voluiſſe dicant, quod mihi ſecus videtur. Inciuilis et ruſtica fuiſſet oratio, quam doloſam ſupra promiſerat poeta, nec talem inhumanitatem Hercules facile irritabilis aequo animo tuliſſet. Ego vero laudem aliquam ineſſe verbis exiſtimo: quod nunc edidiſti factum nihil quidem eſt ad egregie antea res geſtas, quod tamen gratiſſimo animo adnoſco, ideoque te tuosque ſocios hodie ad epulas inuito, cras vero equos tibi debitos tradi iubebo. Sic doloſa omnia manent et lubrica.

568. Ita dixerat ad ſpeciem quidem laetus et humaniter, ſed dirum nefas voluebat animo, ſomno grauatum hoſpitem trucidaturus, *vt erepta luat reſponſa pharetra*, vt dominus ſagittarum irrita faceret oraculi effata, *namque bis Herculeis deberi Pergama telis* praedixerant; et primum quidem ab ipſo Hercule, perfidiam Laomedontis vlciſcente, quo tempore Heſionen captam Telamoni vxorem dedit, deinde a Graecis poſt Helenam raptam, quod tamen non niſi adcito Philoctete fieri potuit, cui Hercules moribundus ſagittas tradiderat. — 572. *Priami*, Laomedontis filii, *ſed quis iam vertere* auertere *fata queat*, *manet*

inmotis nox Dorica luſtris, nox illa, qua Graeci Troiam expugnabunt, manet fixa, tempore a fatis conſtituto ingruet, et *genus Aeneadum et Troiae melioris honores.* ſuo tempore felicior longeque glorioſior Troia exſiſtet ex Aenea eiusque nepotibus, Roma.

575. Hercules ſe ſociosque excuſat, quod epulis adeſſe non poſſint, *ad oſtia ponti Scythici* properantes; in reditu tamen ſe iterum adpulſurum et *equos donatos* adcepturum promittit. *Tum vero plura vocatis adnuit ille Deus.* Laomedon nempe, non equos tantum, ſed plura etiam daturum, Deos obteſtans pollicetur, ſed Phryges, *perfidiam* regis non ignorantes, quantam Troiae cladem ea inlatura ſit, ominantur.

580. *Panditur hinc totis in noctem carbaſus alis,* vela ſecundis ventis inpelluntur, *litora* et *tumulum Ili* et *Dardanium patrem,* buſta conditorum Troiae, *vigili ſimul omnia ludo feſta vident,* peruigilia hilariter agentium ob belluam obciſam, *hinc vnda,* litora, *hinc ſacris ignibus* in Cybeles honorem *Ida vibrat* (cf. 8, 306. *vibrata* flammis aequora) et *horriſonae reſpondent Gargara,* Idae pars, *buxo,* reſonant ad tibiarum et tympanorum ſtrepitum. — 585. Inde in altius mare progreſſi *Phrixea ſubibant aequora* adpropinquant, et *anguſtas fauces quondam ſine nomine,* nunc Hellespontum.

588. Primo ſtatim diluculo *dehiſcentes ſubito vndas* conſpiciunt, et *vittata* adſtat *Helle,* iam nempe *Panopes* Nymphae 1, 134. *Thetidisque ſoror;* Dea marina, *aureum ſceptrum laeua* (hac enim, non dextra, ſceptrum geſtare ſolebant priſci reges) *tenens* Tum *ſternit aquas,* ſilentio fluctibus inpoſito, Argonautas, Iaſonem in primis placidis compellat verbis: Te quoque ab *Haemoniis terris,* Theſſalia, *per aequora ignota regna infeſta domus,* rex familiae noſtrae infeſtus, eademque, quae me, fata agunt, *iterum Aeolios Fortuna penates ſpargit,* nos, qui ad Aeolum genus referimus, denuo in peregrinas terras proiicit. Magnum tibi quidem longumque aequor, *ne deſice coeptis,* noli tamen animum deſpondere, *ſuperandum,* et ipſe Phaſis tibi procul eſt; *verum dabit* aperiet *oſtia.* Quem Phaſin ſi adtigeris, *nemus arcanum* lucum manibus Phrixi conſecratum, (cf. Horat. Od. 3, 4, 7.) *geminasque virentibus tumulis,* arboribus circumdatas, *aras* inuenies. Hic *celeres* ante omnia *prima piacula* inferias Phrixo ferte, *cinerique* Manibus eius meo nomine dicite: Non ego, quod fortaſſe

putas, apud inferos ſum, *fruſtraque vani*, inanis, *ab vmbris inhabitati Auerni vias ſcruteris*, neque enim *ſcopulis et fluctibus actam me frangit* (mel. *fregit* tum, quum ariete excidiſſem) *hiems*, immo *Cymothoe*, Nereis et *Glaucus* cadenti ſubiecere manus, *pater ipſe*, Neptunus, *dedit has ſedes*, *haec regna aequo numine* propitia voluntate, et *ſinus noſter* ita amoenus eſt, vt, quod *Inois* (oblique ferit nouercam) *vndis inuideat*, non habeat. His dictis ſub vndas redit, moeſta tamen, vt *patrii rediere dolores*, patriae deſiderium animum tetigit.

611. Iaſon in honorem Deae marinae vinum inuergit mari, eiusque ſe commendat numini. Tum iter proſequitur per *anguſtiſſimam freti* Helleſponti *partem*, *qua breuioribus furit aeſtus aquis*, *vbi Aſiam prementem* proximam *effugit abruptis Europa inmanibus oris*, ob abrupta promontoria non tam iucunda adſpectu, quam Aſia, vti explicat Burmannus. Has etiam terras *conſertaque gentibus arua*, ab iisdem olim gentibus habitata, *pelago pulſante*, maris inpetu, *Neptunia quondam cuſpis*, terrae motus a Neptuni σεισίχθονος tridente excitatus, et *aduerſi longus labor aeui*, poſtquam per plura ſaecula viam rumpere mare hoſtiliter laboraſſet, *ita abſcidit*, *vt Siculum Libycumque latus*, *ſtupuitque fragorem Taurus et* (in) *occiduis regnator* altitudine reliquos praecellens *montibus Atlas*. *Taurum* repoſui ex feliciſſima *Withofii* emendatione, olim ad Guentherum Ligurinum p. 57. propoſita, et ſeni adhuc probata in *krit. Anmerkungen* St. 5. p. 28. Antiquiores editiones habent *Ianus*, pro quo Voſſius maluit *Indus*. Heinſius ex coniectura dederat *Lanus* quod et Burmannus in textum recepit, ita tamen, vt difficultatem aliquam fateretur remanere. Propius a vero abfuit Bentleius ad Horat. Epp. 1, 3, 4. qui *Aemum* maluit: recte in eo, quod *montem* excogitauerit, qui obponeretur Atlanti, ſed in delegendo iſto monte acutius vidiſſe videtur Withofius, qui ſubſtituit *Taurum*. Et primo quidem duos montes in mente poetam habuiſſe probat ex copula *Et*; deinde *occiduis* montibus tacite innolui monet *orientales* regiones, quibus alter mons adtribuendus ſit, talemque Taurum eſſe.

612. Iam iuga *Percotes*, rectius *Percopes*, (v. Brunk. ad Apollon. p. 42.) vrbis Troadis, *Pariumque infame fragoſis vndis*, breuibus, ſcopulis caecis et aſperis famoſum, *Pityanque*. (Valerius eam diſcernit a Lampſaco, cuius antiquius nomen Pityam fuiſſe alii perhibent,) *et Lampſacum*,

quam nec trieterica (cf. ſupra 259.) *ſacra* (Orgia) *Bacchi Ogygii* (quod epitheton de quibuscumque rebus et perſonis antiquiſſimis adhibetur) *neque arcanis Phrygius furor inuehit antris*, quae nec vti Thyades in Bacchi honorem, nec vti Corybantes, matris Deorum numine pleni, choris, cantuque et tympanis ad furorem vsque laetatur, ſed *a Deo ſuo*, Priapo, in Venerem rapitur, cuius *aras* in monte vrbi inminente, et *velamina templi*, vexilla fortaſſe e faſtigio templi volitantia, vident. De Priapo v. omnino *Voſs mythol. Briefe* 1, 295.

628. *Rarior hinc tellus*, terra continens, mare fit latius, et *ingens vndique coelum.* Medio inter Pontum Euxinum et Hellespontum ſinu *terra* iacet, *ceu fundo prolata maris*, quae ex ipſo mari enata eſſe videtur, peninſula; *namque inproba arua caecis intulit vadis*, magno latoque terrae continentis ſpatio ſcopulos obcupauit, eademque amplitudine longum dorſum agit ſub aequore. Haec inſula terrae continenti iuncta eſt duobus pontibus, (v. Strabonem 12, 575. et Berkelium ad Steph. Byzant. v. Κυζικος) *quorum alter tenet*, nectit, *confines oras Phrygiae*, *alter ad iuga pinea montis* Idae *ducit.* In ceruice quaſi huius peninſulae ſita eſt *vrbs placidis demiſſa iugis*, leniter decliuis, Cyzicus. Eiusdem nominis rex, vt primum *noua ſigna carinae* nauem ſolito maiorem eminus vidiſſet, vltro ad litus properat, viros miratur, in vrbem inuitat. Vos, inquit, primi eſtis Theſſali, *Aemathia manus*, in has oras venientes, et *fama mihi maior imago*, famam vos et exſpectationem meam adeo ſuperatis. Laetor, quod mea inſula non tam *ſemota*, et *populis lucis Eoae*, gentibus ad Orientem habitantibus, *non inperuia* ſit, quum *tales duces*, *tot robora*, tot egregios fortesque viros conſpicere liceat. Nam etſi inclementia coeli vim habeat ad huius plagae gentium animos, meque Propontis circumfluat, *veſtram tamen fidem et ritus et mitia corda* culturam magna cum voluptate audiui, et ad imitandum mihi et ciuibus propoſui. Noli timere, *procul a me eſt effera virtus Bebrycis*, (Bebrycum, gentis Cyzico vicinae, de quibus infra lib. 4. pluribus dicetur) procul *Scythici inclementia ſacri*, vbi peregrini Dianae inmolantur.

650. Tum laetos rapit ſecum in vrbem, omnes palatii valuas in hoſpitum honorem iubet pandi, ſacra etiam facit Diis *in templis*, in quo tamen Valerium Heynius exiſtimat (ad Virgil. Aen. 1, 632.) veterum morem heroum de-

ſeruiſſe, qui *in domo* ad hoſpitum aduentum victimam ceciderint, et ex ea epulo ſacro hoſpites exceperint. vide ipſum noſtrum ſupra 347 ſq. — 652. *Stant gemmis auroque tori*, lecti, veſtes ſtragulae, *menſae regifico* regio *adparatu*, *centum pares miniſtri*, *primaeua corpora* eiusdem ſtaturae omnes, et in flore aetatis conſtituti, *pars geſtat epulas*, fercula, *pars pocula bellorum caſus expreſſa*, (in quibus expreſſi eſſent. cf. ad 1, 398.) Haec pocula *prima*, ante omnia, prae ceteris oſtendit Iaſoni Cyzicus, digito monſtrans, quid in quoque expreſſum eſſet: *Hic portus*, hoſtibus terribilis — *hic acies* inſtructae — *hic Pelaſgos* in fugam coniectos — *hic meus ignis, qui ratibus paſcitur*, hoſtium naues comburit.

660. Ad haec Iaſon: *Vtinam ira nunc Pelaſgos efferet*, (pro quo Oudendorp. ad Sueton. p. 534. malit *efferat*. Nil opus, puto.) vtinam nunc adcederent, et, quod ſolent, furtim, nauibus omnibus coactis, adgrederentur; profecto videres, quid hoſpitum arma valeant, nec poſthac vltra hanc noctem hoſtes tibi eſſent timendi.

664. His aliisque eiusmodi ſermonibus mutuis plurima noctis pars *rapta* opinione citius transacta, *nec non ſimili lux poſtera tractu*, iisdem confabulationibus poſterum diem laeti fefellerunt.

IN LIBRVM III.

1 — 14. Relinquunt Cyzicum Argonautae. *Tertia iam gelidas Tithonia* Aurora *ſoluerat vmbras*, inluxerat, *exſueratque polum*, nubibus imbriferis liberauerat; *Tiphyn gubernatorem placida alta vocabant*. Breui, lux oritur, eaque ſerena, placidum mare fuit. *Argoa manus*, Argonautae, et *Aeniadae* Cyziceni, ab Aeneo, Cyzici patre, ſic dicti, mutuis amplexibus haerent. — 5. Dat *Cererem* panes et opſonia *lectumque* egregium *pecus* rex, nec *vinum Bithynum Phrygumque*, vilius notaeque deterioris, *ſed quod ſua Lesbos colle noto per freta anguſta Helles ſubgerit*. Sic ordines verba, et omnia habebis perſpicua. Lesbium vinum, Methymnaeum etiam (vide Virgil. Ge. 2, 90.) ab vrbe Lesbi dictum, in deliciis habuerunt veteres. v. *innocentis pocula Lesbii* ap. Horat. Od. 1, 17. eumdem Epod. 9, 34. Propert. 1, 14. 2. 4, 8, 38. Athenaeum 1, 22. p. 28. ed. Caſaub. — 8. Ipſe Cyzicus Iaſonem comitatur ad nauem, relinquit lacrymans, donat tamen praeclara munera *veſtes*, quas

primas, primum ſolertiae documentum, *coniux Clite Percoſia*, Meropis Percoſii (vrbis Percotes 2, 622.) regis filia, Apollonio 1, 975. Μέροπος Περκωσίου ἐκγεγαυῖα Κλείτη εὐπλόκαμος. *picto variauerat auro*, acu pinxerat, aureis filis inſertis; porro galeam et enſem, qui patris olim fuerat; pro quibus viciſſim a Iaſone adcipit pateras et *Theſſala frena*, phaleras. Sic *manibus datis iunxere penates*, foedus hoſpitii iniere.

15. Quo amiciorem Valerius Cyzicum magisque beneuolum atque hoſpitalem nobis deſcripſit, eo magis miſerabimur hominis tam amabilis ſortem, quae ipſi poetae ita indigna videtur, vt ipſe cauſas eius exponere non ſustineat, ſed Muſam in ſubſidium vocet. *Tu mihi, Clio, cauſas pande*, *tibi enim ſuperum animos noſſe* (noſcendi) *facultas data*. Dic igitur, cur *Iupiter*, hoſpitalis, ξένιος, *talia arma*, *cur hoſpitii iunctas dextras* tam amicos heroas hoſpitiique nexu iunctos commiſerit: Cyzicus, nempe in venatione leonem Cybeles confecerat, eiusque exuuiis palatium exornauerat ſuum. Haec poetice ita efferuntur: *Dindyma* (iuga, ὄρη), montem Phrygiae prope Cyzicum, *lacertis famulorum ſanguineis bacchata* (paſſiue, vti ap. Virgil. Ge. 2, 487. Aen. 3, 125.) per quem Corybantes, Cybeles a Cyzicenis cultae (Propert. 3, 22, 3.) ſacerdotes furibundi, ſanguineis brachiis, (haec enim vulneribus inflictis cruentare ſolebant. v. locum claſſicum infra 232.) dum Cyzicus *aſper*, nimis cupidus, *volucri quatit equo* (quatit vngula campum Virg. Aen. 8, 596.) *ſyluasque fatigat*, creberrime venans obit, (ſic *arma fatigare*, e manibus non dimittere, 5, 142. *diem noctemque Marte* 5, 602. eodem ſenſu *exercere* pharetram infra hoc libro 162.) *adſuetum dominam* (nomen Cybelae fere proprium, vt Virg. Aen. 3, 113.) *Phrygias vectare per vrbes leonem ad frena redeuntem* iaculo obpreſſerat, *iubas* deinde *captiuaque ora* pellem et caput *poſtibus inpoſuit*, ſpolium *infelix* (ſibi) *diuaeque pudendum*, in pudorem, ignominiam Deae. — 27. Quae vt primum ex *aeriſono* tympanis, cymbalis, tibiis reſonante *monte* Theſſalicam nauem conſpexerat, hanc vlciſcendi occaſionem adripuit.

32. Nox erat, et *leni canebant aequora ſulco*, canam ſpumam mouebant in pelago remi, (cf. Virgilii Aen. 8, 672. *fluctu ſpumabant caerula cano.*) *prona* ad occaſum vergentia *ſidera leues* placidos *ſomnos ſpargunt*, venti ita ſecundi, *vt tonſas religent*, vt remis opus non eſſet ſolis-

que velis inpulsi praeteruehercnt *Procnesson* Proconneson insulam Propontidis, *Rhundacum* fluuium, *medio etiam ponto flauentem*, qui aliquatenus etiam per mare flauum tenet colorem, et *Scylaceion* promontorium *vnda fracta spumosum* ad quod fluctus fracti magnam agunt spumam, (Brandung).

37. Tiphys *diem solisque cubilia*, occasum solis, *consulit*, seruat, obseruat, *ratemque vento stellisque ministrat*, vela curat, prout venti et sidera postulant. (cf. Virgil. Aen. 6, 302.) — 39. Sopor illum, qualis numquam alias, post *magnum luctamen* obprimit, *lenit agens*, (*agens* additum, pleonastice, vt Graecorum ἔχων. cf. 4, 411. 7, 151.) *sed Diuum imperiis*, a Diis inmissus; *cadit inscia clauo dextra* (potuisset dicere: clauus excidit dextra, sed perinde est, sensus enim est reciprocus) *solata*, desolata, sibi relicta *nauis turbine flectit iter*, in orbem agitur, *portuque refertur amico*.

43. Vix *notis*, modo relictis, *vadis adlabsa* erat nauis, quum *aethere longo*, longe per aera audirentur tubae et vox horrenda: Hostis in portu! adsunt Pelasgi. Iussu enim *Mygdoniae matris* (Idaeae 2, 536. Cybeles) *vrbem ancipitem lymphauerat*, anxiam ad furorem vsque efferauerat, *Pan Deus, nemorum bellique potens*, qui et pastoribus et militibus (est enim et στρατιώτης. Longi Pastor. Lib. 4. extr. p. 134. ed. Villois.) vanum terrorem (Panicum) iniicit, qui interdiu *antris se continet*, noctu late vagatur, vnde nocturnus 7, 400. *saetigerum latus*, hirsuto corpore, et *toruae frontis coma sibila*. Pro *sibila* malunt nonnulli *pinea*, nam eiusmodi corona Pani tribuitur. Audio: sed quum poetae, vti arboribus omnino, quarum folia leuissimo vento mota sonitum edunt, ita pinui etiam tribuant sibila, quo facit in primis Virgil. Ecl. 8, 22. *argutum nemus et pini loquentes;* locus non emendandus, sed interpretatione iuuandus est. — 51. *Vox vna* quamquam vna, *super* superat tamen omnes tubas, tam vehemens est, vt *conus*, crista galeae, *enses*, *aurigae rotis* curribus, *claustra moenibus calant*, tantosque metus, quantos non Mars, non Furiae, non *tristis ab aethere Gorgon*, Medusae caput *sparserit*, iniiciat, *tantis aciem rapuerit vmbris*, tot simulacris inanibus in aere adparentibus in proelia rapiat. — 56. *Ludus et ille Deo*, similem sibi ludum fecit Pan, si pecora ita territat, vt *profugi sternant dumeta iuuenci*, oestro quasi perciti virgulta proculcent.

58. Clamor ferit et regis aures; lecto exſilit, ſomnio adhuc plenus, per quod *Bellona* ipſi adparuerat *foribus recluſis*, in ipſo cubiculo adſtans, *nuda latus*, brachio exſerto, *paſſuque ſonoro orichalca* tubam orichalco vinctam (Horat. Arte poet. 202.) *mouens* et *triplici criſta*, τρυφαλεία, τριλοφία. v. Cl. Ruperti ad Sil. Ital. 5, 134. *pulſans faſtigia* cubiculi. Sic magnam corpore et terribilem habitu Deam videmus — nudum latus — paſſu ſonoro — tubam mouentem — triplici criſta — faſtigia tangentem. — 63. Sequitur Deam rex *demens*, mente captus, et ad mortem properat, vti olim *Rhoetus iniqui nube meri*, vino nimio ſaucius, et ita oculos obnubilatus, vt *Pholoen*, montem Theſſaliae, Centaurorum ſedem, (1, 140.) *geminam* duplicem, *maioraque antra ſua* cernere ſibi videretur, (quod adcidere ſolet ebriis, quibus *geminis exſurgit menſa lucernis* Iuvenal. 6, 305.) *in Herculem et Theſea ruit*, ſed in pugna aduerſus Lapithas cecidit; aut qualis redit a venatu *pater*, (de *Athamante* ſermo eſt) *luſtra Triuiamque canens*, ouans de felici captura, gratiasque agens Dianae, *humeroque Learchum aduehit*, neſcius, ſe filium ſua manu confectum humeris portare, quod tamen non fefellit Thebanos, *miſerae* miſerabundae *declinant lumina* ab tam triſti ſpectaculo *Thebae*. Rem omnem latius narrat Ovidius Metam. 4, 515 ſq. quem adeat, qui opus habet. — 70. Iamque adeo non porta moratur regem, nec *pone*, quae prope aderat, *manus excubias ſortita*, ſatellites praeſto ſunt regem comitaturi, quorum mox numerum augent alii, quos timor inanis domibus expulerat.

74. Argonautae diu conſederant naui ſua pauentes; galeas clypeosque per tenebras vident micare, dubii tamen, quid hoc rei ſit; num hoſtis quidam externus caſtra nocturna ſecuritatis cauſa poſuerit, an *Colchi* fortaſſe ipſi, nam pauor remotiſſima etiam timet, obuiam ſibi proceſſiſſent. — 77. Iam vero haſta *inmani turbine*, horrendo cum ſonitu mediam in nauem aduolat, iubetque arma ſubito rapere *manu caeca*, quae, quem in vſum, vel contra quos caperentur, adhuc ignorarent. *Princeps* primus *galeam conſtringit*, lora fortius contrahit Iaſon, vociferans: en! vota explentur, *optatos huc adfore Colchos*, ſocii delecti, *credite*. — 83. Vti Mars, *Martius currus aſtris*, coelo in medios *Biſtonas* Thracas *exſilit*, et magnus animus et clamor et *tubae ſanguineae*, caedem nuntiantes *iuuere* magis excitare, delectare ſolent *Deum*, ſic Iaſon

obcupat arua furens, primus esse cupit, qui in continentem terram ruere properet. — 87. *adglomerant latera*, conferto agmine incedunt, *densis thoracibus horrens* firma, inmobilis *stat manus*, vt nec *virgo fera* Minerva, *aegisono* aegide munito *pectore*, nec dextra fulmine armata Iovis, nec *Terror Pavorque*, *Martis equi* (cf. 2, 204.) *dispellere*, disiicere, ordinesque soluere potuissent. — 90. Nec vero ad se defendendos tantum adstant parati, sed etiam ad adoriendum: *contextis* ita arcte inplicitis atque connexis scutis, vt ne minimum quidem interesse spatium; *vmbonibus*, qui pars erant clypeorum in medio prominens et acuta, qua hostem propellere, adeoque vulnerare possent, *vrguent*. — 91. Stant *vt nubes*, quam Iupiter *coeruleo agmine* (agmen etiam de aquis vsurpant poetae, vt Virgil. Ge. 1, 322. Aen. 2, 782.) *nimbosam*, imbribus grauidam, *constituit*, quae, quamquam *Zephyri* inter se decertant, *Notique rigentem*, inmotam, *pulsare* cupiunt, diu tamen eodem loco haeret, metuque inplet homines, dubios, quod in fretum, quasue in terras tandem ruitura sit.

95. *Hinc*, ex altera parte Cyziceni, vociferantes iacere saxa, faces, *tortae pondera fundae* lapides graues, quae omnia Argonautarum *phalanx inmota* sustinet, irasque *retentant*, continent, *congeries dum prima fluat*, dum primus inpetus telorum conquieuerit. (*telorum* addidi, non *hostium*, quum congeries rarissime de personis, plerumque de rebus adhiberi soleat: infra tamen 6, 511. itidem de personis videtur vsurpata esse.) — *Stellantia tegmina*, splendentem thoracem, et clypeum, *ingentemque vmbram*, quam proiiciebat *Corythus* Cyzicenus heros, *Mopsus et Eurytus notant*, vident. *Restitit ille* (quis? Corythus, an Mopsus? malim de hoc adcipere) *gradu*, sic restitit, vt tamen gradu non deiiceretur, vt promtus ad resistendum maneret, *seseque a lumine ferri* coruscante hostis gladio *sustinuit praeceps*, a cito inpetu se continuit, *subitum ceu pastor ad amnem spumantem nimbis*, aestuantem, *fluctuque arbusta ruentem* prosternentem. — 103. Sed *Tydeus*, en! ait, in quo vires experiar; vtinam comminus cum eo decertare detur! *subit ilia* Corythi *cuspis* sagitta *Olenii* Tydei, *dedit ille sonum*, dum caderet, *compressaque mandens aequora* campi glebas, in qua iacebat, mordens (idem fere, quod Horatio Od. 2, 7, 12. *solum tetigere mento*) *purpuream singultibus exspuit auram*, ad quemque singultum exspuit sanguinem. (Fundus est Homeri πορφύρεος θάνατος Il. 5, 83.

quem imitati deinde, mutata elocutione, Virgil. Aen. 9, 349: *purpuream vomit ille animam*, et alii.) — 108. *Ac veluti* (luxuriatur poeta in cumulandis comparationibus) in *medio ponto horrida rupes latet*, non animaduerſa, quam numquam inpune tangunt nautae, *ſic agmine caeco* temere *ſtrictis enſibus* incurrunt Cyziceni, quorum plures obcumbunt, in his *Bienor*, *melior* fortior *patre*.

113. Nec minor in vrbe trepidatio. *Genyſo* vxor arma noctu amouerat, ſed illi *ſubitus reluxit focus*, ignem denuo adcendit, vt arma obcultata reperiret, et reperit magno ſuo malo, *tibi gaudes*, *miſerande*, *repertis*. — 117. *Linquit vndantes* abundantes, largis dapibus inſtructas, *menſas*, *infectaque* nondum abſoluta *ſacra*, pervigilia *Medon; chlamys inbelli oſtro torta circumuenit manum*, quae ego, an recte, neſcio, ſic intellego: chlamyde, quae, quamquam purpurea, bello tamen inutilis nihilque erat profutura, ſiniſtram circumuoluit manum, vt pro ſcuto eſſet; (ſimilis locus ap. Petronium c. 80. *intorto circa brachium pallio componit ad proeliandum gradum*) *ſtrictoque vias praefulgurat enſe*, dextra per viam in anteceſſum vibrat gladium. (coruſcare facit, Gesner. in Theſ. h. v.) Sic *taedas praecutere* Ovid. Met. 4, 755. — 120. Talis in arma ruit; *nec vina dapesque remotae, ſtatque loco torus;* hactenus omnia facilia, non item, quae ſequuntur: *in quo (omen) manſere miniſtri.* Locus ſalebroſus, in quo, quid ex *omine* facias, difficile dictu ſit, nec Burmannus ſibi ſatis ipſe facit. Erat, vbi ego, mutata interpunctione, et *miniſtris* ad ſequentia tractis, ſanare locum mihi poſſe viderer, ita nempe: ſtat loco torus, in quo toro (omen) manſere ſc. vina et dapes, Argonautis paratae, *miniſtri inde vagi* etc. Sed male me ominatum eſſe poſtea deprehendi, eam in primis ob cauſam, quod Argonautae vrbem denuo ingreſſi non ſunt. Maneant ergo ſuo loco vina et dapes, et torus et miniſtri, ſolum *omen* tollatur, et pro *in quo omen* legatur *inſomnes*, quod reponi iubet Bentleius in epiſtola ad Burmannum data: *Statque loco torus: inſomnes manſere miniſtri.* Nec temere coniecit acutiſſimus ille Anglus; nam non vnus codex habet *in quo omnes*, ex quo vera Valerio manus reſtitui poteſt. Neque video, cur miretur *inſomnes miniſtros* Burmannus; equidem mirarer magis, ſi ſomno ſe dediſſent ea nocte, qua hoſtes ante portas adparuiſſe audirent, quaque de dominis ſoliciti eſſent abſentibus. Non dubitaui igitur, tam

luculentam emendationem in ipſum textum recipere. — 122. *Inde vagi* (Genyſus et Medon? Ita volunt interpretes; poſſint tamen Cyziceni omnino rectius intellegi) *nec tela modis nec caſibus isdem conſeruere manum*, in quibus duo Adcuſativi, *tela et manum*, obſendunt. Burmannus ita expedit, vt pro *tela* — *bella*, pro manum *manu* poni velit. De *manu* facile conſentio, et potiores ita libri praeferunt, non item de *bellis*, quibus nihil lucramur; nam vtraque formula *conſerere manu bella*, et *conſerere manu tela* inſolita ſunt Latinis, qui *conſerere manum*, *pugnam*, *proelium*, *caedem* (infra v. 127.) dicere ſolent. Poſſis etiam legere: *Inde vagae nec tela modis*, *nec caſibus isdem conſeruere manus*. Certe apud ipſum Noſtrum *conſerta tela* ſunt 6, 182.

124. *Ecce grauem nodis pinguique bitumine quaſſans lampada* ab arce decurrit *Phlegyas*. *leues*, leuis armaturae *manus* Pelaſgorum noctu inuaſiſſe ratus, *Thamyrum*, ducem ſine dubio latronum illorum, ſaepius ab ſe repulſum, magno cum clamore et late ardente face requirit, haud ſecus ac *Typhon*, turbo nautis periculoſus, *igne fulgure ſimul ventisque rubens*, quem *Iupiter alte crine tenet*, cf. 6, 170. vbi *Typhonem Iupiter reuerberat aruis*. Flaccus duplicem h. l. perſonam agere iubet Typhonem vel Typhoeum, primam turbinis, alteram Gigantis coelo deiecti, ideoque duas diuerſas fabulas miſcet. — 133. Tollitur *hinc*, ex altera parte contra hunc Phlegyan, *totusque ruit Hercules arcu*, *aduerſa flamma ſpicula certa regens pectore*. Obſcuriora haec et aſteriſco ab editoribus notata recte tamen habere putauerim. Hoc, niſi me omnia fallunt, voluit poeta: Hercules ipſam aduerſarii facem in vſum conuertit ſuum; prout enim hanc ille mouit, ita Hercules *pectore*, ad pectus admoto arcu, (nam non genis, vti nunc, adplicabant inferiorem arcus partem antiqui, ſed pectori, Homer. Il. 4, 123. νευρὴν μαζῷ πέλασεν. Virgil. Aen. 11, 862.) dirigebat ſpicula certa, vt certo ferirent, *per piceos adcenſa globos*, quae tela, vt Burmanni verbis vtar, quum ipſam lampada transirent, inde ignem conceperunt, et adcenſa per piceos globos flammae pectus transfoderunt Phlegyae, vnde duplex vulnus, a ferro et ab igne, infligebatur. — 135. *pectus harundo per medium contenta*, cita, rapida *fugit*, *ruit ille* incidit *ore comanti*, bene comato capite, in ipſam facem, *maiorque adparuit ignis*, caeſariem adprehendens. Tota imago nimis quaeſita.

138. Iam aliae caedes memorantur, in quibus non nisi singula verba explicanda veniunt. Sic 140. *duplicatam securim* alii aliter exponunt: *Abresch* Auctar. ad Dilucidatt. Thucyd. p. 296. de incurnata, ideoque obtusa — *Bolt* Sylva p. 85. librata — *Withof* celerata. Mihi vero est vel *bipennis*, vel bis repetita, vti congeminata 6, 379. — 141. *aspera cingula* vel acu picta, vel bullis, vel caelaturis distincta. — 141. *prima cadauera linquite*, nil nisi primitiae caedium sunt, sed, his non contenti, plures caedamus. — 147. *pergunt rupta testudine fusi*, referenda ad v. 87. vbi adglomerabantur, densisque thoracibus stabant; iam vero vagi hostes adoriuntur.

150. *Ipse dux* Iason *super vultus caesos* hostes ore humum prementes, *taboque labantia* cruore lubrica *terga*, *campi Martisque potens*, apertum sibi campum pugnamque videns, vt *caeca profundo hiems*, vt inopina in mari exorta tempestas, *currit*. — 156. *fixam videt decrescere cornum*. Poeta, in variis caedum generibus excogitandis non eadem semper, qua Ovidius, ingenii felicitate adiutus, singularia quaedam et mira narrat; hoc tamen videtur voluisse: Iason lancea ferit Glaucum, qui telum quidem contra expedit suum, sed sentit, hastam aduersarii altius intrare corpus, *vidit* hastam, quo penitius insigeretur, eo magis *decrescere*, eo minorem breuioremque fieri. — 158. *insignem cithara cantuque fluenti*. Fluens obponitur aridae voci, raucae; est igitur, liquida, sonora, suauis. — qui *dulci pectine* plectro, proprie instrumento variae formae, quo lyra pulsatur vel raditur, tum per synecdochen pro tota lyra posito, *Bistoniae* Thraciae *post magnum alumnum* Orphea, cui Thracia patria, *festis ad sistere mensis ausus erat*, Orphea aequare in lyra pulsanda stulte sibi persuaserat. Ceterum imitatus est Flaccus Ovidium, qui in pugna cantorem itidem sistit Met. 5, 111 sq.

161. Hercules iam non amplius pharetram et arcus *exercet* (quod verbum vsurpant de rebus, quibus saepe multumque vtimur, *handhaben*, vt fatigare; v. supra 21.) sed disiicit agmina *claua socia*, quam vbique comitem habebat, adsumta. — 163. Qualis sonitus est syluae, quae caeditur, *densa sylua labat magna iuuenum* robustorum *securi*, cuneisque adactis *graue robur*, quercus ponderosa, *gemit*; (rei inanimatae sensus tribuitur) sic *ossa dura* malaeque sonant sub ictu, *sparsusque* consperfus, (cf. infra 5, 319.) *ager cerebro albet*. cf. Virgil. Aen. 12, 36. *campi ingentes*

ossibus albent. — 167. *subsederat*, insidiatus. — 168. *os barbamque* barbatum caput, *clauam superne intonat* (actiue, quod quum insolentius sit, alii malunt *claua*). — 169. *I nunc* consueta poetis irrisione infelicium *obcumbens Herculis armis*, *donum ingens semperque tuis mirabile fatis*, magno tibi honori est, in fatis tuis vt mirum et honorificum memorabitur, quod Herculis manu cecideris. *Donum* sic ironice sumtum est etiam 4, 216. — 171. *Horruit* ad Herculis nomen auditum, *nomen enim adnouit amicum* (amici) *primus*, *et ignaris dirum scelus adtulit vmbris*, primus fuit, qui manibus eorum, qui iam iam cecidissent, quique mortis suae auctores non nossent, hospites Argonautas fuisse nuntiaret. — 174. *mente moras fouisse benigna*, beneuole per aliquot dies, quibus morari deberent, excepisse, et *laribus sacrasse diem*, festum diem instituisse, quod nouus hospes familiae adcesserit. — 177. *quem tu qualemque*, quam deformem, *videbit adtonitus*, *Crenaee*, *parens!* non adnoscet, oculis non credet, te esse, qui antea tam formosus eras. *En frigidus somnus* mortis *orbes* oculos (cf. 235.) *purpureos*, viuidos, vegetos, pulcros omnino, (v. Iani ad Horat. Od. 4, 1, 10. et infra *purpureum sal* v. 422.) *obit*, subit: *iam candor*, candidus faciei color et *anni*, iuuenilis vigor, *deficiunt*. — 181. *Desere nunc nemus et Nympharum durus amores.* Irrisio, vti paullo ante: *i nunc.* Antea ita pulcritudine superbiebas, vt Nymphas contemneres syluasque relinqueres; iam vero idem aude, si potes.

182. *Hylas.* Hic *diuersa turbantem*, alia campi parte pugnas cientem, *Sagen neruo fallere*, sagitta prius missa obcupare, praeuertere, obculto ferire, quamquam *puer*, tamen *ausus primum* experimentum facere fortitudinis, *spes maxima bellis*, magnam herois futuri spem de se excitans, *si prospera* propitia *Iuno*, nisi haec inpediat.

186. *Castor et Pollux.* Parum abfuit, quin alter alterum conficeret. *Adcessere nefas* (eheu!) *tenebris fallacibus acti in sese*, *ast illos noua lux subitusque frontis apex*, flammula, quam nuper galeis eorum Iupiter addiderat, (v. supra 1, 571.) iam subito visa *diremit.* Alios igitur adgrediuntur, et Castor quidem *Ityn*, *qua caerulus ambit balteus*, *et gemini committunt ora dracones*, vbi cingulum fibula continebatur, in qua duo serpentum capita ita conferta erant, vt mordere se inuicem viderentur. cf. infra 6, 59. *tereti serpens dat vulnera gemmae.* Ovid. Met. 8, 328. *mordet*

fibula vestem. Curtius 3, 3. *pallam — aurei accipitres velut rostris inter se congruerent, adornabant.* — 191. *Pollux* alios, inter eos et *Cydrum,* qui *totis connisus viribus* (sic recte, non *connixus*) hastam coniecerat in alium Cyzicenum, *venatorem Erymum:* sed hanc hastam *fata ferentem,* mortiferam, *luna brevis,* nubibus aliquantisper emicans, Diana *comitem* venatorem *miserata prodidit,* in conspectum dedit, ita vt Erymus leui capitis motu hastam declinare posset, *iubae cessere,* crista quidem galeae feriebatur, sed *raptum per auras vulnus* aer diuisus est ictu, *et extrema sonuit cita casside cuspis,* velox lancea non nisi extremam stringebat galeam.

198. *Telamon Opheltem vana sonantem,* iactantem sine dubio generis nobilitatem per *cedentis clypei opus* (μέγα ἔργον, χρῆμα) *partemque* (melius et magis poetice *cratem,* quod reponi suadet Gesner. Thes. v. trilix) *trilicem,* triplici catenularum inuicem confertarum ordine munitam, *qua stomachi secreta,* vbi stomachum clypeus tegebat, *ferit.* — 201. *hunc regem, aut aeque alta gente satum fors mihi delegerit.* Sic strue verba, et ita mecum intellege: Di, precor, vt in hoc iactatore vel regem, vel alium non admodum rege inferiorem mihi fortuna obiecerit, *magnusque et flebilis vrbi conciderit,* cui eo maius damnum hoc interfecto infligam. — 203. Huic addit praeter alios *Phocea; Lelegum* Ioniae *qui pulsus ab oris regis amicitiam et famuli propioris honores* (*qua patiens non arte?*) *tulit,* h. e. qui, quamquam externus et exsul, tamen ad amicitiam Cyzici regis et interiorem adeo admissionem (sed quibus artibus, quaque patientia?) sese euexerat. — 206. Et sic Telamon saeuire perrexit, donec *nox alta cadentum ingentes sonitus ruinasque augeret,* cadentium prolabsus ob noctis silentium grauius ad aures adcidebat, quod noctu fieri experientia docet. — 208. *Vt magis Inarime,* (alias Aenaria, Pithecusa, hodie Ischia, insula prope Neapolin, Typhoeo inposita, Virg. A. 9, 716. vbi, si plura cupias, vide Heynium in peculiari Excursu) vt magis *mugitor* (ornatus causa adiectum) *Vesvius,* Vesuvius mons, (infra 4, 507. Vesevus) *anhelat, adtonitas* terrae motibus et igne eructato *suscitat* concutit *vrbes; sic pugnae crudescit opus,* magis cruenta fit pugna nocturna, neque *enim ignea cedunt astra loco,* solito diutius in coelo morari sidera videntur, et *lentis haeret nox conscia bigis,* consulto, de industria longius durat. Sic igitur, veste poetica detracta, inde a v. 206.

omnia apte cohaerent, nec desideraueris ornatum poeticum in *mugitore anhelante*, (respicit autem Gigantem igniuomo monte pressum) *in nocte conscia, lentis bigis haerente* De curru Noctis cf. 2, 295. et omnino Cel. Eichstaedt Quaest. philol. p. 15. 16.

212. Anhelat ipse poeta, et Musam denuo in subsidium vocat, vt *Tartareae* horrendae *noctis omnia sequentem*, enarraturum adiuuet. — 213. *Phaethon*, Sol ipse, vti ap. Virgil. Aen. 5, 105. *adflat Tisiphonen*, equorum Solis adflatum, aduentum eorum sentit Furia, et quidem *trepida*, quoniam non nisi noctu Furiis vagari licebat, vti et Vmbris et Manibus ad infera loca sub diluculum redeundum erat. cf. Heyne ad Virgil. Aen. 6, 538. 5, 739. et Ruperti ad Sil. Ital. 13, 808. — 214. *grauior locos iam luce propinqua vmbra premit*, densiores adeo tenebrae totum campum obnubilare videntur, *non signa virum, non funera cernunt*, discernere viros non poterant, quos interficerent. — 216. *Vos, prodite, Divae* Musae *Eumenidum noctisque* Furiarum extrema nocte, vbi longiori morae locus non esset, grassantium *globos* conferta agmina. — 218. *trepidi singultibus labentum agri*, audax et difficile intellectu: melius *tepidi*, quod Bononiensis habet, recenti nempe sanguine, quem moribundi singultantes eiecerant.

220 — 242. Ipsius Cyzici caedes narratur. *Cyzicus aciem vanis discursibus implet*, per totam aciem discurrit ausu inani, *fata trahens*, morti ipse propinquus. Triumphantis quidem more sibi persuaserat, Pelasgos a se fusos, sed *tales aditus* falsam de Pelasgorum aduentu opinionem, (nisi malis *animos*) *eaque gaudia inmiserat* ira *Deum*, numinis alicuius, Cybeles. — 224. *Veluti quum Coeus*, Coeli ac Terrae filius, Titanum maximus, (Hesiod. Theog. 133. 134. Virgil. Aen. 4, 179.) *fundo in imo* Tartari, si quando ipsi contigit, *adamantinas* durissimi ferri, chalybis *catenas fractas Iovis* post se trahere, *vocatque* laetabundus, fortunam suam narraturus, *Saturnum Tityonque*, notum illum Gigantem, qui apud inferos per nouem iugera porrectus iacebat (Virgil. Aen. 6, 595 sq.) *spem queaetheris amens concipit*, stolide ad superos se euasurum credit, *ast illum fluuiis* Styge, Phlegethonte, et *nocte* tenebris Tartari *remensa* post se relicta, *Eumenidum canis* (Singul. pro Plur. Apollon. Rhod. 4, 1665. 'Aΐδαο θοαὶ κύνες) Furiarum comites et ministri, (de quo vocis *canis* vsu vide Ruhnkenium Epp. crit. p. 93 sq.) et *sparsae iuba hydrae*, earumdem Fu-

riarum angues circum capita fibilantes, *repulit.* Idem igitur adcidit Cyzico. — 229. *Saeuit acerba*, cum acerbitate *fremens*, *tardumque a moenibus*, quod ex vrbe non adproperet, *agmen increpitat: Numquamne dolor virtute* (mel. *dolor virtusque*, i. e. virtus dolore excitata) *fubibit nil aufas fine rege manus*, ciues meos, nil fine me, nifi me duce audentes? At longe alacriores eftis, *barbara*, Phrygia, Berecyntia *buxus* tibia *fi vocet*, (cf. Aen. 11, 737.) *et motis vlulantia Dindyma facris*, (*mouere* vox folemnis de adparatibus dierum feftorum annuorum. Sic ancilia mouebant Salii.) *tunc enfis placeatque furor, modo tela facerdos*, cui lubentius paretis, quam regi, *porrigat*, et *iuffa fanguis* (producta per licentiam poeticam pofteriori fyllaba) *exuberet vlna*, et ex praecepto Corybantum fanguis large ex brachiis incifis fundatur. (cf. fanguineos lacertos fupra 20. infra 7, 635 fq. 8, 239. in primis Lucretium 2, 631 fq.) — 235. *Talibus* tam acerbe *infultans*, nec ciuibus folum, fed ipfi etiam Deae, *iam dudum numine Diuae deficit*, vires deficere fentit, *infracti* debilitati, inhibiti *languefcunt frigore curfus*, *corda pauent;* et, ne dubius maneat, vnde haec fibi adcidant, *audit fremitus irasque leonum*, currui Cybeles iunctorum, audit *cornua*, fonitum inftrumentorum muficorum, *motas videt inter nubila turres*, coronam ipfius Cybeles turritam. — 239. Tunc aduolat certa et grauis Iafonis hafta, *latumque fub imo pectore iter rumpit*, aperit, patefacit, (cf. 1, 4. 6, 139.) late hians infligit pectori vulnus. — 241. *quam nunc incognita vellet luftra* ferarum latibula, fyluas, *nullisque datos venatibus annos*, nullum venando tempus confumtum!

243. Talia viri fortes vtrimque tela fundunt, *fonituque pedum motuque fufpecta explorant*, adrectis auribus ad leuiffimum quemque pedum vel corporum motum fufpiciofi, *prenfant focios vocemque repofcunt*, ipfos fodales in tenebris corripiunt, et excubiarum noftrarum more adclamant. — 246. *Quod fi tanta lues* caedes diluculo non effet interemta, orta dies nil nifi feminas in vrbe, mares per litora ftratos vidiffet.

249. Iam vero, rege peremto, Iupiter ipfe ad pugnam dirimendam opemque ferendam *fereno coelo intonuit*, vt praefentiam numinis fui manifeftam faceret, quo territae *nocte fatae*, noctigenae Furiae (cf. Virgil. A. 7, 331.) territus *armipotens* Mars, vt ab hac pugna defifteret; *tunc porta trucis coit infera belli*, Tartarus claufus, qui Furias emi-

ferat. Variant libri in *infera* et nonnulli habent *effera*, quod Heynius Exc. 9. ad Virgilii Aen. 1. praefert, cuius versiculum 293. ob oculos habuisse Flaccus videatur.

254. Cyziceni fugiunt, *quae sola salus*, nec persequi eos Argonautis animus est; *stetit anxia virtus*, quamquam fortes, consistunt tamen, timentes, ne forte dolus simulatae subsit fugae. — 257. Ecce die inlucescente *primos* (pro *primum*, *demum*) *portus* lumine sparsos videbant, *notaeque*, *nefas*, *albescere turres*, aedificia, eheu! bene sibi cognita et tenebris procedentia conspiciunt. — 259. Di maris, exclamat Tiphys, *vt mea fatali damnastis pectora somno*, quam tristem oculis meis somnum inmisistis! *quantis monstris*, quam inopino foedoque spectaculo litora *socii* caesi *complerunt!* — 262. Argonautae ipsi, nimis adtoniti adhuc, stupentes, exsangues adstant, quam vt gemitum pudoremque de facinore a se perpetrato verbis exprimere possint, stupent haud secus, ac 263. *Thyas ad crines et tristia Pentheos ora, vbi inpulsae iam se Deus agmine matris abstulit, et caesi vanescunt cornua tauri.* Haec omnia lucem adcipient, si memineris de rege Thebarum *Pentheo:* qui quum sacra Bacchi in vrbem noluisset admittere, Deus iste, hunc sui contemtum vlturus, matrem et materteras regis, Thyadas, Maenades, Bacchas, ita obcaecauit, vt in tauri (alii habent aprum, v. c. Ovid. Metam. 3, 714. quem omnino consuluisse non poenitebit) specie sibi obiecta Penthea ipsum dilacerarent; sed quum furor a Deo inmissus resideret, non tauri cornua, sed crines confusos et cruore tinctos, et *tristia Pentheos* ora caput, faciem coram viderunt, stupentes adstiterunt.

267. *Nec minus effusi grandaeuorum* senum *ad litora vulgus;* (*vulgus effusi?* quid putas, Prisciane? Sed errauit Valerius meus praeeunte Virgilio, qui Aen. 6, 660. habet: *Manus ob patriam* pugnando vulnera passi) quum vero *socias* suorum *viderent manus* caesas, fugiunt retrorsum, sed adclamat Iason: — 270. *Quos fugitis?* Propius intueamini, qui sint, quos fugitis. Mallem me meosque hac strage potius obcubuisse. *Deus haec, Deus asper vtrisque inplicuit*, numinis alicuius, vtrisque infesti, ira hoc inmisit malum — Argonautae sumus, *hospita turba*, hospites modo digressi. *Cur flammas miserosque moramur honores?* Age, quum factum infectum fieri nequeat, triste officium mortuis faciamus. Iason vrgere nimis iusta facienda

videtur. Melius feciſſet, ſi iuſſiſſet inquiri, an nonnulli fortaſſe ſpiritum adhuc traherent ſeruarique poſſent.

274. *Tum ſuper exſangues conſertae caedis* (v. ſupra 123.) *aceruos praecipiti plangore ruunt*, matres coniugesque, filios maritosque adnoſcunt ex veſtibus acu pictis aliisque donis. It gemitus toto coelo per *aequora ſinuoſa* (litora ſinuoſa 2, 452.) *pars tenues flatus* ſpiritus emiſſi, vim vitalem exiguam obſeruant, et *adhuc ſtridentia* ſanguinis aliquid effundentia *prenſant vulnera*, (cf. ſtridentem ſpumam vulneris Ovidii Met. 8, 417. et ſupra 1, 373.) *pars ſera* certi de morte cognatorum, tandem *componunt*, comprimunt *lumina dextra.*

280. Iam inuentus etiam rex in mediis cadauerum aggeribus. *Triſti ſileant ceu cetera planctu*, quaſi hic ſolus eſſet lugendus, ſic omnes ad eum concurrunt. Circumſtant et Argonautae, *deflentque nefas et cuſpidis ictus Aeſoniae*, haſtam Iaſonis tam triſtem cladem adtuliſſe, *ſortemque ducis acerbam*, Iaſonem, qui ſe ipſe adcuſat, *ſolantur.*

286. Iaſon, quum crines pingui ſanguine concretos, pallidum vultum haſtamque in caro amici pectore defractam videret, ingemit, et oratione, adfectuum, miſerationis praeſertim et pudoris plena, mortuum ita adloquitur: *Te tamen ignarum tanti furoris nox habet*; at vero tu quodammodo felix praedicandus es, qui tam foedum morte praeueneris ſpectaculum, *et nullo teſtantem foedera queſtu*, vt violata a me hoſpitii iura queri poſſis. — 294. *exſtinguine mea ſperaui*, timere potui, (nam *ſperare* Latinis omnino eſt futurum aliquid exſpectare) *te poſſe manu? talis*, tam ingratus hoſpes, vt mox cruentus redirem hoſtis? — 297. *nonne haec mea iuſtius eſſent funera*, mihi potius moriundum erat — *meque tuus error nunc plangeret*, tu potius me a te inſcio interfectum plorares? — 299. *Nec Clarii nunc antra Dei*, Apollinis, qui praeter alia loca, etiam in vrbe Colophoniorum Claro, et ex antro quidem, oracula edebat, *quercusque* ſyluae Dodoneae *Tonantis* Iovis *arguerem*, incuſarem, quae mihi talia proelia, tales triumphos praedicerent? *cur mens conſcia vatum*, vates futurorum praeſcii, *qui patriae ſenectae exitium crudele*, necem patris ſenis canebant, cur hoc tantum nefas reticuere? — 304. *quae me hoſpita*, hoſpitio, *tellus adcipiet*, quae non primo a litore arcebit? — 306. *Inuidere Dei*, ſpem laetam a me conceptam, fore, vt, reuerſus ex Scythia, tuas terras reuiſam, tibique in bello contra Pelaſgos fiam

comes. — 311. *Voluite ſyluas* (vtraque vox auget: haec multitudinem lignorum, illa laboris magnitudinem exprimit) *ſocios*, ſociorum amicorum *luſtrate rogos*, circumeatis, *date munera*, quae noſtro miſiſſet Cyzicus *igni*, rogo.

314. Iam mortui regis coniugem in ſcenam producit Valerius. *Clite laceras ſuper ora mariti fuſa comas* (Graeca forma pro: laceris comis ſe effundens) ſic fatur: *primis coniux* coniugii *ereptus in annis*, *cuncta trahis*, omnia tecum mihi perennt: *necdum ſuboles*, *nec gaudia* (gaudia ſubolis) *quibus moeſta tuos nunc, optime, caſus perpeterer*, quae moeſtitiam de morte tua leuent meam, *tenui quidem ſolamine*, ſolamine tamen luctum mitigante *fallens* aliquantisper obliuiſcar. — 320. *Mygdonis* Phrygii regis *arma* bellum *patrem et natales rapuere domos*, et patrem et patris hereditatem eripuit, *Triuiaeque potentis occidit arcana genetrix abſumta ſagitta.* Non addit, quid Dianae iram in matrem concitauerit, nec aliunde conſtat; expoſuerim igitur de febri maligna, quam Apollinis et Dianae ſagittis adſcribere ſolere poetas, vel ex Homeri Il. Lib. I. nouimus. — 323. Nunc adeo *tu*, qui mihi omnia eras, *et coniux et frater et parens et ſpes a prima iuuenta vna*, (puella ſine dubio fuerat pacta) *deſeris*, *totamque Deus ſimul vrbem impulit*, concuſſit (quia improlis ſubceſſorem non reliquerat). Conferri in primis meretur Ovid. Her. 12, 162. vbi Medea: *Deſeror, amiſſis regno patriaque domoque, Coniuge, qui nobis omnia ſolus erat.* — 326. *Vtinam* ſaltem morienti tibi adfuiſſem! *vidiſſem tendentem mihi manus, monentis* praecipientis iuſſa et mandata percepiſſem! *quin et thalamis modo queſta morari*, quae paullo ante tacite mecum, quod nondum redires in vrbem, querebar, *heu talem*, iam mortuum, *recepi*, *tantique metus ſecura*, alia omnia, quam tuum obitum, metuens. — 330. Ita eam in *compreſſo mariti collo* haerentem moeſti ipſi Caſtor et Pollux vix erigere potuerunt.

332. Interea *nudatis montibus* (tot arbores ceciderant, cf. Sil. Ital. 3, 640.) *innumeras* et *certatim* quidem *pyras vrguent*, deproperant, *decorantque* exornant, *et corpora moeſti ſumma* in ſumma rogorum planitie *locant*: *vadit ſonipes* equus *ceruice remiſſa* languide, *venatrix nec turba canum pecudumque morantur* adducuntur, ſimul cremandi, quod pluribus etiam nunc barbaris gentibus in more eſſe conſtat. — 336. *Funereae quae cuique manus, quae cura ſuorum, quae fortuna fuit.* Locus perplexus et breuitate

laborans. De manibus in primis haereo, quas ſi licuerit interpretari de manibus in funere parando occupatis, totum locum ita intellegerem: Cognatorum quisque manu ſedula raptim contulerat, quae mortuis cara in primis fuiſſe noſſet, ad rogum exornandum, prout fortuna vel amplior vel tenuior permitteret. Mihi tamen nondum ſatis facio. Omnino deeſſe verbum videtur, quod latet fortaſſe in *quae cuique.* Quid? ſi legas *funereaeque tulere manus?*

337. Medio aggere rex longe eminet, quem Iaſon ipſe, *crebris quatiens ſingultibus ora*, dolorem gemitu et lacrymis large fluentibus declarans. *celſo reponit in oſtro*, rogo elatiori purpureo velamine ornato. — 340. *Dat pietas auro atque ardentes murice veſtes, quas telis feſtina rapuerat vocantibus auſtris Hypſipyle*, quas vix ob ſubitum Iaſonis abitum abſoluere potuerat: *galeam porro dilectaque*, quae cariſſima haberet, *cingula* rogo *iniicit.* — 343. Rex vero ipſe vultu ad vrbem conuerſo iacuit, manu geſtans ſceptrum auitum. Nam quoniam nec *proles*, filius, *nec alius ſanguis* cognatus ſuperſtes eſt, *ipſe decus paterni regni* ſceptrum *refert*, geſtat, fert ſecum.

347. *Inde ter armatos Minyis referentibus orbes*, ter armati eumdem orbem repetentes, circa rogum decurrentes, quod et Romanis in vſu fuit, (Virgil. Aen. 11, 188. *ter circum adcenſos cincti fulgentibus armis decurrere rogos.* Apollon. 1, 1059. τρὶς περὶ χαλκείοις σὺν τεύχεσι δινηθέντες τύμβῳ ἐνεκτερέϊξαν) *concuſſi* ſonitu pedum *rogi, ter inhorruit aether, luctificum clangente tuba:* tum *iecere faces*, incenderunt rogos *ſupremo clamore*, vltima conclamatione, an forte in vitam redituri ſint mortui. — 350. *Rerum labor omnis* — Burmannus cum Gronovio malit *regum* i. e. Argonautarum; ego vero nil muto. quidni enim interpreteris: res omnes multo cum labore congeſtae, ligna, veſtes, dona cet. *in auras ſoluuntur*, et *celſis conlucent aequora flammis*, omnia abſumuntur igne tam alte in aera ſurgente, vt et campi et mare ipſum longe fulgeant.

352. Scilicet haec *manebant* fato deſtinata Iaſoni ſociisque, *ex quo Peliacis caderet cum montibus arbor*, ex quo expeditionis nauticae conſilium cepiſſent, *hoc volucrum minae*, auguria ſiniſtra, *fulminaque praeſaga*, malorum praenuntia, ſignificauerant. *Sed quis non prima refellat monſtra Deum?* ea nimirum eſt natura idque ingenium mortalium, vt omnia a Diis inmiſſa nihil ad ſe

pertinere credant, vt ad ostenta increduli sint, *quis longos sibi non auguret annos?* Verissime dictum.

357. *Dilabsae passibus aegris* (moestitia lentos facit gressus), *cum prole nurus*, vxores et liberi; *tandemque quiescunt dissona peruigili planctu iuga*, silent per montes dissonae per totam noctem auditae voces, non secus ac orae Aegypti ab auibus patriam vere ineunte repetentibus relictae, quod ita effertur: *qualiter Arctos* septemtrionales *ad patrias reuectis auibus Memphis* Aegyptus omnino, *et aprici* calidioris *statio silet annua Nili*, ad quem quotannis mitius per hiemem coelum quaerunt aues nonnullae. Totus locus adumbratus ex Virgilio Aen. 10, 265 sq.

362. At nec dies, nec diem proxime excipiens *nox aspera curis*, quae asperas secum adfert curas, *Minyas ab tanta caesorum imagine soluit*, oculis animisque obuersari pergit amicorum caedes. Venti flant secundi, nec tamen fiducia vlla; nondum iusta omnia mortuis fecisse sibi videntur, patriae laborisque inmemores segni, otioso luctu torpent. — 369. Ipse Iason, quamquam *tristissima rerum castiganda duci vultuque premenda sereno* — sententia egregia! Quo tristiora sunt, quae duci exercituique eius adcidunt, eo magis dolorem reprimere (vel obcultare, vti v. 718.) vultumque serenum atque confidentem decet praeferre, *dulcibus indulget lacrymis*, quibus animum leuari sentit, *aperitque* non dissimilat *dolorem*. Gemere adeoque lacrymari heroibus ipsisque Diis haud indecorum habuerunt inde ab Homero poetae.

372. Tum in secretum abducit *Phoebeum* vatem, augurem *Mopsum*, causas mali ab eo exquisiturus. *Decretusne venit fato pauor* a Diis inmissus, *an sibi nectunt corda moras?* an nos ipsi metu sponte animis concepto a prosequendo itinere retinemur? *cur iam inmemores famaeque larisque* (cf. paullo ante 367. patriae laborumque amorem) *angimur? aut pariet* (exquisite pro habebit) *quemnam haec ignauia finem?*

377 — 416. Ad haec responsurus Mopsus philosophatur, doctrinaeque ab eo propositae summa haec est: Animae nostrae particulae sunt naturae diuinae et inmortales; nefas igitur est, alios interficere. Quod si quis tamen fecerit, animae interfectorum, iniuriae adceptae memores, queruntur apud iudices inferos, qui ad superos, Furia comite addita, reuertere eis permittunt, vt de interfectoribus meritas sumant poenas. Si qui vero inscii aliis

mortem intulerint, hi ſua ipſorum conſcientia anguntur, piaculo tamen aliquo dolori poſſunt mederi ſuo. — Hoc philoſophema Argonautarum aetate vtique recentius et e Platone hauſtum eſt, vnde etiam riuulos deduxit Virgilius Aen. 6, 724-755. vbi vide Heynium ad verſum in primis 743. qui et Noſtrum laudare non neglexit. — Sed ſingula videamus: 378. *Si mortalia membra ſunt, ſortitusque breues et parui tempora ſati perpetimur,* exiguum vitae noſtrae ſpatium conſtitutum eſt, *ſocius ſuperi quondam ignis Olympi,* nobis, quorum animae olim puriſſimi aetheris particulae eſſent, *nefas ideo miſcere neces,* non ideo licet, quemcumque velimus, pro lubitu vita priuare, *ferroque morantes exigere hinc animas redituraque ſemina coelo,* manu violenta expellere corporibus animas in coelum reuerſuras. — 382. *Quippe nec in ventos, nec in vltima ſoluimur oſſa,* non omnes morimur, meliorque noſtri pars perdurat, *ira manet, duratque dolor,* ſenſus eorum, quae paſſi ſumus, remanet; *quum deinde tremendi Iouis* Plutonis (ſupra 1, 730. Iupiter Tartareus) *ad ſolium venere queſtuque nefandam* indignam *edocuere necem, patet illis ianua leti,* Stygem renauigare permittitur, *comes vna ſororum* Furiarum *additur, et pariter terras atque aequora luſtrant,* Furia auxiliante interfectores vbique inveſtigare atque perſequi datur. — 389. *Quisque ſuos ſontes,* qui iniuſtam necem intulerunt, *poenis implicat.* — 391. *At quibus inuito maduerunt ſanguine dextrae,* qui inſcii caedem perpetrarunt, *ſi fors ſaeua tulit miſeros,* ſi caſui fortuito adſcribendum eſt facinus, *ſi proxima culpae,* ſi non culpa quidem iuſti nominis, ſed culpa tamen aliqua leuior in homines cadit, *hos variis mens* conſcientia *ipſa modis agit, ſua carpunt facta viros reſides* (melius fortaſſe cum Burmanno poſt *viros* incidas, vt *reſides* in primum caſum abeat) conturbantur ita, vt langueſcere incipiant, *iam nil amplius auſi,* animam deſpondentes, lacrymantur meticuloſi, ſegnes exſiſtunt — *quos ecce vides* δεικτικῶς — tales nos nunc ſumus. — 396. *Sed noſtra requiret cura viam, memori iam pridem cognita vati.* (Sic repoſui, iubente codice Burmanni, pro *vate,* quod ſenſu caret) *Cura noſtra* i. e. ego, et ad *vati* ſubintellige *mihi;* ſic omnia clara: Ego viam iterum reuiſam, quam iam olim, bene enim memini, calcaui. — 398. *Eſt procul ad Stygiae deuexa ſilentia noctis,* ornate pro inferorum regno, *Cimmerium domus et ſuper isincognita tellus,* ergo

non in geographicis illa tabulis nostris inquirenda, sed a poetis efficta, qui extremas mundi terras Austrum et septemtrionem versus Cimmeriis adsignauerunt, et primo quidem ab Homero Odyss. 11, 14 sq. quem Valerius expressit) *coeruleo*, nigro, *tenebricosa sinu*, *quo Sol numquam flammea iuga* currum, *sidereos nec mittit Iupiter annos*, anni tempestates ab siderum motu pendentes, hieme excepta, numquam calesit solis radiis, *stant* (quietem exprimit) *frondes tacitae*, nulla ibi auis querula auditur, *immotaque sylua comanti horret verna iugo*, ipso vere, si quod ipsi contingat, nulla tamen vel leui aura arbores in montibus agitantur, sed frigore horrent ac rigent; *specus vmbrarumque meatus subter*, antra subterranea, per quae defunctorum manes commeant; *Oceani praeceps fragor* (pr. praecipitis Oceani, sed sic saepe transferunt epitheta poetae) *aruaque nigro* (horrido, vt saepe *atra cura*) *vasta metu* tenebricosa, latissime patentia, formidine plena, *et subitae post longa silentia voces*, perpetua silentia raro eoque terrifico sonitu rupta. — 406. *Ensifer hic atraque sedens in veste Celeneus* (nomen sine dubio a Valerio confictum, nam poetis epicis omnia definite, etiam nomina efferenda sunt) *insontes errore luit*, lustrat, purgat, *culpamque remittens carmina turbatos* laesos *voluit*, vt Virgilii Sibylla folia, *placantia manes*. — 409. *Ille mihi lustramina* piacula *prodidit* indicauit, *volens* sponte, beneuole *Erebum terramque retexit*, quid ad inferos placandos apud superos agendum sit. — 411. *Ergo vbi oriens* sol *ascenderit* curru *vndas* (nescio tamen, an melius Burmannus *adcenderit*, inlustrauerit, vti 5, 370.) *puniceas* ab effectu, vt puniceae adpareant, colore purpureo tinctae videantur, *tu sacris adhibere*, pro *adhibe*, more Graecorum, qui Infinitiuum ponunt pro Imperatiuo. v. Dorvil. ad Chariton. p. 475. ed. Lips. — *armentaque magnis bina Deis*; me vero interea temporis vobis adesse *haud fas est*, religio prohibet, *donec*, quoad, quamdiu *lustralia pernox vota fero*, preces fundo per silentia noctis expiatorias, et iam nox adpropinquat, *mouet en gelidos Latonia currus*, Luna refrigerare incipit terras: (Lunae currum iam supra vidimus 2, 295.) — 416. *Flecte gradum*, redeas ad socios, eosque mone, preces meas ne turbent, *placitis sileant*, *age*, *litora coeptis*.

417. Iamque media nox erat, quod poeta duobus versiculis amplificat: *sopor mediis tellurem presserat horis*, *et circum tacito volitabant somnia mundo*. Sic enim

poetae tempora, enumeratis iis, quae fieri quoque tempore ſolent, circumſcribunt. Copioſiores ſunt in hac noctis imagine pingenda Apollonius 3, 744. et Virgil. Aen. 4, 522 ſq. — 419. *vigil arcani ſacri ſpeculatus tempora* iuſtum temporis momentum rite ſeruans *Ampycides* Mopſus *petit aduerſis Aeſepia ſyluis flumina*, Aeſepum per proximas ſyluas defluentem et inde in mare ſe proiicientem. — 422. *Hic ſale purpureo* (recte, nam purpuram poetae tribuunt omnino rebus pulcris, nitore in primis inſignibus, vide ſupra 179. purpureos *oculos*. — purpureos *olores* Horat. Od. 4, 1. 10. purpureum *ver* Virgil. Ecl. 9, 40. purpurea adeo *nix* Albinov. 2, 62. Sal purpureum proprie tamen obcurrit apud Strabonem Lib. 3. c. 3. p. 415. ed: Siebenkees. quod terendo candidum faciant Hiſpani) *vinaque lympha* aqua *membra nouat* abluit *nitentia*, vt niteant, *ſeque horrificis adcommodat actis*, parat omnia, quae ad ſacra diis inferis rite facienda pertinere ſciret. *Tempora tum vittis et ſubplice oliua*, quam ſubpliçes manu ferebant, (ἱκετηρία. cf. 5, 362.) *implicat*, et *ſtricto deſignat litora ferro*, locum eligit in litore (*templum* vocabant augures Liv. 1, 7, 18.) *circum aras humiles*, (his enim Dii inferi contenti eſſe debebant. Virgil. Aen. 6, 252.) *ignotaque nomina Diuum inſtituit*, cuique arae nomen aliquod Dei, quamquam non nominatim adſignabat, (gentiles enim, ne quod forte numen neglegerent, ἀγνώστοις etiam altaria erexiſſe, δεισιδαιμονία docet Athenienſium in Actis Apoſt. 17, 23.) *ſyluaque ſuper contriſtat opaca*, multis denſisque frondibus obumbrat; vtque *metum numenque loco addidit*, locum ita adornauerat, vt ſacrum quemdam horrorem reuerentiamque in animis poſſet excitare, *ardenti nitidum iubar excitat alto*, ſolem orientem prouocat.

430. Sole orto Argonautae armis ornati incedunt, prae ſe agentes *lectas* egregias *bidentes* oues *aurata fronte*, cornibus deauratis. *Delius* (Phoebeus 372.) *hic ſacerdos* augur *longe obcurrit, ramoque vocat*, inuitat, innuit, vt propius adcedant, iamque ipſe *recenti ſtat tumulo*, ſubgeſtum e viridi ceſpite conſcendit, *placida transmittens agmina lauro*, praetereuntem quemque laurea fronde leuiter tangens. — 435. Ducit deinde ad fluuium, *ac vincula ſoluere monſtrat prima pedum*, exſutis calceis aquas iubet intrare, *glaucasque frondes* (intellego de arundine, canna) *comis praetexere, hinc manus* orientem verſus ſolem tendere, et per campos diſcumbere.

439. Tunc *piceae*, nigrae, nam tales inferis obferebantur, *oues mactatae, prosectaque partim pectora per medios, partim gerit obuius Idmon.* Locus in mendo cubans ideoque obscurus, non in *prosectis* quidem, quae constat particulas fuisse viscerum tamquam primitias abscisas, et in altaria coniectas, sed difficultas est in τῷ *partim* bis repetito, quod vel actionem duplicem, vel duas personas agentes requirit. Vnice vera est, quam Cel. Harlesius ex codice Bononiensi adtulit, emendatio; qui codex pro PER MEDIOS habet FERT MOPSVS, qui abesse non potest, quum sequentia ad hunc solum, non ad Idmonem, qui nil nisi prosecta circumtulit, pertineant. Nil verius, ideoque recepi. — 441. Ter tacite ingressi Argonautae, ter Mopsus arma vestesque virorum tangit, *lustramina* purgamina ad mare proiicit; cetera comburuntur. — 444. *Quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum rite locat quercus*, truncos quercuum in speciem humanam efformatos locat, *similataque subligat arma*, exornat galeis, clypeis, armis, vti nos, quae dicuntur, tropaea. — 446. *Huc*, in haec ficta hominum simulacra *Stygias transire minas orat manes*, rogat, vt in haec iras transferant. — 448. *lustrifico* expiante *cantu vocat: Ite peremti*, manes a nobis caesorum, *memores abolete animas*, deponite memoriam facinoris nostri, *sit Stygiae iam sedis amor* ad inferos regrediamini. — 451. Vos ego nec per Graecas vrbes, nec per *triuia*, in quibus res suas habere in primis spectra credebantur, *vlulare* velim; nec gregibus nostris agrisue calamitatem inferte, nec *luctifer annus* grauis auctumnus homines incessat, nec nostri *minores*, liberi, posteri *luant ea facta*, caedem a nobis insciis perpetratam. — 456. Dixerat, et *summas* vltimas *frondentibus aris* (427.) *intulit, libauitque dapes*, carnes prosectas; quas *placidi*, innoxii, mites *protenus angues, vmbrarum famuli*, quibus Manes alias solebant vti ad terrorem hominibus incutiendum (cf. 4, 250.) *linguis rapuere coruscis*.

459. Continuo nauem repetere Argonautas iubet Mopsus, *nec visum terrae vertere*, retrospicere, *exciderint* animo, obliuiscamur, *quae gesta manu*, in quibus inscia manus, non animus peccauit, *quae debita fatis* (cf. 5, 21. et Virgil. Aen. 9, 107. *tempora Parcae debita*) non tam nobis, quam fatorum iniquitati adscribenda. — 462. Illi alacriter operi se adcingunt, *ardua celsis insternunt tabulata foris* (tabulata a foris vix discriminari possis, nisi illa pro exteriori,

conuexa nauis compagine, foros pro interioribus ſedibus, tranſtris ſumas; tum vero ſenſus eſſet: tranſtra ſubſtratis veſtibus altiora fecerunt in alta naue) *laetae concordia vocis oritur*, laeti omnes vno ore conclamant. — 465. *Iupiter vrguentem* inminentem *nubem ceu ſummis* altis *Cerauniis* (Acrocerauniis Horat. Od. 1, 3, 20. vbi v. Iani) *quum pepulit* diſſipauit, *fulſere* repente *et nemora et ſcopuli, nitidusque reducitur aether.* Venuſta comparatio et ad naturam expreſſa. Vti obnubilato coelo, quae prae pedibus eſſent, vix poterant conſpici, iam ſole nubes diſiiciente, proſpectus ita longe patet, vt remota etiam nemora et ſcopuli adpareant, et clariſſima coelum occupet ſerenitas — eodem modo *et animi rediere viris, nutat magiſter ab arce ratis*, Tiphys gubernator manibus vultuque a puppi ad vrguendum laborem exhortatur. — 472. *Inſtaurant primi certamina* inuicem aemulantes, *liber amictu* veſte depoſita *Eurytus* et *Idas, dictis* (dicteriis) *Talai*, qui ſine dubio inriſerat, quod cum Euryto vellet contendere, *non territus.* Inde alii *increpitant*, ſe inuicem excitant, atque *aequora pectore tollunt*, viribus intentis exagitant mare remis — *par gemitu* adclamatione, anhelitu, *pulſuque remorum labor, verſumque viciſſim mittitur in puppim mare*, vt, quo magis remos adtraherent, eo maiores fluctus retro puppim verſus ferrentur. — 474. *Laetus et Hercules, intortis adſurgens arduis vndis* altius ſe erigens ad fluctus vincendos *percuſſit ſubito deceptum fragmine pectus*, remus ſubito nil tale timenti ad pectus fractus eſt, atque in *terga ruens*, tribus poſt ſe ſedentibus ſtratis, in tranſtro quarti caput inpegit. Vide molem viri! cf. Apollonium 1, 1167 ſq.

481. Iam meridies erat, quod ornate ſic effert poeta: *Iam ſummas coeli Phoebus candentior*, ardentior, *arces vicerat*, ſummum coelum adſcenderat, et *longas* antea *medius* in medio coelo conſtitutus, meridie *reuocauerat* exquiſite pro contraxerat, breuiores fecerat *vmbras.* — 483. *Tardior hinc, ceſſante viro*, tam valido remige quadis Hercules eſſet, deſtitutam *nauem* animaduertens, Tiphys ad proxima litora, *quosque dabat*, obferebat, ob oculos ſiſtebat *Myſia*, *denſos trabe montes* denſis arboribus conſitos *aduehitur.* Qua obportunitate vſus Hercules, naui egreditur, *petit*, inquiſiturus, *excelſas ornos*, vnde nouum ſibi remum conficeret, (Labores Herculis in euellenda arbore egregie pingit Apollonius 1, 1197 ſq.) comitemque

habet *Hylan*, qui tamen passus Herculis *iniquos*, pleniores, grandiores, (auidi gressus 1, 183.) aequare non potest.

487. Iuno Herculem animaduertens nauem deseruisse, occasionem ei nocendi oblatam adreptura primum Palladem in partes suas trahere studet. Quod quum non adeo facile esset, quoniam haec, *consors curis*, vti Iasoni susceptaeque ab eo expeditioni ita etiam Herculi fratri fauebat, fallere eam molitur, et *dolis* caro fratri auertere. Tunc ita adloquitur — quem sermonem vt melius intelligant lectores, breuissimis huc ponam, quae fusius infra 5, 230 - 273. narrantur. Phrixus mortuus Aeetae regi per insomnium adparens praedixerat, magnum huic malum inminere, si quando vellus aureum eripi sibi Medeamque filiam extraneo iungi pateretur. Itaque constituit vellus diligentius custodire, filiamque inmaturam Stiro, Albanorum regi, desponsare. Quum vero varia ob ostenta atque prodigia ciues de futuro soliciti esse coepissent, sacerdos Aeetae suasit, vt vellus quamprimum in Thessaliam remitteret. Sacerdoti se adiunxit Perses, Aeetae frater. Rex ira excandescens fratrem insimilat, quod inanibus ciues terroribus inpleat, vt solio se deiiceret. Persuadet idem aulae proceribus, et Perses in exsilium abit, mox socia adiutus manu rediturus. Haec omnia facta ante expeditionem Argonauticam susceptam, et iam Iunonis oratio facillima erit ad intelligendum. — 492. *Procerum vi pulsus iniqua, germanique* fratris vterini Aeetae *manu* (*repetes, quo crimine*) meministi, quam falsa criminatione, *Perses iam mouit opes barbaricas* Scythicas, in primis Hyrcanas 494. ex Aeetae partibus stabant alii Scythae, Albani 497. *Albana porta*, portis Caucasiis, cf. infra 6, 33 sq. *gener*, futurus, procus. — 498. *Bellum ingens: Mars ipse citis habenis fundit* agitat *equos; Arctoo de carcere magna se tollit nubes*, nubes a ventis septemtrionalibus, Thraciae, vbi Mars sedem habere dicebatur, conlecta, *atque aequore pendet atro* hac ipsa nube obfuscato. — 501. *Corripe prima vias*, prior me in Colchidem festina, mox ipsa sequar. *coepta refer* Persae, iam in itinere esse auxilia, *paullumque nefas* (kleine Schelmerey?) *et foedera necte* cum Persa. Faciliorem tamen sensum habebis, si cum Burmanno et Doeringio ad Eclogas veterum poetarum p. 213. pro *nefas* legas *moras*. — 506. At Pallas, quamqnam *insidias aestusque* dolos iramque in Herculem nouercae sentit, obsequitur tamen, et petit Colchos.

509. Nunc ſola relicta Iuno ſecum ipſa queritur, quod odiis in Herculem nihil proficiat. *Eu odiis caput inſuperabile noſtris!* Quid prodeſſet, ſi alium ei Nemeaeum leonem, aliam hydram Lernaeam inmitterem? Sponte quaerit ipſe pericula. *Phrygiis vltro concurrere monſtris virum, et pulcro reſerantem Pergama ponto vidimus.* Sermo eſt de bellua Troiae litora infeſtante et Heſione liberata, ſed in vltimis verbis *pulcro* admodum friget otioſum. Poſſis fortaſſe legere *tuto*, ſi conferas ſupra 2, 545. *tuta litora:* magis tamen adridet Wakefieldii in delectu tragoediar. p. 40. coniectura *puro*, prouocantis ad Horatii *puras plateas* Epp. 2, 2. 71. vt ſenſus ſit: Troianis vſum maris reddidit, ex quo liberum illud viderunt monſtro marino. cf. etiam Iacobs Animadv. ad Anthol. Vol. 1. P. 2. p. 293. — 514. *En ego nunc regum* Iovis, Neptuni, Plutonis *ſoror, et mihi generis*, Saturni filia quae ſim, *vllus honos?* — 515. *Iam tum indecores* pudori mihi erant *iuſtaeque dolorum primitiae*, exquiſite! merito indignandum fuit, *et tenero ſuperati protenus angues* ab Hercule in ipſis cunis eliſi, (Voculam ET, commate poſt *primitiae* ſublato, mutaui in A. nec poenitet. Dativum *tenero* Graeco more adcipi poſſe pro *a tenero* bene noui, ſed vel ſic τὸ *et* inutile reperietur. Non niſi vna propoſitio eſt: angues a tenero ſuperati indecores exſtiterunt). — 517. Quod quum infans auſus eſſet, *debueram victa* (ironice) *nunc* iuueni nullos *caſus* labores inmittere? *Verum animis* (irae) *inſiſte tuis, aſtumque per omnem tende pudor*, ſine pudore dolum quemque necte, mox et *Furias Ditemque*, Acheronta mouebo.

521. Haec ait, et in montibus ſyluoſis venantes videt pulcras Nymphas, Naiades, Dryades, Oreades cet. *vndarum nemorumque decus. Leuis arcus* (*habilis* infra hoc libro 607. *facilis* 1, 109.) et *manicae virides*, armillae e tenuibus arborum ramuſculis conſertae, *ſtricta et corytus habena.* Vulgata habet: *et ſtricta myrtus habena;* quam ſi ſeruare velis, non aliter exponere poſſis, quam ſagittam, (myrtis enim ad haſtas etiam et iacula vſos eſſe veteres, conſtat ex Virgilio Aen. 3, 23. Ge. 2, 447.) loris inſtructam, amentatam. Sed longe exquiſitiorem ſubminiſtrauit lectionem amiciſſimi *Muelleri*, ſcholae Cizenſis Rectoris meritiſſimi, facilitas; a quo quum petiiſſem, vt, ſi quid in libris Thomae Reineſii, quorum pars maxima in bibliothecam epiſcopalem Cizenſem olim migrauit, orae Valerii mei adſcriptum deprehenderet, mecum beneuole

communicaret, inter alia leuioris momenti adnotamenta inueniſſe ſe ad hunc locum nuntiauit adiecta haec: "*Virides manicae*, videri poſſit legendum *teretes;* (nil opus! W.) *myrtus* lege *corytus*. Phavorinus: γώρυτος, ἡ τοῦ τόξου θήκη, pharetra. Stat. Theb. 10. (9. 730.) Stupor correctoris ſcioli, ſimul ingenioſa nequitia hic adparet." Hactenus Reineſius, qui in hac emendatione ita ſibi placuit, vt eamdem etiam ſuo exemplari Phavorini adlineret, et in Gloſſ. ad Inſcriptiones p. 116. orbi erudito nollet inuidere. v. Gesneri Theſ. h. v. qui et ipſe hanc correctionem probat, et Burmannum, ſi in mentem veniſſet, facile amplexurum fuiſſe, coniicit. Ceterum vox iſta etiam apud alios obuia eſt poetas, Virgilium, Ovidium, Silium cet. quarum loca vide ap. Gesnerum. Ego vero Reineſii et Gesneri, duumuirorum praeſtantiſſimorum, auctoritati hoc dedi, vt lectionem diu inmerito exſulem reuocarem, ita tamen, vt, quum prima ſyllaba producenda ſit (γωρυτος) pro *et ſtricta* poſuerim *ſtricta et*: *Stricta et corytus habena*, h. e. pharetra loris humero apte adcommodata. — Pergit poeta 525. Nympharum in cultu enarrando: *ſummo palla genu*, ſtola, quam fibula ad genu retraxerat, qualem et poetae et artifices ſiſtere ſolent Dianam, *tenui vagus innatat vnda crinis*, pulcre! paſſi capilli tenuium inſtar fluctuum mouentur per ceruicem ad mammas vsque, *ad obſcurae* tectae decurrens *cingula*, ſtrophia, *mammae*. — 527. *Ipſa tellus citatarum*. propere incedentium, procurrentium *ſororum pede plauſa* percuſſa *perſonat*, et *teneris*, vt ſuperficiem tantum leuiter perſtringerent, *ſubmittit* erigit, ſurſum mittit, ἀναπέμπει, *gramina plantis*. cf. Ruperti ad Sil. 1, 673.

529. Harum Nympharum vna *Dryope Herculeo*, Herculis arbores caedentis *fragore percuſſa* commota proceſſerat longius, *turbatum viſura nemus*, quid ſibi vellet iſte in ſylua ſonitus, ſed fontem petebat rurſus, *et adtonitos referebat ab Hercule vultus*, viſa tanta viri mole territa aufugit. Ingenium muliebre, videndi audiendique cupidum, idem tamen timidum, bene expreſſum.

533. Hanc delabſa polo ad ſe vocatam Iuno blande adloquitur, et pronubae nomen egregie tuetur. Recte feciſti, inquit, laudoque ſubtilem pulcri ſenſum, quod tot hucusque procos, vt te non ſatis dignos, ſpreueris; ipſa tibi ego iuuenem conciliabo, quem profecto non adſpernaberis, qui Theſſalica naui huc adpulit, et in ipſa hac ſylua

oberrat, *Hylan*, nec Baccho, nec Apollini, quos nosti pulcerrimos inter Deos haberi, venustate cedentem. — 538. Vidisti *roseis* pulcris *habenis* curru *per haec loca domitas acies* captiuos, et *Eoi regni fercula* Indiae spolia *ducentem Bacchum*, vidisti *rursus thiasos et sacra mouentem*. *Mouere* vox sollemnis de sacris faciundis. v. supra 232. *τὸ rursus* pertinere videtur ad Bacchica sacra per expeditionem in Indiam susceptam intermissa. Ammianus, de eodem Bacchi reditu loquens 22, 8. *orgia pristina reparauit.* cf. infra 5, 74 sq. qui locus huc omnino conferendus, vbi *resides* thiasi. — 540. *Hunc*, talem, aeque venustam, *vel posito pectine* lyra *venantem Phoebum crede dari* Hylan. Quantum lugebunt sibique dolebunt praereptum, quae eum sibi sperauerant, *Achaeae*, patriae, *Nymphae*, *proles Boebeia*, Thessala (v. 1, 449.) *et flaui nata tristis Lycormae*, fluuii Aetoliae. Naiadas enim fluviatilium Deorum filiae narrantur fuisse.

545. Sic ait, et cornibus sublimem *frondosa auia* subito perrumpentem Hylae obfert ceruum, (Virgil. Aen. 1, 189. *capita alta ferentem cornibus arboreis inter nemora frondea*) qui quum, ita iubente Iunone, tardius incederet et consisteret diutius, persequendi eum lubido incessit Hylan. — 550. Hercules ipse e longinquo prospiciens hortatur, et dicto citius et ceruus et Hylas ex oculis ablati. Ceruus puerum persequentem et iaculari, sed fessa manu, minantem procul *ad nitidi* clari *fontis spiracula* antra (Apollon. 1. *κρήνη καλλίναος*) *abducit*, et *leuis ipse superfugit vndas intactas*, vno saltu traiicit.

555. Ita spes Hylae elusa; vt vero *artus et concita pectora* totum corpus aestuans *sudor diluerat*, penetrauerat, madefecerat, *auidus* quietis *procumbit ad amnem*. *Stagna vaga*, trepida, tremula *ceu* (ita reposui praeeunte Heinsio pro *sic*, vt referatur ad sequens *tale*) *luce micant*, *vbi Cynthia* Luna *coelo prospicit*, *aut medii* meridie *transit rota candida* orbis purus *Phoebi*; *tale iubar diffundit aquis* facies procumbentis Hylae; *nil vmbra comaeque*, vmbrae arborum, (*die schauerliche Dunkelheit des Haines.* Sic verissime Lenzius Encycl. S. 309.) *turbant*, nil *sonitus surgentis ad oscula Nymphae*. — 560. *Illa auidas iniecta* (violentiam exprimit) *manus*, brachiis amplexa cupidis, *heu fera cientem* vocantem *auxilia*, et *magni referentem*, saepius repetentem *nomen amici Herculis*, *detrahit*, secum rapit in antrum; *adiutae prono nam*

pectore vires, nec magno labore conſtitit, quum ſuo ipſius pondere Hylas procideret. Apollon. 1, 1237. ex verſione Bodmeri: *Schlug voll glüh'nden Verlangens, den ſchönen Mund ihm zu küſſen, Um den Nacken des Knaben den linken Arm, mit dem rechten Zuckte ſie ihn hinunter.* Hoc Hylae fatum ſi quis ab aliis alia ſubinde ratione narratum velit cognoſcere, is mihi adeat in primis Theocritum Id. 13. et Propertium 1, 20.

565. Interea *pater*, (reſpicit Hylan, qui filii loco erat) *arcibus vmbroſis* verticibus montis *ornos depulerat* (nimis quaeſitum, alibi ap. noſtrum *deiicit* 8, 289. delatum nemus 1, 122. forte rectius *inpulerat*, i. e. labefactauerat, nam ſequitur *reuulſus*, quod idem eſſet cum *depellere.* Tres igitur ad meam ſententiam poeta voluit actiones Herculis nobis narrare: inpellit — euellit — porrigit) *magnoque iugi ſtridore* ſonitu *reuulſas* eradicatas ſuper horrida *terga fului monſtri* pellis leoninae *porrexerat* — (pingit longitudinem arboris) *litora curua petens* ſperans ibi ſe inuenturum Hylan, coenasque *capta ferina* lautiores atque magis dapſiles. — 570. Sed neque inter ſocios, nec ad menſas in litore *aeger*, ſolicitus videt Hylan *vnanimum*, amiciſſimum, alteram quaſi ſui partem (cf. 4, 162.) *nec longius acrem intendens aciem* nec diutius hic ſibi circumſpiciendum commorandumque cenſet. Sed quid agat, neſcium *nube mali percuſſit amor*, quo magis amaret Hylan, eo atrocius malum ipſi viſum eſt. — 574. *quis caſus inpune moram adtulerit talem*, quam remouere atque vlciſci non poſſet, quoniam, vnde ea necteretur, ignorabat — *denſam interea deſcendere noctem iam maiore metu*, nox adpropinquans magis ſolicitum de Hyla ſuo facit — *pallor et amens* qui amentem faceret *rigor*, ita extra ſe poſitus eſt, vt vix membra poſſit mouere, *cum piceo* ſordido *ſudore:* breuibus adumbratum ex Virgilii Aen. 9, 812: *tum toto corpore ſudor liquitur, et piceum (nec reſpirare poteſtas) flumen agit; feſſos quatit acer anhelitus artus.* — 577. *ceu pectora nautis agricolisue congelat*, ad frigus vsque horrorem incutit *Iovis hiberni vultus*, conſpectus inſurgentis tempeſtatis, *quum coit vmbra minax*, nubes tenebricoſae magis magisque conſtipantur, ſic Herculem adficit error comitis, iamque ſaeuae ſubeſſe dolum nouercae ſuſpicari incipit. — 582. *Volucri ceu pectora tactus aſylo*, oeſtro percitus (Apollon. 3, 276. οἶστρος, ὅν τε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες. cf. eund. 1, 1265.

et Virgil. Ge. 3, 147.) *emicuit* celeriter exſilit *taurus Calabris ſeptis* ſtabulis Calabriae, diuitis et paſcuis et armentorum gregibus, *per confraga* per ſaxa, dumeta, (Ovid. Metam. 11, 334. ſimilis iuuenco, ſpicula crabronum preſſa ceruice gerenti. qua via nulla, ruit) *obuia quaeque ruens* — tali *fuga*, feſtinatione ſe concitat ardens *in iuga ſenta*, ſpinis horridos montes — *pauet omnis conſcia late ſylua: conſcia*, vel quod Herculis iam iam in caedendis arboribus furorem experta eſſet, vel quod iracundiam effuſurus eſſet in ſyluam, in qua, nulla tamen ſua culpa, raptus eſſet puerulus dilectus. Poſterius malim, magis quippe poeticum. cf. 4, 356. *antra conſcia*. — 587. Luxuriatur Valerius comparationibus, tertiam intra viginti verſiculos addens: Sicut, quem contigit *inproba*, magna, valida, pertinax *lancea Mauri refugi* ex fuga tamen redeuntis *ſanguineus* ſauciatus *leo vaſto* terrifico, latius audito *murmure fertur* furens, *frangit* (cf. 2, 459.) *et abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem*, eleganter, dentibus quamquam otioſis frendet, hoſtemque quaſi praeſentem comminuit. (Virgil. Aen. 9, 62. *inprobus ira ſaeuit in abſentem*, quod magis exornandum ſibi ſumſit Noſter). — Sic igitur Hercules, et intento decurrit montibus arcu. — 592. Heu miſerae ferae miſerique *inmeriti* innocentes homines, in quos vsquam per *luſtra*, ſyluas incidit! volat *nullo ordine*, temere, incertus conſilii, *cuncta petens*, vbicumque Hylan reperire ſuſpicari poſſit, *ripas, deiecta ſaxis flumina*, catarrhactas, *nemorum vmbras*, denſiſſimas ſyluas, *rurſus Hylan, et rurſus Hylan per longa reclamat*, h. l. proprie, clamat, vt ad ſe redeat, *reſponſant ſyluae* reddunt nomen, *et vaga certat imago*, ſolemnis Echus deſcriptio. Vix eloquutus eſt nomen Hylae Hercules, quum eadem vox ad aures eius adcidit (certatim quaſi).

598. *At ſociis inmota fides et certa morae*, conſtituerunt aliquantisper exſpectare, etſi venti vocabant ſecundi, *nec paruus Hylas* ſc. morae eſt, *quamquam omnibus aeque grata rudimenta*, omnes amabant, quod puer adhuc futurae virtutis documenta dederat, v. ſupra v. 183. (Melius cum Aldina legas: *Cauſa* morae *non* paruus Hylas.) *Herculeo ſub* (fortaſſe *ſed*) *nomine pendent*, dubii an iter proſequendum, quoties Hercules tanti vir nominis animum ſubiret. Illum omnes lacrymis votisque moeſtis repoſcunt; nunc *longas* longe ſonantes *voces* per litora ſpargunt, nunc ignes noctu incendunt. — 604. *Ipſe ductor*

Iaſon, quum alta per montes excelſos regnare ſilentia videret, nec vocem ſocii e ſyluis reſonantem audiret, et tamen *ſtrata oblatis ventis aequora* ſecundos ventos placidumque mare conſpiceret, ſtat lacrymans, magno tamen viri amore ductus exſpectare adhuc conſtituit. Vbique nempe eum deſiderat: non amplius videt grauem, dignitatis plenum inceſſum, pharetram *habilem* εὐμεταχείριστον (leuem ſupra 523. *habilem arcum* Virgil. Aen. 1, 318. *currum* Ovid. Met. 2, 531.) *ad terga*, tam apte ex humeris pendentem — requirit *inter moeſtae menſae ſilentia inops*, triſtis, vel quod dolor de tanti viri iactura mutos conuiuas faceret, vel quod Hercules, magnus in primis narrator, *durae monſtra nouercae* enumerans deeſſet, *et quondam ingenti comprenſa manu trahens vina;* egregie vero pingitur Hercules, et magnus — ingenti manu — comprehendens — auidus trahit.

611. Quoniam vero *Iuno crudelis* in Herculem *Iapyga* ventum occidentalem, Orientem igitur verſus nauigantibus fauentem, Argonautis praebere quotidie pergebat, tandem *Tiphys*, gubernator nauis, inſurgit, *cunctantes increpat auſus*, quod tantum auſum tot tamen moris interpellarent. Iaſon his dictis quidem adcedit ipſe, ſed ſocios ita adfatur: 617 — 621. quorum verſuum ſenſus hic eſt: Vtinam non euentum habere viderem oraculum, quod olim cecinit, fore, vt omnium ſociorum meorum heros fortiſſimus voluntate Iovis relinquatur, prius quam Cyaneos ſcopulos nobiſcum ſuperauerit. — 622. *Necdum fama viri*, nondum ſcimus, quid ei adciderit, *nec certior exſtitit auctor*, nec adhuc dum, quo gentium abierit, certo ſcimus. Quum igitur ipſe dubius ſim, quid agam, vos mihi conſilium detis, et ſi placuerit, ventis vti ſecundis, me habebitis comitem promtiſſimum; ſin ſententia ſteterit haec, vt aliquamdiu adhuc moremur, monteſque proximos rurſus perueſtigemus, fortaſſe operae pretium ſit, paullulum exſpectare, an forte tantum virum poſſimus recuperare.

628. *Studiis* partium, factionibus *freta* dedita iuuentus orat Iaſonem, vt in itinere pergat; *vnum tanto afore coetu*, in tanto numero vnum non deſiderari, ſeque Herculi nec genere cedere, nec virtute. *Tali ſtatu* tam ſuperbe dictis *pars maxima mentem erigit*, et *vana gliſcunt praecordia lingua*, inanis oris iactatio paullatim vim habet ad animum ipſum. cf. 2, 278. — 633 — 636. Adiungit poeta ſimile, in quo tamen comminiſcendo et adornando non

admodum felix fuiſſe videtur. *Vt cerua tum demum reducit gregem, vtque geſtit aper, vrſaque reboat*, (non apta vox vrſis murmurantibus) *comminus lupis ſuperbis*, (haec equidem, fateor, non intellego; intellegerem, ſi vrſa, quidquid obmurmuret, expulſa legere liceret: *reboantque ſuperbis comminus* ARVA *lupis*) *quum ſeſe tigris Martia* (de ferocioribus omnino beſtiis vſurpatur) *abstulit*, *aut curuo tacitus leo condidit antro*. Quae omnia ſi ad Herculem adcommodentur, videbimus, nihil ab eo timendum fuiſſe ſociis, vti ceruae a leone; melius procedit Argonautarum cum apris lupisque inſtituta comparatio: vti ferae iſtae tigridum et leonum abitu ideo geſtiunt, quod ſe ſolas in campis ſyluisue dominari videant, ita Argonautae Herculem, quem ſe ſuperiorem tacite ſecum confiterentur, abiiſſe gaudebant.

637. *At pius*, amore Herculis ductus *Telamon* omnia agit, vt ſocios a conſilio eius relinquendi reuocet: *iraſcitur* — *fremit* — *obiurgat* — *Deos inplorat*. Quibus omnibus quum nihil profeciſſet, ad preces ſe conuertit, prenſat manus, *ſubplex haeret*, cupidus audiendi, quid reſponſurus eſſet. *Iaſonis ad ora demiſſa*, qualia ſolent eſſe eorum, qui petentibus obtemperare lubenter, ſi poſſent, vellent. *Nil ſe ſuper Hercule fari, ſed ſocio quocumque gemens*. Captatio, quam vocant, beneuolentiae. Non ita ſe ſtudio Herculis teneri, vt non de alius cuiusque ſocii iactura aeque doliturus ſit; quum tamen in eo ſint, vt loca maxime periculoſa adeant, remque habeant cum feris nationibus, *non alium contra Alciden*, nullum eſſe, qui meliorem praeſtare operam poſſit.

645. *Rurſum* contra *inſurgit*, *ducitque fauentes*, ſuae factioni addictis perſuadere conatur *Calydone*, Aetoliae ciuitate, *ſatus Meleager*, cuius ingenium omnino hoc fuiſſe dicitur, vt ſibi ſolus ſapere videretur. *Potioribus ille deteriora fouens*, optimis conſiliis habebat ſemper, quae obponeret, quamquam leuiſſima, *ſemper inuerſa tueri durus*, pertinax in defendendis contrariis, *haud vllis vmquam ſuperabilis*, nullis, ne iuſtiſſimis quidem argumentis a propoſito amoueri ſe paſſus, *rectorumue inmemor*, monitoribus aſper. — 649. *Non Herculis*, inquit, *honor*, non quod rationem aliquam Herculis velim habere, *ſed tuus*, *mi Iaſon*, honor, tui reuerentia fecit, vt tam diu ſileremus, exſpectantes in dies veniam dicendi: (Acerbe dictum in Iaſonem, qui omnia ex arbitrio, ſociis non con-

ſultis, faciat.) — 652. *Septimus hic dies eſt*, ex quo ventis vtimur ſecundis. *Nos patriae inmemores, maneant ceu nulla reduces gaudia, ſed duro ſaeuae ſub rege Mycenae*, quaſi patriae, et in eam reditus obliti, vno labore defuncti, non ſecus ac Hercules ab Euryſtheo, ad alterum propelleremur, *in medio curſu* moramur. — 656. *Si finibus vllis has tolerare moras et inania tempora poſſem*, ſi vlla ratione quietis, morae deſidiaeque amans eſſem, profecto huic me expeditioni comitem non dediſſem; *dulcem ſceptris Calydona*, filius regis, *tenerem, laetus opum pacisque* (Graeco more, quem tamen nec pedeſtris Latinorum oratio reſpuit, ſubintell. *cauſa*, ἕνεκα) omni rerum abundantia in pace fruens iisdem, *quibus genitor materque locis. Quid deſide* (deſides) *terra haeremus? vacuos cur laſſant aequora viſus?* eadem maris facies per ſeptem dies ob oculos ad faſtidium vsque verſatur? — 662. Noli vero credere, Herculem tibi comitem amplius fore. *Non ea*, tam languida *fax odiis, oblitaque numine feſſo Iuno ſui*, non inmemor diuinitatis, quamquam nihil adhuc in perſequendo Hercule profecerit, non deſiſtet quaſi defatigata, *noua Tartareo, fors, ſemine monſtra*, noua fortaſſe ex ipſo Tartaro ipſi excitabit portenta, *atque iterum Inachiis iam nuntius vrguet ab Argis*, nouum mox ab Euryſtheo Mycenarum rege iuſſum nuntiabitur. — 667. *Non datur haec magni proles Iovis*, fatis ita conſtitutum, vt hunc Iovis filium diutius comitem non haberes, at habes eiusdem originis *Caſtorem et Pollucem*, habes ſocios aliorum Deorum progeniem, *nec parua mihi fiducia gentis*, habes — me. — 670. *Aſt egomet, quocumque voces, qua tegmina ferro plura metam.* Sic vulgo codices, *tegmina* tamen aperte in mendo cubant. *Heinſius* iam olim conrexerat, *quaque* (vbi) *agmina metas* — *Burmannus: quaeque agmina metat*, vt iungatur ſequentibus, *tibi dicta manus* — *Oudendorp.* ad Sueton. p. 519. *quanto agmine metam.* Recte omnes in *agmina* reſtituendo, rectius Oudendorpius, qui retinuit *metam*, quod conrigere nihil adtinet, ſi audias, (ſed quis non velit audire mecum?) Cel. *Iacobs* in Miſcell. philol. nuper editis p. 74. qui praeterea facillima feliciſſimaque coniectura primam ſine dubio Valerio manum reſtituit, a librariis conruptam. Ita vero legit: *Aſt egomet quocumque voces ſequar; agmina ferro Plura metam. Tibi dicta manus* cet. Facile, ſic deinde pergit, adnoſcis veſtigia vocabuli a nobis reuocati

ſequar in literis S QVA T, quarum primam abſorpſit praecedens verbum *voces*. Nil verius, nec eſt, ſpero, quod audaciae notam incurrere metuam, qui hanc talem emendationem in contextum receperim. — *tibi dicta* dicata *manus, tibi quidquid in ipſo ſanguine erit*, vltima ſanguinis guttula, vel omnis vigor meus, vti 1, 336. *iamque hinc*, ex quo Hercules abiit, operum quae maxima, poſco. — 673. *Scilicet* (ironice) *in ſolis profugi* (contemtim, ſponte digreſſi, vel erronis) *ſtetit Herculis armis noſtra ſalus? nempe ora aeque mortalia cuncti ecce gerunt*, (creſcit acerba irriſio: nos omnes miſeri nil niſi mortales ſumus, magnam iacturam fecimus, qui Deum amiſimus) *nempe ibunt aequo ordine remi*, profecimus adeo eius abitu. Deus enim nuper noſter tam vehementi, tam diuino robore remorum ordinem turbare ſolebat, vt poſt ſe ſedentes proſterneret. v. ſupra 478. — 676. Iam conuiciari orator incipit: *Vel inſano iam dudum turbidus aeſtu*, vel quod nuspiam diu moratur, *vel parta iam laude tumens conſortia famae deſpicit* alios omnes prae ſe contemnit, abiitque ſponte, ne, quam ſibi ſoli ineſſe opinatur, virtutem nobiscum partiri velle videretur. — 679. *Vos, quibus et virtus, et ſpes in limine primo*, quibus prima virtutis documenta edendi ſpes ita propinqua eſt, *tendite*, dum iuuenilis calor et membris et animis ineſt; *nec enim ſolis dare funera* cladem inferre *Colchis ſit ſatis, et tota pelagus luſtraſſe iuuenta*, iuueniles annos non niſi in rebus mari gerendis conſumere. — 683. Tandem mitius dicere velle videtur, ſimulatque adeo amorem Herculis: *Spes mihi, quae tali potuit longiſſima caſu, fuit*, ſpem foui, quamdiu licuit, *quibuscumque virum perquirere ſyluis egit amor*, tantopere amaui virum, vt angulos ſyluarum omnes latebrasque perreptarem, *loca vociferans non vlla reliqui*, ad omnes mundi plagas intendi vocem. Nunc quoque nil magis in votis habeo, quam vt *deuexis* decliuibus montibus redeuntem conſpiciam. — 688. *Sed ſatis lacrymis comitique* piis pro comite lacrymis *datum*, quem, mi Iaſon, crede *vel ſortibus aeui*, communi hominum fato, morte, *vel in mediae pugnae ſanguine* in certamine aliquo oblato tibi ereptum.

690. *Talibus Oenides* Meleager, (cf. 4, 33. vbi ad hunc noſtrum locum reſpicitur) *vrguet; incita dictis heroum manus, ante omnes* tamen *Argoa vincla* ancoras Argus *rapi*, celerrime tolli iubet *Calais*, Thrax, Boreae filius.

691. *Furias miratur ouantum*, incondito clamore laetantium, quod ſua ſententia viciſſet, *Aeacides* Telamon, quem dolor ita dubium reddidit, vt parum abeſſet, quin et ipſe, derelicta naui, ardua peteret montium. — 696. Nec tamen deſinit dolori et irae indulgere. Quam funeſtus, inquit, Graecis iſte dies, quam laetus contra Colchis! — 699. Nuper non ita inflati ſuperbia eramus, omnes fauebant Herculi, gratulabantur ſibi ipſi de tali comite, orabant, vt iuuaret, vt meritos ducis honores ſubiret. Quantum nunc mutati ab illis! — 703. Iam pro ſe quisque nihil Hercule ſe deteriorem, animo parem et ortu iactat, *iam inclyta vulgi dextera*, iam viliſſimus quisque, quique vix tirocinium poſuit, in ore omnium eſſe ſibi videtur. *Nulla fides, nulli ſuper Hercule fletus.* Quam inconſtantes eſtis, qui, quem tantopere coleretis, nunc ne lacrymula quidem dignum habeatis. — 705. Iam acrius et acerba inriſione inuehitur in duumuiros, qui, nulla Herculis habita ratione, maturari iter iuſſerant. Nunc *Parthaonides* Meleager, ab auo Parthaone, *nunc dux mihi* (hoc *mihi* non redundat, ſed ponitur, vbi miri aliquid adtendi volumus) *Thracia proles* Calais. *Aſpera nunc pauidos contra ruit agna leones.* Feſtiuac omparatio, quae et breuitate et ob inuerſam agnorum leonumque naturam placet mirifice: Timete vero, contremiſcite leones, inruunt ſcilicet aſperae agnae! — *Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam*, (haec Didymaonis haſta eſt ex Virgilii Aen. 5, 539.) *quae neque iam frondes, virides nec proferat vmbras*, (deſumta ex Homero Il. 1, 234. ex quo Virgil. Aen. 12, 207. vbi v. Heyne) *vt ſemel eſt euulſa iugis, ac matre* (obuerſata ſine dubio Noſtro eſt Horatii Pontica pinus, ſyluae *filia* nobilis Od. 1, 14.) *peremta, fida miniſteria et duras obit horrida pugnas*, hanc igitur haſtam *teſtor*, obteſtor, (cf. 2, 512. nec mirum, iuraſſe per haſtas aliaque arma, quae pro Diis haberent, priſcas aliquas gentes. v. Virgil. A. 10, 773. 12, 95.) et hoc tibi, Iaſon, *omni numine*, per omnes Deos Deasque, *firmo*, confirmo: *ſaepe metu, ſaepe in tenui discrimine rerum*, (cf. Ovidii Metam. 7, 426. tenue leti discrimen) ſed fruſtra Herculem deſiderabis, nilque te iuuabit vana iactatorum noſtrorum oſtentatio.

715. Sic Telamon ſenſum doloris premens non ſocios tantum increpat, ſed lacrymas etiam fundit, pulueremque capiti inſpergit, *inlacrymat, multaque comas deformat harena.* Virgil. Aen. 10, 844. *canitiem multo deformat puluere*,

Homer. Il. 18, 23. de Achille, Patrocli morte audita: Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν χεύατο κὰκ κεφαλῆς.

717. Iasonis contra dolor magis placius est. *Fata trahunt, raptusque* coactus virorum certamine *ibat, et obtenta mulcebat lumina palla*, lacrymas fundit et ipse, quae quum palam fusae imperatorem non satis decerent, obtento pallio detergit.

719. Nunc suum quisque in transtris occupat locum, *sed ingenti repetuntur pectora luctu*, luctus pectorum repetitur, renouatur. Vbique desiderant, *nullae leonis exuviae, tanti vacant vestigia transtri; flet pius Aeacides* Telamon, *moerent Paeantia corda*, Philoctetes, *ingemit frater cum Castore Pollux. Frater* referendum ad Herculem, qui aeque ac Castor et Pollux filius fuit Iovis. Et dum nauis alta petit, omnes semel adhuc et Herculis et Hylae inclamant nomina, *sed medio pereuntia*, in ventos abeuntia *ponto*.

726. Dies declinat in vesperam. Hoc varie exornat poeta ita, vt, quae illo tempore in mari, in terris, in coelo adcidere solent, enumeret. *Pater*, erat enim in antiquissimis Diis, *Phorcys*, filius Ponti et Terrae, (v. *Hermann mythol. Handb.* Th. 1. S. 37.) *toto aequore signum dat, et inmanes intorto murice* (concha) *phocas contrahit antra petens*, cf. Virgil. Aen. 5, 824. — Pastores reducunt greges domum: *Massylus* in Mauritania, *Lyctius*, Cretensis *et Calabris redit armentarius aruis.* — Occidens sol vti domos in terris subducit oculis, ita sidera tollit in coelo. Venti quiescunt, *flamina conticuere, iacet sine fluctibus aequor.*

733. Sed quid miser Hercules? Omnibus late peruestigatis syluis et montibus, de recuperando Hyla desperat, *nec qua mente reuisat socios, videt*, quodque mortis genus peremti comitis narret. Amor dilecti pueri tantus est, vt in syluis perseuerare constituat, haud secus ac leo, cui catuli erepti. — 737. Non aliter *gemitu quondam* (aliquando; cf. Virgil. Ge. 3, 99.) *lea prolis ademtae terga dedit*, gemens de prole ademta fugere sese videt coactam, tristis redit; *sedet inde viis* armentis metuenda, *inclusa longo peruigilant castella metu*, plures per dies pastores intra septa greges continent; *dolor adtrahit orbes*, oculos contrahit, deprimit, (vide locum fere similem supra lib. 1, 758. vbi itidem sermo de leone irato: *genas et lumina pressit*) *et misero manat iuba sordida luctu*, lacrymae manant ex iuba puluere consperſa.

IN LIBRVM IV.

1. Iupiter, miferans filium, Iunonem increpat grauiter. 4. *Vt noua nunc tacito fub pectore gaudia tollunt* (fe) quam inpenfe gaudes in finu, quod inopem, et in *folis*, defertis *oris* furere videas Herculem! — 6. *inmemores Minyae facilesque*, tam facile obliti, *alta petunt*. Sic Iuno, (ironice) egregia fcilicet patrona, curam habet Iafonis, *fic arma viro*, (non *viros*, quod obfidet vulgatam, vti recte monuit Cel. Beckius l. l. p. 265.) *fociosque miniftrat*, vt adimat. — 9. Mox de belli euentu dubia, Scythicas opes fpectans, formidine trepidabis, nihil vero tum efficies precibus, lacrymis, fubplicationibus; *rerum mihi firma poteftas*, nihil a confiliis femel captis amouere poteft. cf. 1, 531 fq. — 13. *I Venerem Furiasque moue*, excita tibi focias. Furiarum hoc in concitandis amoris motibus officium non nifi poetarum recentiorum eft. Statius Theb. 5, 60. vbi Lactantius Furias Veneri coniungi ait, quoniam Veneris voluptas nihil fit nifi infania. cf. Schneideri Analecta crit. p. 67. — *dabit inpia* (in patrem Medea) *virgo poenas, nec patrios gemitus patiemur inultos*, plane vt Horat. Od. 1, 28, 33. *precibus non linquar inultis*.

15. Tum inmittit filio fomnum. *Dixit, et arcano* (quo nomine poetis dicuntur, quaecumque vim quamdam humana maiorem, infolitam exferunt) *nectare* (ἀμβρόσιος ὕπνος Homer. Il. 2, 19.) *redolentem rorem*, liquorem, (*redolere* Ablatiuo additum rarius quidem, nec tamen fine exemplo. Ovid. Met. 5, 405. *olentes fulfure*. Eidem cafui iunctum *fpirare*, vt infra 6, 157. nec aliter Graeci πνεῖν) *quem penes* (cuius ea virtus effet) *alta quies liquidique potentia fomni, detulit, inque vagi libauit tempora nati*, adfperfit oculis. (Verbis *roris*, *liquidi* et *libauit* imitatur nofter alios poetas, qui quafi humoris quadam adfufione fomnum excitari volunt. Apud Homer. Od. 5, 492. Minerva Vlyffi ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦε. Virgil. Aen. 1, 691. Venus Afcanio placidam *inrigat* quietem. Somno ideo tribuitur *cornu*, v. c. apud Statium Theb. 2, 144. 6, 27. et ipfum noftrum 8, 121. cf. *Leffing*, *wie die Alten den Tod gebildet* S. 45. 48. et Ruperti ad Silium 10, 356.) — 18. *ille graues triftes oculos et Hylan refonantia femper ora ferens*, tandem, *vt nulla Deum Somnum fuperare poteftas*, non amplius refiftere poteft, *procumbit;* tandem *feffis*, clamore inmenfo defatigatis *pax*, quies *reddita*

ſyluis; fluminaque et vacuis a vociferante liberatis *montibus auditae aurae*, montes iam ſtrepitum fluminum, murmur fontium ventosque rurſus audiunt.

22. Dormienti adparet Hylas *frondibus in* (i. e. redimitus) *croceis*, corona crocea pulcra ornatus et rutila. — 26. *Hoc nemus, haec fatis* deſtinantibus, adſignantibus *mihi iam domus* eſt. *Inproba* (iniqua v. 23.) *Nympha rapit*, Iunone iubente; *inanes Iovis adceſſus et iam mihi limina coeli conciliat*, quod, ſi ſana lectio eſt, ita poſſit adcipi: promittit mihi, quod fortaſſe praeſtare non poteſt, adceſſum ad Iovem et Olympum, *iungitque preces et fontis honores*, conſolatur eo ſaltem, quod tamen fluuiatilis ſim Deus. Breuius tamen defungi poſſis, ſi cum Cl. Iacobs l. l. p. 77. pro *inanes* legas *in arces*. — 30. O dulces olim pharetrae! Sed *rapuerunt vincula* portum reliquerunt Argonautae, *hortatore Oenide* Meleagro nefando, qui tamen non inpune feret. Praedicit iam Hylas fata Meleagro, in cuius natiuitate, vti fabula narrat, Parcae matri Althaeae titionem, ex quo vita recens nati pueri penderet, ſancte cuſtodiendum commendauerant. Iuvenis deinde factus apri Calydonii exuuias Atalantae virgini adiudicauerat; quod aegre ferentes Meleagri auunculi exuuias iſtas virgini vi eripuerant. Ira commotus iuuenis eosdem interficit, mater autem, necem vltura fratrum, titionem illum in ignem coniicit; quo factum, vt Meleager ipſe viſcerum ardore conſumeretur atque tabeſceret. Fuſius haec omnia enarrantem, ſi lubet, vide Ovidium Metam. 8, 260-524. Iam vero plana quidem Valerii noſtri haec: *cum gente domoque iſta luet;* ſed quae ſequuntur, *ſaeuaeque aderunt tua numina matri*, ſi numina de Hercule in Deos relato intelligas, haud inepte quidem facias; ſed admodum placet, quae *Burmanno* in mentem venerat, emendatio, pro *tua numina* legenti *tria numina*, i. e. Furiae. Facillimum tamen, ſi cum Heinſio reponas *ſua*.

38. Talibus orantem dictis, *viſuque fruentem*, cum voluptate ſpectantem, *ille vltro petit, et vacuis amplexibus inſtat*, brachia extendit, ſed aera amplectitur et vmbras, *languentisque mouet fruſtra conamina dextrae*, conatur dextram erigere: fruſtra, languet, ſomnum diſcutere non poteſt, *corpus hebet ſomno, refugaque eluditur vmbra*. — 42. Expergefactus tandem, *tum lacrymis*, quas nec heroas nec Deos adeo dedecere veteres putabant, (vide infra 6, 738. et Leſſing Laocoonte p. 6.) *tum voce ſequi, tum queſtus*

rumpit, emittit, *et vano ſpes moeſta reſoluitur actu,* quum ſpem per inſomnium conceptam in nihilum redactam videret. — 44. Idem ei adcidit, quod *Halcyoni* (Alcedo, Eisvogel) *aui, cui fluctus ab ſaxi vndiſoni crepidine,* nam in ſummis litoribus nidos ſibi ſtruere iſtas volucres nouimus; *rapit fetumque laremque,* pullos cum ipſo nido, *it ſuper aegra parens, queriturque tumentibus vndis.* Neſcio, cur argutati ſint interpretes in loco facillimo: *it* volitat *ſuper vndis tumentibus, queriturque* (querula) *audetque pauetque,* eleganter duo animi motus ſibi obpoſiti in eodem ſubiecto: *certa ſequi, quocumque ferant,* fluctibus ſeſe promta eſt committere; mox animum deſpondet, *donec icta* agitata *domus,* nidus *fatiſcit,* rimas agit, diſſoluitur, *hauſtaque fluctu eſt.* De iisdem Halcyonibus audentibus ſimul pauentibusque cf. Senecam Agamemnone 680 ſq. — 50. Haud aliter Hercules, cui *ſomni moeſtus labor,* triſtis per ſomnum ſpecies oblata, ſpem iniecerat, qua vigil deiiceretur. — 52. Deſertos igitur, mi Hyla, montes hos ſyluasque tenebis, *nec res mirabere noſtras?* Oratio Hercule ſuae ſibi virtutis conſcio digna! Rerum a me gerendarum non amplius admiratorem habebo?

54. Haec fatus *relegit vias,* vnde venerat, reuertitur. — 57. *tacitumque* (aduerbial.) *pudet potuiſſe relinqui,* ipſum nomine quaſi Argonautarum pudet, quod reliquerint. — 58. *hoſpita moenia Troiae,* vbi ob liberatam virginem regiam hoſpitaliter ſeſe exceptum iri ſperabat, *repetens,* repetiturus *promiſſa* equos *tyranni.* v. omnino 2, 566 ſq.

60. Sed *Latona,* cum liberis, *Diana et Apolline,* precibus adeunt Iovem, vt Herculis opera vtatur ad liberandum tandem Promethea. *In quem alium Alciden,* (cf. 3, 644.) quis, quaeſo, alius fortior digniorque filio tuo, Hercule? *in quae tempora differs Caucaſium ſenem?* (Differre ſic ſaepe non de rebus tantum, ſed etiam perſonis, vti paullo poſt v. 78.) 65. *montes feſſaque iuga,* (ad amouendam tautologiam Nodellus Obſſ. p. 44. ſuadet *montes* mutari in *fontes.*) — 66. *ſat tibi furtum ignis, et aetheriae defenſa ſilentia menſae,* ſatis tuitus es iura conuiuii Deorum, ſatis poenarum dedit Prometheus, qui arcana tua euulgauit. — 68. *Exit vbi e ſcopulis, media inter pabula diri vulturis; ipſum etiam gemitu moeſtaque fatigat voce Iovem.* Sic vetuſtiſſimus codex Carrionis, ex quo tamen vix tolerabilem ſenſum eruere poſſis. Alii libri habent *dixit vbi,* i. e. quae quum Apollo dixiſſet, vel *dixit et,* pro quo Burman-

nus vult: *dixit*, *at*. Ego vero cum Heinſio legerim: *Excitus e ſcopulis — ipſe*, (vti Bononienſis et Beckius p. 265.) *etiam gemitu moeſtaque fatigat voce* cet. — 70. *ſaevis releuans ambuſta*, inflammata, rubicunda *pruinis lumina*. — 72. *ſtupet ipſe Dei* Promethei, herois, ex familia Titanum, (vnde ipſe Titan v. 79. et 5, 170.) *clamoribus ales* vultur. *Tunc etiam ſuperas Acheronte auditur ad arces*, ita ex ipſo Tartaro inclamauit, vt ſuperae terrae audirent, *Iapetus*, Promethei pater, *grauis*, vel annis, vel moleſtus precibus: *orantem procul arcet Erinnys*, non permiſit abitum ex Tartaro, cuius incola erat ob motum contra Iovem bellum, *reſpiciens celſi legem Iovis*, quae Tartaro addictos vetabat inde egredi.

75. Hiscè precibus motus *Iupiter velocem roſeis lucidis demittit nubibus Irim*, non Iunonis folius, ſed Iovis etiam et aliorum Deorum Dearumve miniſtram, *Phrygas* Troïanos nunc *differat Hercules*, *nunc eripiat dirae Titana volucri*. — 80. *Diua volat*, vix eloquutus erat Iupiter, quum iuſſa ſtatim exſequeretur, *et alacrem laetis hortatibus inplet*, laeta ipſa laetum nuntium adfert viro ad talia promtiſſimo.

82. Argonautae interea ſerena nocte fluctibus mediis *intulerant caua lintea* proſperis ventis vſi, *multaque memores ſuper Hercule voluunt*, varia de praeſenti nuper dilecti fato cogitant. *At Thracius ſacerdos*, Orpheus, *fata Deum et miſerae ſolans incommoda vitae*, ob calamitatem a Diis inmiſſam conſolaturus, *numeris* (adſtrictum) *agit carmen*, *ſecurum*, curas pellens, *et medicabile*, quod mederi dolori poſſit; (cf. 1, 783. vbi *exorabile* carmen *agere*) *quo ſimul adſumta fide* lyra cantui iuncta *pulſus luctus et labor*, et *dulces cedunt e pectore nati*. Nati? Quid his cum Argonautis, quorum nullus liberos amiſerat? Nil igitur aliud voluiſſe videtur poeta, quam tantam fuiſſe cantus Orphici dulcedinem, vt, qui eum audiret, cuiuscumque doloris adeoque deſiderii dulciſſimorum liberorum oblitus fuiſſet. Exemplar Bononienſe habet quidem: *cedunt e pectore curae*, quod tamen ob praecedentia ταυτολογίας vitio laboraret.

90. Sol oritur, quod poetae luxurianti placet variis modis exornare. *Magni iam iam ſubeuntibus aſtris Oceani genitale caput*, ſidera infimam horizontis, quem dicunt, partem tenentia, quum obciderent, mergerentur in Oceano, quem, qui Thaletis placita ſequerentur, rerum omnium

genitorem eſſe credebant, *Titania frenis antra ſonant*, auditur iam ſonitus frenorum Solis equis iniiciendorum: *Sol auricomus*, *cingentibus Horis*, quae omnino Phoebi equos abeuntes et redeuntes ipſiusque ornatum curabant, (v. Ovid. Metam. 2, 216 - 230. Stat. Theb. 3, 4[illegible] - 414. Cel. *Manſo Verſuche* S. 373 ff.) *multifidum iubar* coronam multos radios emittentem, *et bisſeno ſidere textum*, ſignis Zodiaci decoratum, *lorica induitur; ligat hanc*, cinguli inſtar, *balteus*, *qui contra nubila vndantem* (imbriferum Tibull. 1, 4, 44. roſcidum Virg. Aen. 4, 700.) *variat mortalibus arcum*, in nubibus obpoſitis verſicolorem arcum conſpiciendum praebet. — 96. *Inde ſuper terras et Eoi montis* Tauri *cornua* vertices *emicuit*, *traxitque* protulit *diem candentibus vndis* Oceani: *Et Minyas viſo liquerunt flamina Phoebo*, venti quieuerunt, vt tardius procederent (Windſtille).

99. In conſpectu iam habent Argonautae *Bebryciam*, poſtea Bithyniam dictam, *pingue ſolum* fertile, *et duris* ad labores perferendos *tauris non inuida* (λιπότης) admodum armentis paſcendis idonea. — 101. *Rex* ibi eſt *Amycus;* incolae *regis fatis et numine freti*, quem caeſtibus inuincibilem a fato factum credebant, quique patris Neptuni praeſidio tutus videbatur, *non muris cinxere domos*, (more Spartanorum) *nec foedera legum* (leges) *colunt*, *placidas aut iura tenentia mentes*, quibus gentes magis cultae ſe adſtringunt. — 105. *nocte ſub hiberna*, tempeſtate turbida *ſeruant freta*, naufragis inſidiantur. — 109. *Neptuno trux ipſe* rex ſua manu *parenti ſacrifici pro rupe iugi*, ſtans in ſaxo promontorii atrocia *ſacra facit*, (ara etiam adſtitit Neptuno ſacra v. 186.) *torquet agens*, magna vi rotat, et proiicit in mare *captiuos*, animas viles. — 111. Sin quis vultu habituque meliorem conditionem prodere videretur, hunc ſecum *caeſtibus pugnare* (πυγμαχίῃ Apollon. 2, 7.) coegit: *haec miſeri ſors eſt aequiſſima leti*, hoc mitiſſimum mortis genus. Caeſtus erant lora e corio bubulo et duro, interdum etiam globulis plumbeis ferreisue munita, quae manibus et brachiis innoluebant, et ſic faciem aureſque aduerſarii petebant. Locus noſter in ea re eſt claſſicus, quia adcuratius et longius totum certamen deſcribit; brevior eſt Virgilius Aen. 5, 400 ſq.

114. *Neptunus pater*, (adumbratum ex Virgil. Aen. 10, 465.) futuri praeſcius, filio inminentem mortem vaticinatur, *extremum nati proſpexit in oras*. — 117. *queſtus*

euoluit, quo verbo magnam doloris et irae in Iovem vehementiam, altius ducta ſuſpiria exprimere voluit poeta. — 119. *Melie.* Meliae Nympharum genus fuerunt, Epimelides etiam dictae, vel marinae, a Melia, Oceani filia, quod vult Callimachus; vel ſylueſtres et arboreae a μῆλον, malus; vel pecuariae a μῆλα, oues, caprae, quod vltimum iubet Phrynichus MS. penes Ruhnkenium: αἱ περὶ τὰς νομὰς τῶν τετραπόδων Ἐπιμηλίδες. ὅτι μῆλα ἅπαντα τὰ τετράποδα καλοῦσιν οἱ ἀρχαῖοι Apollon. 2, 4. Βιθυνὶς Μελίη, vbi tamen Brunckius in adpendice p. 219. *Bithynis* proprium, *Melie* adpellatiuum habendum exiſtimat. Hanc igitur Melien coniugem ſuam *infelicem* dicit, quae ſibi, non Iovi, olim vxor contigiſſet; *vsque adeono meam*, quacumque ob origine, vel a Deabus, vel a feminis mortalibus ſusceptam *prolem* liberos *triſtia fata manent? Sic te olim pergere* perſtare (cf. 1, 31.) *ſenſi*, Iupiter, *quando mihi iniuſtae virginis* Dianae *armis concidit infelix*, et nunc *Chaos* (quod ſaepius apud noſtrum pro inferis ſumitur 1, 831. 2, 86. 5, 96. 7, 402.) *inplet Orion*, apud inferos verſatur, ibique in ampliſſimo prato, ferrea claua armatus, feras perſequitur, Homero teſte Odyſſ. 11, 571-574. Orionem iſtum a Neptuno originem duxiſſe, Mythologi tradunt omnes, ita tamen disſentiunt, vt ſine matre natum eſſe narrent, (v. Palaephatum cap. 5.) vel non eamdem omnes tribuant. Fuit omnino iuuenis formoſiſſimus, venationis maxime amans, a Diana, cui vim inferre voluiſſe dicunt, confectus, inter aſtra tandem a Iove relatus. v. Heyne ad Apollodor. p. 47 – 55. — 125. Nec tu igitur, mi fili Amyce, *opibus vltra credas paternis*, noli auxilio meo confidere. *Iam iam aliae vires* vis maior, *maioraque ſanguine noſtro vincunt fata Iovis, potior cui cura ſuorum eſt*, (*fata maiora* eodem ſenſu pro magis glorioſis 8, 389. magna 5, 687.) Iupiter non niſi fauet proli ſuae. — 130. *Reges preme, dure, ſecundos.* Acerba apoſtrophe ad Iovem ipſum: age, perge, vt ſoles, iniquus eſſe in alios Deos, a te ſecundos. — 132. *ſanguineo aeſtu.* Vir doctus (Iortin) in Miſcell. Obſſ. Vol. 4. T. 2. p. 168. Valerium ſuſpicatur imitatum eſſe Homerum Il. 16, 459. Vti nempe Iupiter, quum filius Sarpedon moriturus eſſet, pluuiam ſanguineam mittat, ita hic Neptunum inminente Amyci filii morte, ſanguineis vndis terras adluere.

133. Iaſon ad explorandam regionem emittit *Echionem* aſtutum et doloſum, vt decebat Mercurii filium; qui paul-

lulum progreſſus *inuenit iuuenem* Timanta v. 187. in obſcura valle gementem, *et caeſi moerentem nomen amici*, ipſum amicum, vel triſti voce nomen repetentem. Qui quum virum propius adcedentem videret, et *vmbrata Parrhaſio* Arcadico, *galero tempora more de patris*, (retineri poſſit, Mercurii nempe, qui galeam etiam habet; rectius tamen, ni fallor, *patriae* de more, vti vult Cuperus Obſſ. p. 282. ed. Lipſ.) *paciferaeque virgae* (paciferae olivae Virgil. Aen. 8, 116.) *inſignia nequidquam*, nihil profutura apud trucem et inhoſpitalem regem, *ferentem*. — 140. *fuge, certo, quicumque es, perdite, paſſu*, certiſſimae obuiam is morti. — 141. *Nonacria proles*, Echion, Arcas. — 144. *ſociis quae ſint ea, promere cogit*, ſecum abripit, vt Iaſoni dilucidius exponat, quae dira nuntiet pericula. — 147. *non hic vllos reuerentia ritus pectora*, homines, nil curantes, quae cultioribus gentibus in vſu atque ſancta eſſe ſolent. Iam veniet Amycus, *vaſto qui vertice nubila pulſat*. Hyperbole lyrico poeta dignior. — 151. *aequae virtutis egentes*, non eodem, quo ipſe, corporis robore inſtructos, *ceu ſuperum ſegnes ad iniqua altaria tauros*. In hac verborum conlocatione *ſegnes* videri poſſint referendi ad *tauros*, quod non placet: immo vero ad captiuos Amyci retulerim, qui ignaui, nihil reſiſtentes ad altaria trahi ſe patiantur, — *iniqua altaria*, ad quae tauri innocui, nihil tale merentes, caeduntur. — 153. *vt miſero lauet arma cerebro*, vt cerebrum manet e caeſtibus. — 154. *fugae medium ne temnite tempus*, breue temporis ſpatium, quod hunc noſtrum ſermonem regisque aduentum intercedit.

157. Iaſon homini haud ſatis fidens vlterius inquirit: *Bebryxne venis*, es, *diuerſaque regi corda gerens*, mitiori animo, quam rex tuus? *melior vulgi nam ſaepe voluntas*, ſaepe enim fit, vt vltimae plebis homo longe meliori animo ſit, quam princeps. — 159. *hoſtis*, peregrinus ex priſca Latinitate, (v. Cicero de Off. 1, 37.) *externis fato* forte fortuna *delatus ab oris?* — 160. Quod ſi ita eſt, miror tamen, quod Amycus tibi pepercerit.

161. Ad haec reſpondet Timas: *Nomen praedulce mihi, nomenque ſequutus Otrei*. Obſenderunt nonnulli interpretes in bis repetito *nomine*, ideoque ſubſtituere voluerunt *numen*, i. e. nutum, ductum, voluntatem, quod tamen, quum de homine, non de Deo ſermo ſit, haud ſatis aptum

videtur. Nihil ego moueo; sic loquimur, verba repetentes, animo commoti: nomen praedulce mihi, et nomen quidem heu! quanti viri, Otrei, *Otrei vnanimi*, amicissimi, (cf. 3, 571.) *nec vestros comitis adspernandi in actus*, quem vos nec ipsi dedignati comitem coeptorum, rerum gerendarum fuissetis. — 164. *Hesionam et Phrygiae peteret quum gaudia nuptae*, breuius defungi poterat poeta: Hesiones Phrygiae quum peteret nuptias. Est vero ista Hesione eadem, quam Hercules a bellua marina liberauerat, Laomedontis, Troiani regis, filia. — 165. *iussus* coactus, ab Amyco nempe, non Laomedonte, quod Burmanno magis videtur placere. *ego palmas inplicui*, indui caestu: v. 251. loris brachia circumuolui, *sed prima procul vixdum ora levantis*, quum vix oculos sustulisset, *frontem fulminea celerrima dextra, disiectaque*, vt disiicerentur, *fudit lumina*. — 170. *Fando si nuntius his exstitit oris*, si fama hac regione *ad Mariandynos* peruenerit, *vnde genus fraterque viro*, vbi Otreus natus, fratremque regem habet *Lycum*, (de quo vide Apollonium 2, 777 sq. Heynium ad Apollodorum p. 378. et nostrum infra 589. 737 sq.) hic Lycus fratrem vlturus aderit, *sed et ille quierit oro* opto, *nec a* (abesse poterat) *vanis*, nil profuturis, *cladem augeat armis*, ipse fortasse periturus.

174. Argonautae, tantum abest, vt vlla formidine moveantur, vt potius dolore excitatos se sentiant, vt *durae*, constantes, propositi tenaces *insurgant mentes, vt terga sequantur* Timantis, *properosque coniungant gressus*. — 177. *Litore in extremo*, in promontorio *spelunca dorso* rupe *contecta minanti*, altissimo, (vti Virgil. Aen. 1, 162. *geminique minantur in coelum scopuli*; cf. eumdem 8, 193 sq.) *non quae dona Deum* amoenitates campi liberioris et aprici, *non quae trahat aetheris ignem*, solis radiis inadcessa, *sonitu tremebunda profundi*, resonans aestu maris perpetuo; *et varii pro rupe* (ante rupem) *metus*, quae horrorem incuterent, *brachia viris rotatis rapta, ossa taetra situ, et capitum* craniorum *moestissimus ordo*, longa tristisque adspectu series. — 184. *Respicias*, videre possis, *quibus aduerso* sub vulnere nulla iam facies, a fronte adcepta vulnera omnia oris lineamenta deleuerant, *nec nomen erat*, cuius ea facies fuisset, non amplius dignosci potuit, cf. sine nomine corpus Virg. Aen. 2, 558. — 185. *media*, in medio horum tristium tropaeorum *ipsius* regis *arma sacra* horrida *metu*, *magnique aris inposita parentis* Neptuni.

187. Hic primum Argonautis *rediere* in memoriam *monitus* Timantis, pauent, atque oculos cuncti inter ſe tenuere ſilentes; donec *ſidereo*, ſolitum epitheton oculorum totiusque oris pulcri (ſideris ora ferens 5, 467, ſiderei artus 8, 123. et alibi) *Pollux interritus ore* (Apollon. Rhod. 2, 40. οὐρανίῳ ἀτάλαντος ἀστήρ.) *te tamen hac, quicumque es, ait, formidine ſaxo iam tua ſylua ferat*, tua non minus oſſa et cranium, quam peregrinorum a te caeſorum, ex arboribus ſuſpenſa tuam ſyluam ornabunt, *modo ſit tibi ſanguis et artus*, ſi corpus habes et ſanguinem. — 19.. Omnes decertare poſcunt. *Qualiter ignotis*, quas antea n... erat expertus, *aquis ſpumantem funditus amnem*, qui ex imo fundo vi ventorum, tempeſtate commotus, totus, quantus eſt, ſpuma eſt, (Hyperbole, nec tamen iniucunda) *taurus primus init, ſpernitque tumentem*, vltra ripas effuſum, *pandit iter*, dux viae fit, *mox omne pecus pone ſubit*, ſequitur, veſtigia premit, *iamque et mediis praecedit* (non taurus, ſed pecus) *ab vndis*, eo confidentiae audaciaeque procedit, vt in medio flumine incipiat ipſum taurum praeuertere, poſt ſe relinquere.

199. Iam in conſpectum venit Amycus. *E ſyluis procul gregibusque ſeſe ferebat*, non ſimpliciter egreditur, ſed graui inceſſu et iactabundus. — 200. *nec ſua turba tuendo it tanti ſecura metus*, ipſi ciues non ſine timore intuentur monſtrum hominis ita metuendum. cf. 1, 23. *mortalia nusquam ſigna manent*, quidquid hominum eſt, adſpectum eius fugit, ne veſtigia quidem hominum longe lateque adparent: *inſtar ſcopuli*, qui montibus *altis ſummus abit*, cacumen in nubibus condit, *ſolusque ſtat ab omni iugo*, reliquis montibus.

204. Deuolat inde furens, pugnaeque ita cupidus, vt peregrinos ne interroget quidem, qui ſint, quoque conſilio venerint, ſed tali *protonat* horrenda voce exclamat *ira: incipite*, agite, arma capite — *auditas ſponte laceſſitis oras*, ita audaces eſtis, vt periculis huius regionis, quae latere tamen non poſſunt, obuiam ire ſuſtineatis. — 209. *Hic mihi lex*, ita a me inſtitutum, vt caeſtibus mecum pugnandum ſit. *Sic*, hac igitur lege *ingens Aſiae plaga*, et qui ſeptemtrionem verſus et ad Pontum habitant reges, hoſpitium mecum iungunt, hoc certamine *remeent*, ſi tamen poſſint. — 214. *Iam pridem caeſtus reſides* quieſcunt, *et frigida humus raris dentibus aret*, diu eſt, ex quo non incaluerit ſanguine caeſorum

humus, et dentibus fe confperfam viderit. — 216. Quae fequuntur, ironice et cum fuperbia dicta: *foedera prima — dona — honos.* Cui dona fero! egregia fcilicet, (cf. 3, 120.) *mox omnibus idem ibit honos. Ibit* h. l. non eft, vti Burmannus opinatur idem, quod *erit*, fed ibit in ordinem, per orbem. — 219. *Aliis rex Iupiter oris*, nullum hic terrarum imperium Iouis. *faxo nequeat vlla*, nulla queat *puppis Bebrycium fretum transfcendere, ponto volitet Symplegas inani*, conlidantur Cyaneae rupes incaffum, nec vllam confpiciant nauem, nedum comminuant.

222. *Infurgunt maxima nomina*, fortiffimus quisque Argonautarum, Iafon ipfe, *Aeacidae* Peleus et Telamon, *Calydonis alumni*, Tydeus et Meleager, *Nelidesque*, Periclymenus, *Idas*, fed nudo fteterat iam pectore *Pollux*, veftibus abiiciendis focios omnes anteuerterat. — 226. *Pauor Caftora et gelidus defixit fanguis*, horrore torpens fratrique timens demittit vultum. *Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis*, non talem, qualis in confpectu patris Iovis in ludis Olympicis pugna dabatur, nec fonat *Oebalius* Laconicus *caueae* amphitheatri *fauor*, laeta adclamatio, aut iuga nota *Taygeti*, montis Laconiae, *lauitur patrios vbi victor ad amnes*, fudorem pulueremque abluit in Eurota fluuio, *nec pretium* praemium *fonipes* equus, aut *harenae taurus facrae*, nam ludi et fpectacula ad veterum religionem pertinuere. — 231. *praemia fed manes reclufaque ianua leti*, nil nifi mors praefentiffima.

232. Illum Amycus *nec fronte trucem*, vultu horridum, *nec male tremendum*, non admodum procerum, *vixdum etiam primae fpargentem figna iuuentae*, lanugine adhuc dubia. Apollon. 2, 43. ἔτι χνοάοντας ἰούλους ἀντέλλων. — 234. *ore renidenti* labiis ad fubfannationem diductis *luftrans obit*, (Virgil. Aen. 4, 363. totum pererrat luminibus) *et fremit aufum*, quod adolefcentulus fecum velit depugnare, *fanguineosque*, iratos, furentes *rotat furiis ardentibus orbes*, oculos. — 236. *non aliter iam regna poli, iam capta Typhoeus aftra ferens*, iam gigas ille Typhoeus, (de quo vide ad 2, 24.) in Olympum euafiffe, Iovemque folio deturbaffe vifus eft, quum *Bacchum* (*iuuenem*) in prima acie contra fe ftantem, *Minervamque* (*virginem*) Medufae caput fibi obponentem fpectaret. — *non ora matri nota feres*, inridet acerbe iuuenem: matercula filium delicatulum caeftu meo deformatum vix adnofcet. cf. 3, 177. *tune e fociis electus iniquis?* Socii profecto ini-

qui, qui puerulum tanto certamini obiecerint. — 244. *tum profert ingentes humeros, ſpatioſa pectoris oſſa, horrendosque toris*, musculis *informibus artus*.

246. *Deficiunt viſu*, humi fixos tenent oculos Argonautae, miratur, ſtupet et ipſe Pollux, ſero iam redit Herculis deſiderium, moeſtoque vultu reſpiciunt ad montes. cf. Apollon. 2, 145 ſq.

249. At Amycus pergit: *adſpice crudis durata volumina tauris*, periphraſis caeſtuum, *nec pete* (melius *peto*) *ſortis opem*, nolumus ſorti committere, ſponte concedo, (Apollon. 2, 55. ὄν κ' ἐθέλῃσθα, πάλον ἄτερ) *ſed indue, quos potes*, contemtim, grauiores inberbis iuuenis ne tollere quidem poſſis. — 252. *Dixit, et vrguentis poſt ſera piacula fati neſcius*, poſt tot caedes cruentas perpetratas tandem ſibi eamdem inſtare, *extremum hoc*, vltima nunc vice *armis innectere palmas* (implicare v. 166.) *dat famulis* Areto et Ornyto. v. Apollon. 2, 65. — 255. *Odia aſpera ſurgunt ignotis prius*, nunc primum ſe videntibus inuicem, *incenſa mente* furibundi *feruntur*, ruunt in medium campum filius Iovis et filius Neptuni.

257. *Hinc illinc dubiis intenta ſilentia votis*, vtraque ex parte ſpectatores taciti et ſuae vtrimque parti fauentes adſtant. — 258. *pater Tartarus* (rectius 1, 828. Tartareus) Pluto *caeſorum* ab Amyco *vmbras*, manes, petierant enim, (*orantes*) *nube caua ad meritae ſpectacula pugnae*, (quid, ſi *poenae?*) cuius merito teſtes eſſe debebant, vt, qui eos tam iniuſte interfeciſſet, tyrannum poenas dare viderent, *emittit; ſummi nigreſcunt*, omnia enim apud inferos nigra finguntur, *culmina montis*.

261. Nunc pugna ipſa conſeritur. *Continuo*, vti *turbo a promontorio Maleae torrenti praeceps agit vndique nimbo*, tempeſtate prae ſe agit omnia, ſic Amycus Pollucem vix ora pedemque tollere paſſus *curſibus inuoluit*, celeriter vndique in anguſtum cogere incurrendo nititur, *totaque harena* campo inſequitur. — 265. Pollux contra *vigil*, intentus, *cum pectore et armis huc alternus et huc* corpus caeſtusque modo huc modo illuc verſat, ſemper ceruice *reducta*, reclinata, *ſemper in digitis* primoribus pedum inhaerens, (Virgil. A. 5, 426. *in digitos adrectus*, Apollon. 2, 90. ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς ποσσὶ) *et ſummi puluere campi*, (velocitatem et agilitatem haec exprimunt) *proiectusque redit*, aduerſarium petiturus. (Editiones ante me poſt *redit* comma habent, ego vero poſui τελείαν στιγμήν, poſt

ſecat autem colon: comparatio enim ad antecedentia trahi non poteſt.) — 268. *Spumanti qualis in alto Pleiade* tempeſtate *capta nauis* ſola gubernatoris cura atque ſollertia fluctus *intemerata*, inlaeſa *ſecat: ſic Pollux prouidus ictus ſeruat*, obſeruat, ad quemque Amyci ictum oculos intendit, et *dubium* periculo proximum *caput arte eripit Oebalia*, cui adſuetus eſſet a puero ex palaeſtra Laconica. — 273. *vt deinde vrguentes iras ardoremque viri nubibus effudit* leui corporis declinatione fecerat, vt nimis feruidi atque cupidi aduerſarii ictus in nubes, ventos abirent, inanemque ferirent aera, *paullatim inſurgere feſſo integer*, nondum fatigatus, *et ſummos manibus deducere caeſtus*, e brachiis manibus propius admouet, quum hucusque nil niſi ab inpetu Amyci ſe defendiſſet, iam ipſe inceſſere parat. — 276. Hic dies primus fuit, qui Amycum ſudantem videret, et *arenti cunctantem hiatu*, ſicco gutture lentum. *Nec ſua defeſſum noſcunt loca, nec ſua regem agmina*, tota regio ciuesque omnes mirantur, cur tantum ſit mutatus ab illo, quem antea tam alacrem vidiſſent. — 280. Ambo reſpirant, *ceu Gradivus* Mars *Lapithas aut Paeonas* Centauros (Centauri proprie patriam habuere Theſſaliam, Paeonia autem eſt Thraciae. Sed vtramque confundunt poetae, v. ſupra 1, 24.) *aequore* campo *in ipſo refouet*, reſpirare permittit, *fixaque* in terram *haſta* ſilet, quieſcit. — 283. *noua vis iterum, noua corpora ſurgunt*, nouum robur infuſum videtur. *Hunc* Amycum *pudor, hunc* Pollucem *noto iam hoſte*, quem non ita periculoſum animaduerterat, *ſpes audentior inſtimulat, fumant* aeſtuant *crebro praecordia pulſu* caeſtuum. — 286. *auia reſponſant* (Echo) *gemitu* conclamatione montes, *peruigil vt quum artificum notat ipſe manus et fulmina Cyclops proſubigit, pulſis ſtrepitant incudibus vrbes*. Varia excogitarunt interpretes, vt lucem obſcuriori loco adfunderent. Nihil tamen mutandum, ſi *Dorvilium* ſequaris ad Charitonem p. 592. ed. Lipſ. qui ſic exponit: ita ſonant ſub plagis pectora Pollucis et Amyci, vti ſtrident incudes Aetnaeae, quando *ipſe*, Vulcanus nempe, ipſe dominus et ἐργοδιώκτης officinas Cyclopum ſuorum inuiſit, et opera eorum inſpicit (*notat*) ſ. obſeruat, et illi primas maſſas in fulminis figuram procudunt (*proſubigunt*) mox perpolienda. Hactenus Dorvilius.

289. *Emicat*, proſilit Pollux, *dextramque parat* eleuat, *dextramque* (mel. *dextra*) *minatur*, ſimulat, ſe dextra inferre

ctum Amyco velle, *redit huc oculis* et *pondere Bebryx*, dextrorſum oculos totamque corporis molem vertit *ſic ratus*, dextra vſurum aduerſarium, *ille autem celeri rapit ora ſiniſtra*.

293. *Conclamant ſocii, et ſubitas dant*, prouocant *gaudia voces*. *Illum inſperata*, quam non timuerat, *turbatum* ſtatu deiectum *fraude, primaque ira furentem* Pollux fugit, *dum detonet* tonare deſinat, (detonare ſic eſt apud Virgil. Aen. 10, 809.) deferueſcat ira, *territus ipſe, atque ingentis conſcius auſi*.

295. Saeuit *inops* conſilii Amycus, *nullo diſcrimine* temere *ſeſe praecipitat, auidusque viri* (*reſpectat ouantes quippe procul Minyas*) pudore exaſperatus, quod ludibrio ſe Argonautis eſſe videret, *caeſtu velatus vtroque inruit*, h. e. vti omnium optime explicat Cuperus Obſſ. p. 88. vtroque caeſtu caput et os praemuniens, Graecis χεῖρας ἀείρειν Apollon. 2, 14. χειρῶν ἀνάτασις Themiſtio Or. 9. — 299. *Hos inter Pollux ſubit*, hoc temporis momento vſus, antequam brachia demittere poſſet Amycus, iam adceſſerat, ſubitoque inuolat ora viri; *nec ſpes effeta*. Totius loci, ſi metaphoram interim abiicias, ſententia non alia eſſe poteſt, niſi haec: ſpes Pollucis non fuit quidem omnis inanis, ſed tamen non faciem, quod voluerat, Amyci ferire contigit, ſed tantum pectus. Quem ſenſum quomodo ſine fidiculis ex metaphorico *effeta* elicere poſſis, equidem non video. Effeta eſt, vel quae modo peperit, vel quae parere ob aetatem deſiit; neutrum huc quadrat. Haec ſcripſeram, quum inciderem in Veſtritii Spurinnae Od. 1, 13. ex edit. Wernsdorf. Vol. 3. poet. minor. p. 354. vbi *ſpes grauida*. Quae ſi non alia poteſt eſſe, niſi fecunda multorum votorum, quid ni *effeta* contra queat eſſe, quae voti compos non ſit, inanis, irrita? Sed nec hoc translationis emollit duritiem. Plures libri habent *effecta*, quod meliorem dat ſenſum, non perfecta fuit, euentum non habuit. Facillimum ad intellegendum eſſet, quod *Withoſius* coniecit, *expleta*, i. e. tota expleta; ſed libri non addicunt, nec facile dici poſſit, qui factum, vt librarii manus a tam luculenta lectione ad obſcuriſſimam aberraret. — 301. *Hoc ſaeuior ille* (Amycus) *ecce iterum vacuas agit inconſulta* temere (vti 296.) *per auras*. — 303. *ſentit Pollux rationis egentem, dat genibus iunctis latus*. Dare latus, vt iterum Cuperi p. 158. verbis vtar, erat commentum pugilum, vt partem alteram corporis velut non tectam

eo consilio obiicerent, vt, quum aduersarius ictum iniiceret, eum effugerent, et inpetum facerent in effusum. Apollon. 2, 94. ὁ δ' ἄγχ' αὐτοῖο παρ' ἐκ γόνυ γουνὸς ἀμείβων κόψε. *effusum* statu deiectum *haud reuocare gradum*, consistere, colligere se *patitur*. — 306. *liber*, integer, pleno membrorum vsu gaudens, *crebros ictus congerit auerso* a tergo. — 307. *sonat omni vulnere vertex inclinis, ceditque malis*, caput inclinatum ad quemlibet ictum resonat, vulneribusque toties repetitis tandem cedere cogitur. — 308. *Iam tempora* malae *manant*, *sanguineaeque latent aures*, ita contusae sunt, vt prae sanguine vix conspici possint. — 309. *vitalia donec vincula, qua primo ceruix committitur artu*, *soluit dextra grauis*, donec Pollux graui caesu os claniculae, iugulare frangeret. — 311. *labentem propulit*, sternit, ac super insistens Pollux, *ego missus*, ortus, natus *Amyclis* vrbe Laconiae, *et Iovis filius mirantibus vmbris* ad inferos si veneris, narra mirantibus, te potuisse vinci, *sic et memori noscere sepulcro*, (non Amyci, sed Pollucis) inter alios mei olim sepulcri titulos nomen etiam tuum, a me deuicti, legetur.

317. *Haec Amycum tandem manus arguit ausi*, poenas sumsit ob tot caedes perpetratas, perpetuam iuuentam *et magni sperantem tempora patris*, immortalitatem. — 320. *tenditur* porrectus longe iacet *ille ingens hominum pauor*, tot hominibus diu terribilis, *aruaque late occupat*, *annosi* veluti si decidat *pars Erycis, vel totus Athos*. Vti omnino proceros homines montibus comparare poetae solent, ita Valerius in primis amat. — 323. Ipse Iason expleri nequit, *ora longo cominus obtutu mirans tenet*, diu contemplans mutus adstat et stupens hominis molem. — 326. *arma ferre* caestus exsuere *iuuat* socios *fessasque adtollere palmas*, brachia fatigata leuare. Adclamant: *vera Iovis, vera o Iovis proles*, iucunda repetitio, ad dicta magis firmanda. *O magnanimis* inlustribus, quae tam egregios pugiles, heroas emittant, *memoranda palaestris Taygeta* (mons Laconiae, hic neutrali forma, sc. ὄρη, iuga; supra 4, 229. Taygetus) *et primi felix labor ille magistri*, quanto honori est tantus discipulus primo iuuentutis magistro! — 331. *siderea* pulcra (v. supra 190. et alibi) *de fronte cruores ire vident, nec sanguine territus Pollux*, quod fortem non decuisset, *auerso siccabat vulnera caestu*, abstergit. De toto hoc Pollucis cum Amyco certamine praeter Apollonium Lib. 2. ab initio conferri meretur Theocritus Idyll. 22.

333. *Castor ramis et viridi lauro*, ramis laureis, *caput excelsum*, vt his ipsis ramis excellius exsisteret, *et arma et tempora ornat*, respiciensque nauem. has frondes, inquit, in patriam refer, his ornata maria percurre, Argo! — 338. *perfusi sacri placati gurgitis amne.* Non singularis hic fluuius intellegendus, sed mare omnino, cuius aquis lustrare se et expiare debebant ad Neptunum, cuius filius a se esset occisus, placandum. — 340. *Frondibus* foliisque substratis *adcumulant liba dapesque* vina et cibos; *exsortia* sine sorte, *terga praecipiunt* ante alios adsignant *pecudum Polluci;* qui *toto tempore mensae laetus ouat,* gaudet, sibi plaudit *laude virum sociorum*, *nunc vatis* Orphei *honoro*, honorifico *carmine*, *victori geminans cratera parenti*, Iovi patri, cuius numini victoriam adceptam referebat, larga libauit vina.

344. *Iamque dies*, aurora, *auraeque* venti fauentes *vocant* de abitu admonent, altum petunt, et quidem per Bosporum, *vbi Bosporus eructat amnes*, vndas omnino. — 346. *Illos, Nile, tuis nondum Dea gentibus Io transierat fluctus, vnde haec data nomina ponto.* Sensus est: Io, de qua paullo post, antequam ab Aegyptiis pro Dea, Isidis nomine, coleretur, ista freta transierat, quae postea ab ea in bouem mutata nomen adcepere.

348. Satis longo et alieno loco posito, eleganti tamen episodio *Orphea* inducit poeta canentem *fata Ius. Oeagri de sanguine vates*, Oeagri filius Orpheus, *admonita* inuocata *genetrice*, Musa Calliope, refert *Inachidos*, Inachi filiae, Ius *vias*, errores per multas terras, *et exsilia iuuencae emensae pelagus*, *intentisque* cupide audientibus Argonautis, canit: *Videre priores* olim viuentes saepe Iovem ad *Iasiae virginis* Ius, (sequitur hic Valerius eos, qui *Iasum* patrem virgini dant, nec tamen sibi constat, quum paullo ante Inachidem nominasset, paullo post Inachiam) *blandos amores descendere* furtim e coelo. Sentit Iuno dolos, *curaque iugali* suspicione *adcensa* aethere desiluit; *dominam*, nam Argos Iunoni dicata, vnde Argiua in nummis et titulis, *Lyrceia tellus*, Argolis, (Nonnulli habent *Lynceia*, quod et defendit Brunckius ad Apollon. 1, 125. haud recte. Callimachus apud Steph. Byzant. ed. Ernest. p. 426. Λύρκειον, ὄρος Ἄργους. nec aliter Strabo Lib. 8. §. 7. T. 3. ed. Tzschuck. p. 219. et Ovid. Metam. 1, 598.) *antraque deprensae tremuerunt conscia culpae*, rebus enim inanimatis tribuit sensum timoris poeta, quod in societatem venissent

amoris furtiui. Locum fimillimum vide 3, 584. — 357. *quum pellex*, blanda, quae pellicit, Iuno nempe, (fic pellex ap. Virgil. Aen. 2, 90.) *ora iuuencae Inachiae trepida fubit*, propius ad eam adcedit *fponte Dei*, Iove permittente. — 359. *renidenti* fubfannante (v. fupra 234.) *vultu cohibens fufpiria.* — 360. *Mox ita adorta*, inportunis precibus adit *Iovem*, *ditibus Argis*, fertiliffimis, vti Horat. Od. 1, 7. vrbem iftius regionis primariam, Mycenas, diuites adpellat, *primas referentem cornua Phoebes* qualia nouae lunae folent effe. — 362. *carae nuptae* mihi, tantopere, vnice a te dilectae fcilicet vxori non denegabis. — Maximae ea mihi curae erit, et pafcua maxime opima et fontes pulcerrimos ipfi eligam. — 364. *qua fraude*, legere poffis *qua fronte*, fuadente Dorvillio ad Charit. p. 611. ed. Lipf. — 365. *Quos inuentos*, excogitatos a Iunone *timuiffet Iupiter aftus?* — 366. Iam vero *muneris potens*, voti compos, Argum cuftodem adponit, cui infcia fomni lumina non aliter lucent vertice, *quam fi Lyda*, hae enim texturae artifices habebantur, *fparfo oftro telas maculauerit*, infertis hinc inde ftellulis purpureis diftinxerit. — 370. *monftris horrida luftra*, feris horribiles fyluas. — 371. *multa morantem*, faepe confiftentem conantemque emittere *preces inclufaque pectora*, quae, quantumuis vellet, promere tamen non poffet, verba. Ovid. Met. 1, 637. conataque queri mugitus edidit. — 374. *Fleuit Amymone* — *Meffeides vndae* — *Hyperia.* Omnes fontes in Peloponnefo. — 379. *quos*, quam limofos (Ovid. 1, 634.) *ore lacus, quae*, quam vilia *pabula carpfit*, quam diuerfa ab iis, quae Iuno promiferat, *quoties candentes*, pulcros *armos exhorruit*, Graecismus: quoties armi, humeri eius cohorrefcebant *verbere*, plagis, quas Argus infligebat, infligere faltem minabatur. — *audentemque mori*, (nam qui poteft mori, non poteft cogi) *valles in imas egit Argus*, *et arbitrio durus* crudelis feruauit *herili*, dominae Iunonis. — 384. Subito *caua* (ornans epitheton) *fiftula fonuit Arcadio ritu*, *imperiumque patris* Iovis *celerans* promte et alacriter exfequuturus *Cyllenius* Mercurius *ales aduenit*, aduolat. *Quo hinc diuerfus abis?* Argum videns viam nihilo minus perfequentem, cur ita properas? ait, *heu refpice cantus*, dulce tibi aliquid canam, et primo languentia tantum fomno lumina cuncta *notat*, videt, deinde vero fomno victa, *dulcesque fequentia fomnos.* Et celerem mediis in cantibus *exigit harpen.* *Harpe* falcatus enfis, (Ovid. Met.

1, 717.) *exigere* vero ſumma vi adigere, gladio aliquem traiicere. Ovid. Metam. 5, 171. *exactum viribus enſem.* Virgil. Aen. 10, 815. *exigit enſem per medium*, et *exigere haſta* noſter infra 6, 570.

391. Iamque *refecta Iovi*, in laetitiam Iovis priſtinae formae reſtituta *ibat agris Io*, ſibi ipſa plaudens, ſuperba incedebat, *victrix Iunonis.* Sed admodum breue gaudium! *Cum facibus ſpirisque* ſerpentum (Virgil. Aen. 12, 847.) *et Tartareo vlulatu Tiſiphonen* Furiam *videt: ac primo viſu veſtigia figit* ſubſiſtit, et *in miſerae rurſus bouis ora recurrit*, ſubito reſumit formam iuuencae, *nec memor*, dubia, qua valle, aut quo *vertice*, monte *ſe ſiſtat.* — 397. *In errore*, dum fugiens vagatur, *ad Inachios* patris etiam defertur ad vndas, ſed nec pater, nec Nymphae tentant adcedere, *a prima quantum mutatam iuuenca* moerore et erroribus confectam. — 400. *Ergo* iterum *ceu Styga dilectum fugit caput* patris, donec ad mare peruenit, *abſiſtunt*, retro cedunt *fluctus*, et *alta guara futuri* maria Aegyptum adluentia, mox futuram eam Deam Iſidem, Lunam praeuidentia, *dant pauidae viam;* ipſa traiicit, *procul fulgens celſis cornibus, ac palearia*, armos, pectora *ſuſtinet* vnda ſumma. — 407. *Aſt Erebi virgo*, Tiſiphone *ditem Memphim* Aegyptum *volat praecipere*, incitat pennas, vt occupet, praeueniat, *et Pharia venientem pellere*, arcere *terra.* — 409. *Contra Nilus adeſt*, praeſto eſt auxilium laturus, *et toto gurgite torrens*, omnibus aquis ſuis, torrentis inſtar, Tiſiphonen agit, *atque imis inlidit*, magna vi proiicit *harenis, Ditis* Plutonis *opem ac ſaeui numina regni*, quidquid Deorum inferorum eſſet, *inclamantem.* Fruſtra: *adparent*, circumiacent *ſparſae faces, disiecta longe verbera* flagella et *abruptis excuſſi crinibus hydri.* — 414. *Nec Iovis interea ceſſat manus*, auxilium, *curamque fatetur*, tonando caram ſibi Io eſſe declarat, *atque ipſa Iuno pauet imperium* Iovis. — 416. *Haec procul Io ſpectat ab arce poli*, coelo, (2, 94. 3, 481.) iam Divis addita, *iamque aſpide cincta comas* (Aſpis, ſerpens minor, ſed veneni praeſentiſſimi, vti plurium Aegyptiorum Deorum, ita in primis Iſidis capiti fuit ornamento. Ovid. Metam. 9, 687. *inerant lunaria fronti cornua plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.* cf. eiusd. Amor. 2. Eleg. 13. Aelian. hiſt. animal. 10, 31. et omnino Iablonskium in Pantheo Aegypt. P. 1. p. 108.) *et quanti perſona ſiſtro*, laeta, pulſat ſiſtrum, inſtrumentum muſicum, vel crepita-

culum, duobus vel pluribus bacillis transuerſis inſtructum, cuius formam gemmae, numi aliaque monimenta antiqua referunt, qualia multa aere expreſſa ſiſtit Bened. Bachinus de ſiſtris Trai. ad Rhen. 1696. 4. — 419. *Bosporon hinc veteres errantis nomine Divae vulgauere*, hinc factum, vt maiores in honorem Deae, iuuencae forma vagatae, freto iſti Bospori nomen darent. — 420. *iuuet noſtros nunc ipſa labores*, nam et nauigationibus praeeſſe credebatur, vnde et Pelagia dicta.

422. Hactenus Orpheus. Interea venti fauerant Argonautis, et poſtera aurora *iter non caſſae noctis retexit*, ea nocte magnum maris ſpatium emenſos eſſe adparuit, vident *Thynnaea* Bithyniae *litora, fatidici vatis* cf. v. 445. *poenis horrentia Phinei.* (In hiſtoria Phinei admodum variant mythologi, quaeque Valerius noſter in ſequentibus de eo narrat, ea vno conſpectu dedi in Indice, quem vide.) — 426. *Dira Deum* a Diis inmiſſa *lues, ſummoque in aeuo*, extrema ſenectute. — 427. *Non extorrem*, exſulem tantum, nec tantum *lucis egentem* caecum, *Harpyiae etiam Typhonides* filiae Typhonis *perſequuntur*. Alii Thaumantis et Electrae filias fuiſſe perhibent, vti Apollodorus, ad quem vide omnino Heynium p. 25. et ad Virgil. Aen. Excurſu 7. Has Harpyias dicit poeta *iram Tonantis* per adpoſitionem, quibus vtebatur Iupiter ad iram explendam, miniſtras habebat poenarum, (*magnas ſibi legit in iras* infra 521.) — 429. *depopulant*, conſumunt, macilentum me faciunt, *ipſoque dapes praedantur ab ore.* Apollon. 2, 223. στόματός μοι ἀφαρπάζουσιν ἐδωδήν. — 430. *Talia prodigia et tales poenas*, i. e. tam prodigioſas poenas. — 434. *primas baculo defertur ad vndas*, ſcipione nixus ad litora tendit. Viuis magis coloribus vacillante greſſu incedentem pingit caecum ſenem Apollonius 2, 198. βάκτρῳ σκηπτόμενος, ῥικνοῖς ποσὶν ἦε θύραζε, τοίχους ἀμφαφόων, τρέμε δ' ἅψεα νισσομένοιο ἀδρανίῃ γήρᾳ. — 435. *oculos inanes* facultate priuatos videndi, *tenuem ſpirans animam*, vix ſpiritum ducens, anhelans prae infirmitate corporis. — 439. *Noui*, inquit, *via iuſſos qua* (facilius *quo*) *ferat*, quo tendatis, et quo iubente; *ac veſtri* (*rebar ſic*, ſic enim computabam tempora) *proxima quaeque legens*, conſiderans, mecum reputans, quae vobis hucusque adciderint, noui, *quantum Lemnos traxerit*, detinuerit, noui infelicem ad Cyzicum, ſupremam in Bebrycio litore pugnam; *iam propior, iamque hoc animam ſolamine mulcens*, quo

propius vos adcedere ſenſi, eo maiori ſpe atque ſolatio inpletus ſum. — 444. *Cretus Agenore*, filius Agenoris, Phoenicum regis, in cuius ſtirpe exponenda, vt verbis vtar Heynii ad Apollodor. p. 525. "incredibilis eſt narrationis diuerſitas, in qua componenda fruſtra quis laboret." Valerius ſequitur Apollonium 2, 178. infra etiam *Tyrum* vocat *paternam* v. 612. idemque habet vnus e Scholiaſtis ad Eurip. Phoeniſſas v. 5. nec aliter Nonnus Dionyſ. 3, 294. p. 64. ed. Falkenburg. — 445. *aut mea quod vates inſedit Apollo pectora*, quod vaticinandi arte polleam. cf. 1, 207. *totus Dei*, 5, 673. *Deum, quem pectore toto iam tenet.* — 447. Nihil adtinet, nunc enarrare quam diuerſis caſibus terrarum orbem pererrauerim, *amiſſas domos*, cur in exſilium actus. *aut dulcia lumina*, cur caecus ſim, 449. *ſerum eſt ex ordine ingemere fatis conſuetis.* Sic ordines verba, et ſenſum habebis: nihil adtinet, totam priorum, quibus adſueui ſenſim, malorum ſeriem inter lacrymas enarrare; immo audite, quae nunc vel maxime me praemunt, nempe 450. *Harpyiae* mea pabula *ſeruant*, obſeruant, iis inſidiantur. — 453. *Celaeno* primas agens inter eas, Apollon. 2, 178 ſq. Virgil. Aen. 3, 211 ſq. quem omnino ob oculos habuit noſter in toto loco. — 455. *ſaeuit odor*, ita grauis atque foedus eſt, vt ferri vix poſſit. Apollonius 2, 229. πνεῖ τότε μυδαλέον τε καὶ οὐ τλητὸν μένος ὀδμῆς — *parque mihi monſtrisque fames*, nec ego, nec Harpyiae ipſae famam ſitimque expellere poſſumus, nam Celaeno non me tantum, ſed miſeras etiam prohibet ſorores, vti eſt infra v. 499. — *ſpreuere quod omnes pollueruntque manus*, non miniſtrorum, quod Pius vult, ſed ipſorum monſtrorum, (cf. v. 495. et Virgil. 217. brachia adeo humana habuiſſe et pedes narrat Natalis Comes ex Iſacio Tzetze p. m. 719.) *quodque vnguibus excidit atris.* — 458. *has mihi fert in luce moras*, facit, vt viuere pergam, *nec rumpere fata*, alias rumpere, abrumpere vitam, *licet*, tam miſeram vitam voluntaria morte nequeo finire, *trahitur victu crudelis egeſtas*, tam miſero tenui, vili inuitus tamen traho vitam per diram famem. — 462. *Aquilonia proles non externa mihi;* ſcio, vobiscum adeſſe Boreae filios, *Calain et Zeten*, mihi adfines, quorum ſoror *Cleopatra* olim mihi coniux fuit. Apollon. 2, 239. — 465. Ad nomen ſororis *Actaeae* Atticae, matrem enim habebant Orythiam, Erechthei filiam, *proſiliunt fratres*. — 468. *Phoebi comes vates*, amicus, miniſter Phoebi. Sic θεράποντες Μουσῶν

apud Graecos de poetis. cf. inpr. Wyttenbach ad Plutarch. de fera numinis vindicta p. 81. et Casaubonus de satir. poesi ed. Rambach. p. 9. — 479. *miseris festina senectus*, ante tempus fiunt deformes. — 471. *est tibi* praesto *nostra voluntas, si non ira Deum, vel si placabilis vrguet*, nisi superorum iram contraxeris, vel si expiari ea aliquo modo possit. — 474. *Te*, ait, *iniusti, quae nunc premis, ira Tonantis, ante precor*, ante omnia te ipsum, Iupiter, qui mihi irasceris, inploro. Obsendere possit in ore precantis, quod *iniusti* encomio ornet eum, ad quem dirigit preces; sed hoc tantum vult, Iovem inmerito, acerbius iusto eum puniisse. cf. paullo post 478 – 481. satis poenarum tibi dedi, et diu, *nostrae tandem iam parce senectae*. — 476. *vestra voluntas quo, iuuenes, sine pace Deum*, quid vos proiiceretis sine permissione Deorum, nisi Deos habeam propitios? Non saenus tyrannus sceleratusque fui, sed intemperantia linguae me perdidit, *loquax fata mentemque Iovis et abdita consilia prodideram*, vaticinandi arte mihi data futura hominibus praedixeram, sed bona mente, *miserans hominum genus*. — 482. *media inter dicta* dum vaticinarer, oculis captus sum, — *iam tandem cessere irae, nec casus, sed ipse volens Deus*, ipsa Iovis propitia voluntas *ab alto* mari vel coelo *nostris vos adpulit oris*.

485. Sic ait, et omnes ad miserationem compulit calamitatibus suis enarrandis. — 488. *simul aequora, simul astra seruant*, vnde Harpyias adfore timebant. — 490. *pallentia primae ora senis fugere manus*, primae manus sunt digiti, prae terrore torpescentes, vt ori admouere eos non posset. — 493. *fragrat acerbus odor* (cf. v. 455.) *patriique exspirat Averni halitus*. Avernum patrium noli mirari, nam Valerius Typhonem, quem in Tartaro poenas luere fabulatores narrant, Harpyiarum patrem facit v. 428. et 516. Virgil. A. 3, 215. *nec saeuior vlla pestis et ira Deum Stygiis sese extulit* vndis. Ad eamdem originem referendum, quod paullo post caedem dicuntur *Cocytiae nubes*, turbinis, procellae instar, per aera ruentes, quae *nubis* significatio est etiam 3, 500. — 494. *vnum omnes incessere planctibus alarum* Virgil. 226. magnis quatiunt clangoribus alas. — 496. *ipso ferens fastidia visu. Tum sola*, pauimenta *conluvie atque inlisis stramina*, stragulas vestes *mensis foeda rigant*. Fastidiosa profecto haec sunt, sed praeeuntes habet epicos et ipsos poetas Homerum et Vir-

gilium. cf. omnino Heynium Exc. 16. ad Virgil. 3. — 499. *saeuit vtrimque fames*, cf. supra v. 456.

501. Iam insurgunt *Aquilonia proles*, Calais et Zetes, *genitor* Boreas *simul inpulit alas*, alati etiam sunt 527. *Hoste nouo turbata lues* foedae rapinae, vel ipsae Harpyiae, *lapsae rapinae faucibus*, *mox alta petunt*, auolant. *stant litore fixi Haemonidae*, Argonautae, *atque oculis palantia*, passim fugientia *monstra sequuntur*. — 506. Sublimis est, quae sequitur, Vesuvii montis descriptio: *vbi prorupti*, e cuius cratere prorumpunt flammae, (cf. ad 6, 632.) *tonuit*, grauissimum edit sonum, *quum forte Vesevi Hesperiae letalis apex*, Italiae vrbes haud raro euertens; *vixdum ignea hyems*, vix coepit ignium intus furentium vis aestuare, (Statius Sylv. 3, 73. flammea diri montis hyems) *montem torsit*, totum concutit, *iamque Eoas cinis induit vrbes*, cinere atque fauillis longe remotae Orientis vrbes consperguntur et quasi vestiuntur. Sic infra 666. *imber puppim aequore vestit*. — 510. *turbine sic rapido*, eodem celeri inpetu Harpyiae populos atque aequora longe *transabeunt*; vox rarior, qua tamen et Virgilius vtitur Aen. 9, 431. — 512. *Iamque ad Ionii metas*, ad Ionium vsque mare tendunt, atque *intima saxa* insulas scopulosas, quas *magni Strophadas nunc incola* (adcola) *ponti* adpellat, vbi Aeneas postea temporis eas obsendit. Virgil. Aen. 3, 210 sq. — 514. *Tantum terrarum marisque* spatium emensae *fessas se sentiunt*, leti propioris metu *anhelant*, *trepidant*, alas tam agiles antea et citas mouere vix possunt, *humili tantum timidoque volatu Typhona patrem inplorant clamore nefando* horribili. — 517. *Extulit adsurgens noctem*, nubem atram *pater*, *imaque summis miscuit*, turbine confundere omnia velle videtur, et mediis vox exaudita tenebris: *Iam satis huc pepulisse Deas;* (satis honorificum nomen tersis scilicet filiabus dat pietas paterna) *cur tenditis*, pergitis *saeuire in famulas Iovis*, (alias canes; Apollon. 2, 289. κύνες Διός) *quas*, *fulmina quamquam Aegidaque ille gerens*, *magnas sibi legit in iras*, quamquam per se ipse terribilis et fulmine et aegide, eas tamen adhibere dignatur, ministerio earum vti solet, si quos graui exemplo velit punire. — 522. Nunc quoque *Agenoris tectis*, Phinei domo *decedere imperat* idem Iupiter, (ministrante Iride Apollon. 2, 286.) *adnoscunt monitus*, *iussaeque recedunt*. — 504. Mox tamen et vobis similis fuga, *quum premet arcus letifer Herculis*, cuius

fagittis in infula Teno perierunt. — 525. *Harpyiae numquam noua pabula quaerent.* Sufpecta haec habet *Heinfius*, quod Aeneam fociosque poftea tamen infeftauerint. — 526. *donec erunt diuum meritae mortalibus irae.* Hunc vero verfum fpurium putat *Burmannus*, qui neque Latinus fit, et a monacho quodam ex loco communi de vindicta diuina adfutus videatur. Ego vero vtrumque verfum Valerii effe, et cohaerere optime omnia contenderim, fi vna vocula mutata legas: *numquam non* pro *numquam noua.* Tum recte cuncta procedunt: Harpyiae *femper* habebunt pabula parata, *donec* (quamdiu, cf. 3, 414.) iras diuinas in fe excitabunt mortales. Nec video, quid obfenderit faftidiofam Burmanni aurem; fortaffe *meritae irae* paffiue fumtae: fed fi poenae meritae recte dicuntur, quidni irae, quae nihil aliud h. l. funt, quam poenae, eodem gaudeant iure? cf. 2, 99. 7, 454. Temperare mihi non potui, quin in textum reciperem tam facilem tamque manifeftam emendationem.

527. *Haefit vterque* Calais et Zetes *polo*, *dubiisque elanguit alis*, (cf. dubium arcum 1, 401.) ipfi languidi volando, dubitabant tamen, Typhonis monitis parerent, an Harpyias vlterius perfequerentur; *mox victores* voti compotes *agmina fociae puppis* (melius cum Heinfio *pubis*) *repetunt.*

529. Interea Argonautae *Iovi facra nouant*, (cf. 1, 774. 3, 423.) iram eius expiaturi, cuius famulas perfequuti effent, *tum vina toris*, menfis *epulasque* turbatas *reponunt.* *Ipfe* Phineus, *ceu dulcis imagine fomni laetus*, tamquam ex iucundo fomnio expergefactus, vix oculis fidens, (Apollon. 2, 306. οἷον τ' ἐν ὀνείρασι θυμὸν ἰαίνων) *ad oblitae Cereris fufpirat honores*, munera Cereris, panem, diu non guftatum cupide adpetit, *adnofcit Bacchi latices*, vinum genuinum, *adnofcit et vndam*, aquam nunc puram atque natiuam bibere fe intellegit, et noua *non pauidae* fecurae *miratur gaudia menfae.* — 535. Genio igitur indulget, *reclinis ftratis, et pace*, fecuritate fruens, *ac longae ducens obliuia poenae*, largiter fe inuitat vino, quae diuturnae calamitatis memoriam omnem abstergeret.

537. Ita laetum compellat Iafon: *Vota perfecta tibi*, quae optaueras, tibi perficimus, *nunc me* quoque curis tu eripias. — 540. *non numine vano*, fine numine praefidioque Deorum *tantum aequor adorti tendimus*, *ipfa Iovis optima proles*, Pallas, Iovi praeprimis dilecta, *nauem in-*

ſtituit, *ſociosque dedit Saturnia* Iuno *reges*, heroas. — 544. *Fidere mens ſed caeca*, per ſe nihil intelligens; futuri neſcia, *nequit* — *nec vates ſat iam mihi Mopſus et Idmon*, nec his tantam, quantam tibi ineſſe ſuſpicor vaticinandi peritiam.

548. *Vittas laurumque capeſſit* Phineus (locus ſimilis 3, 424. tempora tum vittis et ſubplice caſtus oliua inplicat) *numina nota* Apollinis, cuius adflatum, vt vates, ſaepe erat expertus, *ciens* inuocans. — 551. *tam largus honor*, inſignis grauitas, *tam mira*, quae in ſenem vix caderet, *ſenectae maieſtas infuſa*; *vigor nouus auxerat artus*, qui modo incuruus prae moeſtitia inceſſerat, iam procerior repente factus videbatur. — 553. *terras fama venture per omnes* cuius nomen per totum terrarum orbem inclareſcet, *ipſe vltro Pelias ad ſidera tollit*, qui tibi vel maxime cupit nocere, ipſe, alia omnia cogitans, viam tibi ad nominis immortalitatem aperiet, *demens*, *dum ſperat*, non timet, non credit, *te Phrixi profugi* vellus vmquam reportaturum. — 557. *poſſum quas reddere grates*, hoc enim ſolum, quo gratum tibi animum poſſim declarare, fata tibi futura exponam — *te propter*, tui amore *fandi mihi Iupiter auctor*, fata tibi tua nuntiare permiſit.

561. Nunc totum iter enarrat. Sic Circe Vlyſſi Homer. Od. 12, 37 ſq. et Helenus Aeneae fata nauigationis Aen. 3, 343 ſq. praenuntiat. Phinei noſtri vaticinia non minus copioſe, quam Valerius expoſuit Apollonius 2, 317 ſq. *Hinc iter ad Ponti caput*, initium, *errantesque Cyaneas*: *furor his concurrere* furibundae concurrunt, *necdum vllas videre rates*, nondum auſa eſt nauis transitum, *cominus actae*, violenter inuicem inliſae, *ſua ſaxa cautesque premunt*. Pindarus Pyth. 4, 370. σύνδρομοι πέτραι. δίδυμοι γὰρ ἔσαν ζωαὶ, κυλινδέσκοντό τε κραιπνότεραι ἢ βαρυγδούπων ἀνέμων στίχες. Plura dabit Index. — 564. *quum vincula mundi ima labant*, quum terrarum orbis ex imis fundamentis erui videtur, et vrbes tectaque terrae motibus concutiuntur, illae nihil inde patiuntur, quoniam ſemper mobiles in ſuperficie natant aquarum, *illae redeunt*, *illae aequore certant*. — 570. *per altum* tam periculoſum maris locum *tenditis*, *vnde procul venti et volucres*, illi, ne vis eorum frangatur, hae, ne conlidantur, timentes, *vnde pater ipſe maris* Neptunus *pauidas detorquet habenas* curru declinat, ne propius adcedat. Sic eleganter auxit periculum

poeta, quod ne Deus quidem audeat ſubire! — 572. *ſi qua breuis ſcopulis fuerit mora*, ſi paullulum quiescant, *fuga tunc medio properanda recurſu*, tum illo temporis breuiſſimo momento, vbi cautes receſſerunt, propere vtamini ad transeundum. — 574. *vix repetunt celeres* Cyaneae *primae terrae confinia*, ad proxima terrae continentis litora ſeſe receperunt, *iamque alio clamore* nouo ſonitu *ruunt*, *omnisque tenetur* vim ſentit *pontus*, *et anceps* fluctuans *errat cum infeſtis montibus* Symplegadum ſe inuicem ſemper infeſtantium. cf. infra 659. — 577. *Verum animo redit* in memoriam reuoco *ſortem Divum*, oraculum, effatum Deorum. — 581. *rapidi* quum *ſteterint*, conſtiterint, non amplius mobiles vagentur *montes*. — 587. *Verum inter medias dabitur ſic currere cautes, certe digna manus, vacuumque exibis in aequor.* Locus intricatior, quem ad expediendum optime facere videtur coniectura *Heinſii*, pro *ſic* reponentis *ſcio*. Si porro, quod meum commentum eſt, verba *certe digna manus* parentheſeos ſignis includas, omnia erunt expedita: inter medias dabitur, ſcio, currere cautes, (certe digna manus) tu tuique ſocii egregii tali fortuna digni, *vacuumque* liberum, apertum, late patens *exibis in aequor*.

589. Proxima, Cyaneis ſuperatis, ſunt *regna Lyci*, regis Mariandynorum, (infra 737.) *remeat qui victor ab oris Bebryciis*, cf. 748 ſq. — 591. *hic lecto comitum de robore ſi quem perculerit vicina lues, ne deſice*, animum ne deſpondeas. Quoniam triſte aliquid praenuntiat, obſcurius loquitur, minusque dicit, quam noſſet. *Si quem*, quaſi de vno, ſed duos morbus abſumſit, Idmonem 5, 2. et Tiphyn v. 15. et *perculerit* anceps eſt, duplicemque admittit ſenſum vel morbi, vel mortis. — 594. *Illic peſtiferas aquas ſubter iuga concaua* ſub antra, voragines montium *torquet*, vi rapit *alter Acheron*, non minus terribilis, quam Italus ille, *vaſtoque hiatu exundat fumeus*, tanta vi propellit vndas, vt fumum emittant, qualem in catarractis licet obſeruare, *et ſaeua ſequitur caligine campus*, (Loco *ſequitur* mauult Marklandus Ep. crit. p. 34. *tegitur*. Nil opus! *ſequitur* eſt: poſt hunc ſitus eſt, ſubeſt, eum excipit.) *linque grauem* graue olentem *fluuium*. — 599. *Quid tibi nubifera ſurgentem rupe* altiſſimum in nubes erectum montem, (cf. 8, 214.) *Carambin*, promontorium Paphlagoniae, *quid memorem, quas Iris* fluuius *torqueat* (vehementiam deſignat) *aquas* et *Ancon*. Ancon

proprie est Latinorum cubitus, deinde Geographi transferunt ad loca, quae cubiti instar in mare procurrunt. Ita et h. l. est portus ad ostium Iris fluuii, vbi litus tenui terrae tractu in mare procurrens incuruatur. vide *Mannert's* Geogr. Th. 6. Heft 2. S. 446. Apollonius 2, 369. καὶ δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπείροχος ἀγκὼν ἐξανέχει. [illegible]. Ammianus Marcell. 22. 8. habet etiam *portum Aconem*, (culpa librariorum pro Ancone). Haud recte igitur Valerius pro fluuio habuit, nec satis diligenter inspexit Apollonium, cuius male intellecti exemplum habuimus supra in Eurymenis 2, 14. Infra 5, 121. vbi exspectari poterat, totus Ancon omissus est. — 601. Proxima *Thermodon* 5, 121. *secat arua.* — 602. *Inclyta Amazonidum* 5, 124. *magnoque exorta Gradiuo* Marte *gens;* nec femineas crede cateruas, *sed qualis, sed* (bis repetitum *sed* intendit orationem) *quanta viris insultat* contemtim eos habet *Enyo* (nomen Graecum *Bellonae*) *Divaque innuba,* semper virgo, Pallas, *Gorgonei gestatrix monstri*, capitis Medusae. — 607. *ludo volitans cum turma superbo pulvereis exsultat equis.* Omnia hic bene delecta: mirifice sibi placent Amazones, quod incitatis, vt puluerem colligant, equis volitare per campos possint; *vlulataque tellus,* grauiter resonans *intremit, et pugnas mota pater* Mars *incitat hasta.* — 611. *Gens Chalybum,* (cf. 5, 141 sq.) *duris patiens cui cultus in aruis,* quibus lapidosus ager tenuem victum praebet, *et tonat adflicta*, malleis percussa *semper domus ignea massa — hospitii quis nulla fides*, omnes ἄξενοι, cauete igitur, *et limite recto et aura aequali nauis transcurrat,* nec vmquam deuertat.

616. Sic demum ad *Phasin* peruenies, *vbi iam castra Scythiae fraternaque surgit Erinnys*, bellum iam nunc inter fratres Aeetam et Persen conflatum est. — 620. *Fors etiam*, hoc non tam aperte promittit, *optatam dabitur contingere pellem,* sed *te non animis*, robori animi, *nec solis viribus* corporis *aequum credere; saepe acri potior prudentia dextra,* (nullum numen abest, si sit prudentia Iuvenal. 10, 365. vis consilii expers mole ruit sua Horat. Od. 3, 4, 65.) *quam tulerit,* obtulerit *Deus, adripe opem.* Apud Apollonium 2, 424. Venerem Phineus praedicit fore, cuius auxilio reditum sibi paraturi sint Argonautae; Valerius autem Medeam potius in mente videtur habuisse, cuius artibus magis, quam sua ipsius virtute inpetraturum Iasonem, quod vellet, praeuidet vates, sed edicere ab in-

cola Deo prohibetur, *vltima enim*, fic pergit, *promere fata nefas: fileo et precor.*

626. *Tum fubita refides focios*, in litore adhuc defides *formidine praecipitat*, alacres facit, properare iubet ad nauem, vt fata praedicta profequantur, *rumpitque moras tempusque timendi*, vt ne otio diutius indulgerent, vtque tempus omne excluderet, quo de inftantibus periculis poffent cogitare.

628. *Ipfe* Phineus *gradiens*, vtcumque caecus poterat, *viros profequitur.* — *decus o Boreae* filii patre digni! — 631. *me Pangaea*, Thraciae montis (v. 1, 597. 598.) *fuper rurfus iuga, meque paterna ftare Tyro* (v. fupra 494.) *dulcesque iterum mihi furgere foles*, vifum me receptuurum effe *reor.* — 634. *date tangere vultus: dem, finite, amplexus, propiusque adcedite dextrae.* Et haec ad caecum referenda. — 636. Dixerat, abscedunt terris, *et litora condunt*, poft fe relinquunt, ex oculis amittunt.

637. *Omnibus extemplo faeua fub imagine rupes Cyaneae*, omnes occupantur vna imagine Symplegadum, et laboris mox inftantis. — 639. *ftant*, immobilia rigent, filent *ora metu, nec feffa recedunt lumina diuerfas circum feruantibus vndas*, haud definunt oculos ad omnes aequoris partes conuertere. — 640. *quum procul audiri fonitus infanaque faxa*, fonitus immanium, furibundorum faxorum, faxa tamen ipfa nondum confpecta, *fed fiderei poli pars praecipitata profundo* in mare *vifa eft.* — 643. *dumque ocius inftant*, remos inpellunt, *ferre fugam*, fugere (inufitata, fed Valerio et alibi 7, 297. 8, 5. vfitata loquendi formula) *maria ante ratem vident*, (hactenus bene! nam discedentibus Cyaneis obcupare vacuum fpatium properabant) *maria ipfa repente diffugere*, (quae modo dixerat, grauius efferre voluiffe videtur poeta verbis *ipfa* et *repente*, fed tautologiae maculam voci *diffugere* vix abstergas. Cuius loco fi, quod nonnulli fuaferunt, *difiicere*, vel, quod ego aliquando opinabar, *diffluere* ponas, nil magnopere proficias, totumque locum in iis habendum puto, cui, vti aliis, poeta, fi diutius vixiffet, emendatricem manum adhibiturus fuiffet.) *aduerfosque*, quos ante oculos iam habebant, *discedere montes.* — 646. *Omnibus et gelida rapti manibus exciderunt formidine remi;* Apollon. 2, 577. τοὺς δ' ἑλόντας ἔχει τρόμος; obpofitum infra 675. *rediere viris manus.* — 647. Ipfe Iafon per *arma*, armamenta, tranftra *volans*, et *per iuga fumma carinae*, mox proram,

mox puppim, *hortatur ſubplex*, cf. 8, 285. *nomine quemque premens* vrguens: *Vbi nunc promiſſa ſuperba ingentesque minae* (bono h. l. ſenſu, vti apud Horat. Serm. 2, 3, 9. vultus multa et praeclara minantis.) — 654. *corripit abiecti*, paullisper remoti, ſurgere iuſſi *remumque locumque Phaleri*. — 656. *Vnda laborantes praeceps rotat, ac fuga ponti obuia*, quamquam omnes vires intenderent, vehementia tamen ante ſe Cyaneas verſus fugientis aequoris vertice quaſi abripiuntur. Iam vero *miſcentur*, conliduntur *rupes*, *iamque* (quid ſi *cumque?*) *aequore toto iuga inliſa remittunt*, vix conliſae retrahunt cacumina, quo ſit, vt toti aequori liberum curſum transitumque aperiant. — 659. *Bis fragor infeſtas cautes* (ſubintellege: *cautibus*) *aduerſaque ſaxis ſaxa dedit*, bis magno cum fragore inimicorum inſtar commiſſae erant Cyaneae, *flamma expreſſo fulſit in imbri*, ex ipſis cautibus eliſus ignis inluſtrat nubes. — 661 – 664. Comparatio cum tonitru inſtituta ſatis trita eſt, nihilque habet ſingularis difficultatisue, eadem tamen bis dicta et hic inuenies. — 665. *haud ſecus inpleuit pontum fragor; effluit imber ſpumeus*, ſpumantes defluunt cautibus fluctus, (cf. omnino Virgil. Aen. 1, 113 - 115.) et *magno aequore*, magna vi, multitudine aquarum *procul*, quamquam remotam *puppim veſtit*. (induit vrbem cinis ſupra 509.) — 667. *Aduertere Dei defixaque numina ponto* inretortis proſpexere oculis, *quid ſcopulis praecluſa*, inpedita *ratis*, *quid dura* laborioſa *iuuentus expediat*, *pendet magnis fauor ortus ab auſis*, fauent quidem tantum opus adgreſſis, ipſi tamen fere dubitant de felici ſucceſſu. — 670. *Prima coruſcanti ſignum dedit Aegide virgo, fulmineam iaculata facem;* caue, *coruſcanti Aegide ſignum dedit* iungas, immo vero coruſcanti Aeg. virgo eſt periphraſis Palladis eadem, quae ſupra 605. Diva Gorgonei geſtatrix monſtri; ſignum vero dedit *fulminea face* fulmine, concedente Iove. (cf. Virgil. Aen. 1, 42. Aeſchyli Eumen. 825. omninoque, quae adſcripſimus 1, 116. et 372.) — 671. *vixdum ardua cautes* (Singul. pro Plur.) *ceſſerat*, *illa* fulminea fax *tenui luce per concita ſaxa* (1, 4.) *fugit*, *rediere viris animique manusque*, nouum animis manibusque robur adcedere ſentiunt, *vt videre viam* a fulmine monſtratam et inluſtratam. — 674. *Sequor, o quicumque Deorum* ades, *vel fallor*, niſi me fallit ſententia, ait Iaſon, et praeceps ruit, et *fumo ſe condidit atro*, nebulis atque tenebris. — 677. *Coeperat hinc cedens*

abductis montibus vnda ferre ratem, scopulis recedentibus desederunt aquae, nauemque propulerunt, *pelagoque dies obcurrere aperto*, ita vt nunc e tenebris ad alteram maris partem possent prospicere. — 679. *Sed neque permissis*, remissis, laxatis *iam fundere rector*, gubernator *habenis vela*, *nec eniti remis pote*, nec velis omnibus expansis, nec remorum inpulsu omnium angustias poterat superare — *iam super Cyaneae* adsunt, denuo reuersurae, *premit vmbra ratem*, iam vmbra sua cingunt denuo nauem, *scopulique feruntur cominus*, in eo sunt, vt rursus conlidantur.

682. Sed en Deae ex machina! *Iuno et Pallas ex aethere insiliunt pariter scopulos, alterum nata, alterum nouiux Iovis coercet*, reprimit, vt *valido qui robore tauros sub iuga et inuito*, reluctante *cornu detorquet in ilia*, vi detrahit in terram, vt caput ventrem spectet.

686. Inde, *velut mixtis Vulcanius ardor*, mons ignivomus *arenis versat aquas*, *fluctuque coacto*, in vnum conlecto *angitur*, comprimitur, *et clausum scopulos super effluit* redundat *aequor*, sic scopuli fremunt.

689. *Contra omnes tenui discrimine*, parum aberat, quin ipsi comprimerentur, *remis pergere iter. Saxa sed extremis tamen increpuere* magno cum sonitu inciderunt *corymbis*, [Graece ἄφλαστα Homer. Il. 9, 241. Apollon. 2, 603. vtrumque iungit ἀφλάστοιο ἄκρα κόρυμβα. Latini etiam *aplustria*. Erant autem prominentia et incurua ornamenta in puppibus nauium, quibus etiam lintea ad explorandos ventos (Windfahne) adfixa. v. *Böttiger's archaeologisches Museum*. Heft 1. S. 23.] *parsque deprensa iugis transtris*, *nefas!* tam parum reuerenter habebant saxa nauem originis diuinae, *nam cetera coelo debita*, inuiolabilis, Olympo destinata 1, 4. cf. omnino Claudianum de bello Getico 1 - 30.

694. *Conclamant* anxii *Minyae*, *fugit ipse nouissimus* in extrema nauis parte, *puppi* stans *Tiphys*, *et e mediis ruinis* decidentibus saxorum fragmentis *sequitur freta rapta*, quantum potest celerrime in altum properat. — 697. *nigrantia litora*, promontorium, nigrum dictum, Ἄκρην μέλαιναν Apollon. 2, 653. *longinqui exirent* in mare se exonerarent *flumina Rhebae* (hodie Riva). Apollon. 2, 349. et 650. ponit nigrantia litora *post* Rhebam. Quid? si vno eodemque loco ponenda sint, vt Rhebas prope promontorium in mare effluxerit?

700. Tunc demum animum conlegere, *discussa*, posita *quales formidine Averni* Tartari *Hercules Theseusque comes pallentia*, Orci modo relicti horrore pleni *iungunt oscula, vix primis amplexi luminis oris*. Haec vulgata lectio, cuius sensus esset: vix supernas adtigerant regiones, quum sese amplecterentur. Sed hoc durius, et, quod recte monet Cel. Beckius l. l. p. 267. "si esset *amplexi sese*, hoc iam latet in τῷ *iungere oscula*, praeterea comparationis ratio requirit, vt commemoretur temporis momentum, quo periculum euaserint." Suadente igitur praestantiss. hoc viro et praeeuntibus Codicibus quibusdam, (cf. et 1, 676. vbi *limina portae patriae amplecti*) *primas oras* in textum recipere nullus dubitaui. Ceterum de Theseo magna narrationis varietas. Nonnulli, Statius Theb. 5, 432. Hyginus Fab. 14. et Apollodorus 1, 9. 16. inter ipsos Argonautas referunt. Apollonius 1, 101. et alii tum in orco cum Pirithoo desedisse dicunt, cui et noster 2, 193. adsentiri videtur: hoc loco nostro ab Hercule liberatus inducitur. Sed vtrobique non historicum agere voluit Valerius, sed ex concessa poetis licentia, nulla temporis habita ratione, ad ornandam comparatione orationem mythologia vsus est.

704. *Heu quis*, quantus *datur iste Deorum sorte*, voluntate, imperio *labor nobis*. *Serum vt* quamuis *veniamus*, fac sero nos venire ad amnem *Phasidis*, *et mites* faciles ita sint, *vt dent vellera Colchi*, vnde per hos montes iterum fuga? — 707. *Talia*, tales querelas *fundit* Iason, nescius, imperio Iovis *fixos*, inmobiles, *aeternumque reuinctos*, vinctos; (Ovid. Met. 15, 339. *quae nunc immotae perstant ventisque resistunt*. Pindarus Pyth. 4, 372. antea *viuas*, tum *mortuas* esse dicit) *id fati certa nam lege manebat*, si qua nauis viam sibi per eas aperuisset. — 711. *freta longis inperuia saeclis* 1, 1. *ad subitam* subito, tam inopinato visam stupuere *ratem*, *Pontique iacentis* late patentis *omne solum* aequor (Fläche) *regesque* regna *patent*, oculis subiiciuntur, *gentesque repostae*, longius remotae et hucusque incognitae.

714. Amplitudo Ponti describitur, comparatione cum aliis maribus instituta. *Non alibi effusis cesserunt longius vndis litora*, pictura satis suauis, nam quo longius litora distant, eo latius fit flumen vel mare interfluens. — 715. *nec tantas quamuis Tyrrhenus*, Tyrrhenum mare, et *Aegan*, Aegaeum 1, 629. *voluat aquas*, *geminis et desint*

Syrtibus vndae. Syrtes pars pro toto mediterraneo mari. Nihil aliud voluit Valerius, quam hoc: Quamuis Tyrrhenum mare et Aegaeum magnas voluant aquas, non tantas tamen voluunt, quantas Pontus Euxinus. Totius loci difficultas ineſt voci *quamuis*, quam difficultatem tollere eo conati ſunt nonnulli, vt aliam vocem ſubſtituerent. Sic *Clerquius van Iever* Obſſ. ſel. Lugd. Bat. 1767. p. 53. coniecit *gurges*, quod tamen, vt a ſcriptura codicum nimis recedens, recte quidem repudiauit popularis eius *Adr. van Dorp* Obſſ. Trai. ad Rhenum 1769. p. 81. dubito tamen, an admittendus ſit, quem reponere mauult, *amnis* (Tyrrhenus, nempe Tibris), nam non de fluminibus, ſed maribus ſermo eſt. *Harleſius* in nota huic loco ſubiecta ita expedire voluit, vt *nec* reſolueret in *et non*, quae poſterior vocula cum *tantas* coniungenda ſit, poſt *tantas* porro ſubintellegeret *quantas*, ſenſumque hunc eliceret: *nullum mare eſt tam periculoſum*, (de periculo tamen hic nondum cogitandum eſſe putauerim, ſed de ſola amplitudine, et nimis premere τὸ *voluere* vir Celeb. videtur) *quam Pontus Euxinus, etiam quamuis non tantas voluat aquas ſiue maris fluctus, quantas mare Tyrrhenum et Aegaeum, et quamuis nullae ibi ſint Syrtes.* Hactenus Harleſius, cuius cenſuram *Beckius* l. l. p. 267. dedit hanc: "Vnicus eſſe poteſt, quem elicuit Harl., ſenſus, ſi conceſſiue intellegas, vt iungatur *quamuis voluat*, ſed quomodo poſſit ſubintellegi *quantas*, non video. Alterum quidem *tantas* in comparationibus omitti poſſe notum eſt. Videtur legendum eſſe *voluit*, hoc ſenſu: Nec *tantas aquas voluit* aliud mare, *quamuis Tyrrhenum*, nec ipſum Tyrrhenum aut Aegaeum mare; et *Syrtibus*, mediterraneo mari *deſunt vndae* ad Pontum Euxinum comparatis, h. e. minus habent aquarum, minores fluctus tollunt." — Nuper *Slothouwer* in Act. literar. Rheno-Traiect. Vol. 3. p. 175. pro *quamvis* mauult *quantus*, nec Tyrrhenus quantus, i. e. totus quantus, et Aegan voluet tantas aquas. — Tandem nuperrime Cl. *Iacobs* in Animadv. ad Anthol. Vol. 2. P. 2. p. 507. et in Miſcell. philol. p. 78. pro *tantas* reponere ſuadet *iunctas*, i. e. "ſi Italia et Graecia demerſis mare Tyrrhenum et Aegaeum iungatur. Hinc adparet, quid in ſequenti hemiſtichio deſideretur. Fac poetam ſcripſiſſe: *et deſint Syrtibus* ACTAE, et ſenſum habebis perſpicuum. Tyrrheno mari et Aegaeo, quae maria iuncta a Ponto Euxino ſuperari ait poeta, etiam Syrtes addit, maiorem et mino-

rem, quas ſatis longo ſpatio diremtas fuiſſe conſtat. — Hoc itaque voluit poeta: ſi litora, quae Syrtes dirimunt, tollantur et vtraque duobus illis maribus adiiciatur." — Ego vero in hac coena dubia — ἐπέχω.

717. Pergit Valerius aliam cauſam amplitudinis Ponti Euxini adferre. Nam *ſuper* (aduerbial.) praeterea quod per ſe magnam aquarum molem complectatur, *huc* in eum *vaſtos tellus quoque congerit amnes.* — 718. *non memorem, quas opes* (diuitias Ovid. Amor. 3, 6, 94. Sil. Ital. 1, 606.) *addat Hiſtri* Danubii *gemini,* (vel quod, antequam in mare effluit, in duo brachia diuiditur, vnde geminum flexum Danubii dixit Noſter 8, 377. vel quod binominis eſſet, vti Ovid. ex Ponto 1, 8. 11. nominat, nempe propius ad fontes *Danubius,* ab Illyrico vsque ad oſtia *Iſter*) *ſeptem exitus,* oſtia, cf. 8, 185. in quorum numero noſter ſequitur Strabonem, nam alii quinque vel ſex numerant. v. Mannert T. 4. p. 219 ſq. — 719. *quas Tanais* (Don) *flavusque Lyces,* vna cum Iri in Pontum fluens. v. Mannert T. 6. P. 2. p. 444. hodie veriſimiliter *Kalmius.* v. Idem T. 4. p. 251. — *Hypanis* (Bog) *Melasque,* pro quo libri habent *Nomas,* vel *Novas;* fortaſſe *Boas,* quod nomen incolae dederunt fluuio maiori, Graecis *Acampſis* dicto. v. Mannert 6, 2, 364. — 720. *quantos ſinus Maeotica aequora,* palus Maeotis *laxant,* aperiunt. — 721. *ſic flumineo agmine,* tot fluuiis dulcem aquam aduehentibus, *vim frangit amari ſalis,* diluitur amaritudo, et minuitur ſalſus ſapor, maribus aliis proprius, — *hinc Boreae cedens glacialibus auris,* hinc ventis gelidis patet, *et exorta facilis concreſcere bruma,* ingruente hyeme facile gelu conſtringitur. — 724. *Vtque vel inmotos* glacie duratos *Vrſae rigor* ſeptemtrionale frigus *inuenit amnes, vel freta verſa vadis,* maria fluctibus inmenſis agitata: *ſic per omnem hyemem vnda aut iacet campo* in campum glacialem porrecta, *aut tumido riget ardua fluctu,* ad montium altitudinem fluctus erigit; *atque hac Europam curuis anfractibus angit,* adluit, premit, *hac Aſiam, Scythicum ſpecie ſinuatus in arcum.* cf. Ammian. Marcell. 22, 8. p. 253. ed. Erneſt. — 729. *Illic vmbroſae ſemper ſtant,* incubant *aequore nubes, et non certa dies,* rara et breuis coeli ſerenitas: *nec primo* verno *ſole profundum ſoluitur,* mare glacie liberatur et nauigabile fit, *aut vernis quum lux aequata tenebris,* aequinoctio vernali, *ſed redit tandem in ſua litora extremo Tauro,* quum ſol tauri ſignum coeleſte tranſierit.

733. Veniunt ad oras *Mariandynorum* Argonautae. *Echion* terras regemque *exquirit*, *dicta*, mandata *ferens*, quod fecerat ſupra 134. et poſtea faciet. — 736. *nominis Haemonii viros*, Theſſalos, *ſi umquam fama eſt*, audiuerit rex, *ſubiiſſe litora*, *det litora feſſis*, nauem permittat adpellere. — 738. *Aeſoniden omnemque turbam trahit*, ita hoſpitalis, vt non Iaſonem ſolum, ſed comites omnes non tam inuitet, quam cogat *in regia tecta*, *modo Bebryciis praefixa tropaeis*, ſpoliis ornata. — 741. *Haud temere eſt*, non forte fortuna factum, *ſed fato*, voluntate Divum. — 744. *Certa fides animis*, *idem quibus incidit hoſtis*, amicitiam facilius ineunt fideliusque ſeruant, qui eumdem habent hoſtem. — 745. *tanto orbe*, tam remota regione — *ſenſimus*, notanter de magna calamitate, damno vſurpatur, *ſaeuis frater* Otreus *mihi fuſus* caeſtu *harenis*. v. ſupra 161. — 747. *Vltor ego*, hanc fratris caedem vlturus, *illuc cunctis in armis*, omni regni mei vi bellica excita *adcenſus* ira *aderam*, *quum vos mediis fretis contenta*, intenta, rapida, properantia *vela ferebant*. — 749. *in ſanie taboque*, putreſcentem cruentumque *vidimus*. cf. 1, 816. 2, 212. — 751. nec vobis inuideo, quod in conficiendo tyranno me occupaueritis, nec tam laetarer, ſi mea ipſius manu cecidiſſet, *quam lege quod obcidit vltus ipſe ſua*, quod eodem certamine, ad quod prouocauerat alios, ipſe obcubuerit. — 755. Ad haec Iaſon: *tuus ergo in montibus ignis?* in caſtris itaque tuis noctu incenſi ignes erant, *tuas acies medio de gurgite* ex alto mari *vidi? Hic tibi Pollux*, *inuiſo* iratiſſimo *cui pectore ſoluit poenas*. — 759. *Ille* Lycus *virum circa mirantia lumina voluit*, non ſine magna admiratione Pollucem luſtrat. — 761. *Communes*, communiter, *vocant ſuperos*, gratias agunt, *quorum eruta* liberata tyranno *nutu Bebrycia; et votis pariter praedaque fruuntur*, laetantur et felici euentu et ſpoliis deportatis.

IN LIBRVM V.

1. Poſtero die *morbis fatisque rapacibus* morbo ſubito conripitur, mox letali, *Idmon*, *extremi ſibi tum non inſcius aeui*, quem vt vatem et augurem mors prope inſtans non latuerat. (Ab apro occiſum narrant Apollonius et Hyginus.) — 4. *Vera*. Sollemnis vox de oraculis, auguriis cet. euentum habentibus. v. Medebach Wakker Amoenit. lit.

c. 3. p. 18. — 6. *velamina* (veſtes) *caelata*, quod verbum non de metallis tantum vſurpatur, in quibus figurae prominent, ſed de aliis etiam affabre factis operibus; h. l. ſunt acu picta, aureis filis diſtincta, ideoque non leuia, ſed ſuperficie aſpera. Erant enim eadem velamina, quae *Dolionius rex*, Cyzicus, olim Iaſoni dono dederat, v. ſupra 3, 10. 11. vbi, quae hic *caelata*, dicuntur *veſtes*, quas Clite *picto variauerat auro*. De labore acu pingendi, quo feminae priſcae tempus fallere ſolebant, vide omnino Cel. *Lenzii Geſchichte der Weiber des heroiſchen Zeitalters* S. 38. — 8. Lycus *dat humum ſedemque*, locum ſepulcri — *flens arma reuellit* tranſtris, vt rogo inponantur, *Mopſus*. — 10. Robora *portant arae*, rogo exſtruendo. cf. 2, 599. — 12. *dies ſimul et ſuus* fato ſibi deſtinatus mortis dies *admonet omnes*.

13. Inter *extrema munera* dum iuſta adhuc facerent Idmoni, *Tiphys* etiam, *quem curſus penes imperiumque carinae*, gubernator, violenta morte abripitur. — 17. *Arcipotens* Apollo, τοξοφόρος, τοξότης, arcitenens Virgil. Aen. 3, 75. al. *aduerte* (niſi malis cum Burmanno *auerte*) *hoc, pater, hoc nobis refoue caput*, ſanitati reſtituas. (Apollo ſalutaris.) — 20. *omnis labor nunc pendet ab manibus* tam periti gubernatoris *vnis*. (*Vnus*, quamquam ſua natura Pluralem reſpuere videatur, huic tamen etiam addi poſſe, ipſe Cicero ſua comprobat auctoritate.) — 21. *nec debita fata mouebant*, non potuerunt efficere, vt, quod fato deſtinatum eſſet, mutaretur. cf. 3, 461. — 22. *Qualem praecipiti grauidum iam ſorte*, (nimis quaeſite dictum pro morti praematurae propinquum) *natorum flet parua* (paruorum) *manus, trepidique precantur, duret*, diutius viuat (paullo poſt *ſupereſſe*) *vt inualidis et adhuc genitoris egenis*. Mollis et adfectus plena comparatio! — 27. *ille recens oculis intervolat*, memoria modo ſepulti Idmonis renouatur. — 28. *clamore morantur*, conclamatione experiuntur, an forte fugientem animam poſſint retinere, de quo more vide Kirchmannum de funeribus 1, 13. — 31. *creſcit donis*, veſtibus, (v. 30. muneribus) aliisque, quae vel mortuis cara fuiſſent, vel deplorantibus in pretio eſſent, *feralis aceruus*, rogus. — 32. *Vt vero amplexus feſſi rupere ſupremos*, fatigati tandem oſcula inprimere deſiere, *tunc ipſa cremari ratis viſa, medioque viros deponere*, mergere *ponto*. — 35. *Non tulit Aeſonides, geminis flagrantia cernens corpora cara rogis, ſed pectore*

ductor ab imo talia voce gemit. Burmannianus codex habet *Aesonius*, rectius sine dubio, quoniam, si *Aesonides* retineas, *ductor* otiosus esse videri possit. Magis adhuc placeret Friesemannus, qui *ducta pectore ab imo talia voce* mauult, si libri in tali verborum transpositione addicerent. — 39. *Bina, nefas!* (eheu!) *funera mihi surgunt in tuto litore*, non in hostili regione, sed placidis terris, vti v. 72. — 40. *magna adeo comitum numerosaque pubes?* num tam multi numero sumus, vt hanc talem iacturam aequo animo ferre queamus? aut socios *rapit atra dies*, mors praematura, *aut ipse relinquo* (sic se ipse adcusat Herculis neglecti) *sontibus*, maleuolis (Statius Theb. 5, 610. *qui te, mea gaudia*, sontes exstinxere Dii?) *inpulsus Furiis?* — 42. Et quantos perdidimus viros! *vbi Tiphys*, gubernator? *vbi Idmon fata canens*, vates et augur? *vbi monstriferae par ille nouercae?* Hercules, qui aliud post aliud nouercali odio a Iunone inmissum monstrum feliciter tamen debellauit, ita vt ipsa Iuno apud Senecam Herc. fur. 41. fateatur: *minor labor est Herculi, iussa exsequi, quam mihi iubere.* — 44. Pergit Iason interrogando, quod facimus adfectu pleni. *sine te, Thespiade*, Tiphy, *nos vlla mouebimus* remis agitabimus *aequora?* — 46. *Pleiadum globos*, quoniam septem vnum sidus conficiunt, (*glomerabile sidus* ap. Manilium 4, 523. *densae Pleiades* (Gruppe) infra 414.) *et agentes* nautarum duces *noctibus Arctos*. — 47. *Cui digno*, tecum comparando *Minyas caramque*, quae tantae tibi curae erat, *ratem*, *cui sidera*, seruandum coelum *tradis?* — 48. *Carpere securas quis iam iubet Aesona noctes?* faciat, vt secure dormiat pater meus. — 50. *admotis nimium mens anxia Colchis*, eo magis solicita, quo propius ab Colchis absumus, *heu quantum Phasis, quantum Aea recessit!* (Metaphora sumta ab iis, qui, quum portum in oculis habeant, denuo in altum proiiciuntur) quam sero saltem nunc eo perueniemus. — 52. *Nunc quoque, si tenui superant in imagine curae*, si manibus post mortem aliquis sensus est et cura rerum terrestrium, *adsis vmbra venturi praescia coeli restoremque monens*, tua siderum coelique vicissitudinum peritia adiuua subcessorem tuum. — 55. *sola*, separata, diuersis rogis cremata videt, *virorum ossa flammis labentibus*, in cineres considentibus, sed *caras*, ait, *humus non diuidet vmbras* reliquias, *nec separe* separata *conteget vrna, sed simul*, vna inclusas. — 60. *reliquias socii de-*

fletaque nomina miſcent, cineres vtriusque vna reponunt vrna, eidemque vrnae vtriusque nomen inſcribunt.

63. Gubernatoris munus nunc ambiunt Ancaeus, Nauplius, Erginus. — 65. *Erginum fato*, effato, voce *monente vocat ipſa* ſibi eligit *quercus fatidica*, Argo (cf. 1, 2. et 302.) et *ad tonſas*, remorum officium *rediere victi*, qui repulſam tulerant, *magiſtri*. (Apollon. Rhod. 2, 898. Ancaeo gubernaculum tradit.) — 67. *Ac ille* Erginus, *velut taurus, cui gregis ceſſit regia* poteſtas, honos ducendi (*regnans taurus* Statio Theb. 6, 596.) *fertur ouans*, incedit ſuperbus; *primo laetus ſic tempore rector ingreditur curſus*, ſtatim ab initio ſecundis ventis vſus eſt. — 70. *dat candida certam nox Helicen*, tam ſerena nox fuit, vt vrſa maior tutam nauigationem promitteret. — 71. *Iam prora fretum commouerat*, ſecuerat, intrauerat, *et iam puppe ſedens placidas demiſerat ancora terras*. Obſendit Burmannum, quod puppi ancora detur, quam ſemper de prora proiecerint veteres. Fortaſſe tamen Valerius non ad priſcam illam Argonautarum, ſed ſuam reſpexit aetatem, qua de puppi aeque ac prora iactas eſſe ancoras docet locus N. T. Act. Apoſt. 27, 29. 30. quem adduxit vir doctus (Iortin) in Miſcell. Obſſ. T. 4. p. 172. *placidas terras*, quae tam amice eos exceperant.

73. Inde, *premente*, vela inflante, ſecundo *Noto triſtes Acheruſidos vndas*, de quibus vide 4, 595. *praeteriit, et feſta vulgatum*, inclytum *nocte Lyaei Callichoron*, fluvium Paphlagoniae, ad quem Bacchus ex India redux quieuit. cf. Ammian. 22, 8. *His* enim *Bacchus in vndis Eoo ſanguine*, in bellis proeliisque in Orientis regionibus adſperſo *rorantes* madentes *abluit thyrſos*, haſtas hederis intertextas. (Virgil. Ecl. 5, 31. foliis lentas intexere mollibus haſtas.) — 77. *Illum poſt acies rubrique nouiſſima clauſtra aequoris*, poſt bella ad extremos vsque Orientis fines, mare Indicum, prolata, *hic reſides* intermiſſos (v. ad 3, 540.) *thiaſos*, ſaltationes, choreas renouantem, *hic aera*, tympana *mouentem* pulſantem, *vdaque* vino leuiter conſperſa *pampinea nectentem cornua* (cf. 1, 726. 2, 272.) *vitta*, (alias mitra, vti 2, 271.) *meminiſtis aquae*. — 80. *Boeotia qualem Thyas et infelix cuperet vidiſſe Cithaeron*. Hic igitur ad Callichoron mitis atque placidus fuit Bacchus; longe alium experta eſt Boeotia Thyas, Agave, quae filium, Thebanorum regem Penthea, Bacchi ſacra contemnentem,

furore acta cum aliis Maenadibus in monte Boeotiae Cithaerone membratim discerpserat. cf. 1, 726.

80. *Fama inproba*, laboriosa semper, numquam otiosa *volat*, celerrime penetrat *ad extremos manes* ad inferos, et *magnis natorum laudibus inplet.* — 84. *venturam coelo fatis melioribus Argo,* — 85. *addita iamque fretis repetens freta, iamque ferentes Cyaneas.* Versum 84. *venturam* etc. vncis, vt spurium, inclusit Burmannus, et vnius tantum alteriusue codicis auctoritate ille nititur. Sunt etiam, qui versum 83. eiectum malint, et vtrumque fateor abesse posse. Sed nihil forsan mouendum, immo interpretatione iuuandus locus. Cohaeret nempe cum v. 72. vbi Argo ad Acherusias vndas venisse narratur. Huc igitur fama v. 82. ad inferos nuntiat, *eosque magnis natorum laudibus inplet*, res a filiis nepotibusque superstitibus praeclare gestas enumerat, *repetens*, in memoriam reuocans, *venturam coelo,* mox adfore in terris superis, (nam sic *coelum* saepe vsurpatur, et de re adspectabili sermonem esse suadent v. 86. *adtollere vultus* et v. 89. *spectacula*) *fatis melioribus*, cui Dii ipsi faueant, *Argo,* nec vana sese olim nuntiasse, *addita iam fretis freta,* plura iam maria eam traiecisse, *iamque ferentes Cyaneas*, Symplegadas eam tulisse, tolerasse, concessisse transitum. Possis etiam τὸ *repetens* de fama loquaci adcipere, quae, non semel narrasse res nouas contenta, pluribus, quicumque audire velint, easdem obtrudit; priorem tamen illum sensum praetulerim: ad quem eruendum ponticulis aliquot vsum me esse ipse sentio, sed meliora nunc non habeo.

86. *Ardent auidos* spectandi cupidos *adtollere vultus* (ii) *quos pietas,* amor erga natos, *vel tangit adhuc quos aemula virtus*, si qua locum adhuc apud inferos habet laudum aemulatio. — 88. *Fata*, quae manes prohibent inferis excedere, vel vultum ad coelum extollere, *inmota manent*, mutari non possunt; *vnum, qui litore in illo conditus*, sepultus erat, sed Styga nondum transierat, *ad carae natorum mittunt spectacula turbae.* — 90. *It Sthenelus*, cui hanc veniam a Proserpina datam esse narrat Apollonius 2, 911. *qualem*, ea ipsa forma, qua *Mauortia vidit Amazon*, qua comes Herculis in bellum contra Amazonas ierat, *cumque suis comitem Alcides vt condidit armis*, iisque ipsis armis, quibuscum Hercules eum terrae mandauerat. — 91. *talis* igitur *ab aequorei aggere busti*, tumulo ad litus adgesto *consurgens emicuit*, subito adparuit,

fulſere vndae, lux inluſtrauit mare, *ſol magnus vt orbem tolleret*, haud ſecus ac ſi ſol oriretur, *aut nubem quateret polus*, fulgur excuteretur nubibus. — 94. *atque eadem vixdum viſa viris*, vix adparuerat hoc oſtentum, *atra nox protenus abstulit vmbra*, euaneſcit, noctisque redeunt tenebrae. — 96. *Ille dolens repetit altum Chaos* ad inferos regreditur triſtis. (Chaos hoc ſenſu ſupra aliquoties 1, 831. 2, 86. cet.) *Omina*, hoc oſtentum *dum ſtupet Mopſus*, *tumulum adſpicit procul in prima acta* litore, vnde conligit, manes aliquos adparuiſſe, *obnubensque caput*, velato capite, quod ſacra facientibus in vſu fuiſſe norunt omnes, *cineri dat vina vocato*, manibus euocatis vina libat. — 99. *carmina quin etiam viſos placantia*, quae placarent *manes Odryſius*, Thrax Orpheus *dum rite mouet*, *mixtoque ſonantem perculit ore lyram*, ad lyram canit (carmen agit eſt 1, 783. et 4, 87. quem locum in primis conferas velim) *nomenque reliquit harenis*. Obſcurius dictum. Poſſit eſſe, adſcripſit nomen tumulo. Veri tamen eſt ſimilius, Valerium ſequutum eſſe Apollonium, qui Orphea narrat lyram ſuam Apollini dedicaſſe, vnde loco illi nomen Lyrae haeſerit.

102. His ita a Mopſo et Orpheo peractis, *altius in ventos recipit ratis*, quod ſenſum vix fundat. Cuius loco quum amiciſſimus nuper Herelius Ep. crit. p. 70. coniecisset *rediit*, ſimilemque adduxiſſet locum infra v. 712. *protenus in proram rediit ratis*, Ruhnkenius autem ad Vellei. Paterc. Lib. 2, 70. 2. hanc coniecturam comprobaverit, in honorem duumuirorum praeſtantium in contextum recepi *rediit*, hoc ſenſu: litore relicto altum vocantibus ventis repetiit, *ac fugit omne* Crobiali, vrbis Paphlagoniae, *latus*. cf. Apollon. 2, 942. *et fatis tibi, Tiphy, negatum Parthenium*, fluuium eiusdem tractus, *ante alios Triuiae* Dianae *qui creditur amnis fidus*, carus, cuius adcolae Deam in primis colebant, *et Inopi materna gratior vnda*, ipſo Inopo, inſulae Deli natalis ſuae flumine, (cf. Callimachum hymn. in Dian. 171. in Delum 206.) gratior. — 106. *Mox etiam Cromnae iuga*, caſtellum in monte ſitum, *Cytorenque*, montem et vrbem Paphlagoniae (Apollon. 2, 942. ὑλήεντα, ſyluoſam) *pallentem*, ob magnam ibi creſcentis buxi copiam, (Virgil. Ge. 2, 437. et iuuat *vndantem buxo* ſpectare Cytoron) pallorem autem buxo tribuere ſolent poetae v. c. Ovid. Metam. 4, 134. ora buxo pallidiora. cf. eumd. 11, 417. — 107. *teque cita*, properante *carina penitus condunt*, poſt ſe relinquunt *Erythia*. Magna

ſcriptoribus antiquis in huius loci nomine varietas. Valerii codices omnes in *Erythia* conſentiunt. Fuerunt vero ſcopuli iſtius regionis ita dicti, ad quos ſeriori aetate celebris vrbs Amaſtris eſt condita.

108. *Iamque reducebat noctem polus*, *alta Carambis*, promontorium, (hodie *Cap Piſello*) *raditur*, praeteritur, legitur, *et magnae pelago tremit vmbra Sinopes*. Egregia pictura, cuius veritatem in arboribus aliisque aquae inminentibus videre eſt, quorum imago ob tremulam aquam tremere ipſa videtur. Vberius hoc pingentem vide Auſonium Moſella 190 ſq. — 110. Haec *Sinope*, Mileſiorum colonia, magnae olim famae vrbs et totius Ponti Euxini emporium celeberrimum, v. in primis Mannert Tomo 6. Faſc. 3. p. 11. *opima*, diues *Aſſyrios* Leucoſyriae *amplexa ſinus*, *Nympha prius*, Aſopi fluuii filia, *coelicolis inmota procis*; quae ipſorum Deorum amorem repudiauit, *nec ſolus Halys*, Deus fluuiatilis, *nec ſolus Apollo fraude eius deceptus*, *quae blandos adeo Iovis luſerat ignes*. Apollonius 2, 948. Ζεὺς ὑποσχεσίῃσι δολωθείς, ſuis ipſius promiſſis eluſus: nam quum, quidquid vellet, petendi arbitrium Sinopae dediſſet, haec perpetuam petiit virginitatem. De Haly et Apolline pari fraude circumuentis vide eumdem Apollonium.

114. *Caſu benigno* factum, vt in hac vrbe noui Argonautis comites adcederent, *Autolycus*, *Phlogius* et *Deileon*, ſocii antea Herculis. *Vagus hos ibi fixerat error*, poſt longos errores ſedem ibi conlocauerant. — 119. *noua dux adcedere gaudet nomina* (de perſonis ſaepius noſter) *deſertos et iam ſibi currere remos* numerum remigum his ſubpleri.

121. *Transit Halys*, maximus minoris Aſiae fluuius, in Pontum ſe exonerans, (hodie Turcis *Kiſil Irmak*, Mannert 6, 2. 452.) *longisque fluens anfractibus Iris*, (nunc Lirio) poſt Halyn maximus. Mannert ibid. p. 444. — 122. *ſaeuaque medio ſale murmura voluens*, inpetum aquarum, vbi mari ſe inmiſcuerit, diu retinens (Orpheus 735. βάλλου ἐπ' αἰγιαλὸν δίνας ἁλιμυρέας ἕλκον, pro quo Slothouwer l. l. recte, ni fallimur vterque, ὅλκον) *Thermodon*, hodie *Terme* (Mannert p. 442.) *Gradivo* Marti *ſacer*, *et ſpoliis ditiſſimus amnis*, quod quomodo intellegendum ſit, docent ſtatim ſequentia: *equos et ſecures*, arma hoſtibus derepta *votas* ex voto ei iniiciunt ex bello *per Caſpia clauſtra*, a meridie Caſpii maris ſita, redeuntes *Amazones*, *vera propago ſanguinis*, *eſt ollis genitor Deus*, verae ſanguinolenti patris

filiae. Quid? fi incifum poft *fanguinis* tollas, vt ad Deum referatur (Deum fanguinis) vel interpunctione retenta *fanguinis* bis fumas? — 127. *Hinc*, ab hac Amazonum fede *magis alta Haemonidae* Argonautae *petiere*, et monitus non temnere Phinei 4, 602 fq.

129. Iafon interea a comitibus nouis, vt Herculis cum Amazonibus pugnas narrent, petit. — 132. *veftras memorate manus*, quid vos ipfi ftrenua manu feceritis. — *Aegro corde*, ob defiderium Herculis *audit fyluas*, *currus* (non adeo ftricte fumendi, nam equis decertaffe Amazonas novimus, vide 4, 608. currus tamen etiam Euryalae datur 6, 370.) *bellique labores*, pericula *virginei*, *exciderit* equo moribunda *frenis quae prima remiffis*. — 138. *vtque fecurigeras ftimulauerit Ira*, Bellona, Enyo 4, 604. *vt fleturus pater* Mars, *quantus duce in ipfa*, Antiopen dicunt, *terror*, *qui furor in fignis*, (clypeis galeisque terribiles addebant formas, quibus et ipfis timorem iniicere hoftibus volebant) *quo balteus arferit*, fplenduerit *auro*.

141. *Nocte fub extrema*, aurora iam adpropinquante *claufis telluris ab antris* fubterraneis *peruigil*, per noctem, qua alii omnes dormirent, continuatus *Chalybum* malleos vibrantium *labor; arma fatigant*, repetitis ictibus vexant ferrum, donec, quam volunt, formam induerit. Sic faepe poetae *res* ipfas fatigatas ponunt. Virgil. Aen. 8, 94. olli remigio *noctemque diemque* fatigant. nofter infra 602. diem noctemque Marte fatigare. 3, 21. fatigare *fyluas*, 2, 110. fama fatigat *terras* — 143. *ruricolae*, *Gradive*, *tui* terrae tibi facrae incolae: *fouat illa creatrix prima manus belli in omnes terras crudelis*, primi fuerunt Chalybes, (in quo tamen non omnes confentiunt,) qui arma procuderent, quae tantam ftragem in orbe terrarum ediderunt, *nam prius quam dura cubilia* venas *ferri ignoti eruerent*, indagarent, *enfesque darent*, cuderent, *odia aegra*, debilia, infirma *fine armis errabant*, *iraeque inopes* inexpletae, *et fegnis* lenta *Erinnys*, vindictae cupido. Ter idem dicit luxurians poeta, fimplicius Horat. Serm. 1, 3, 100. *glandem atque cubilia propter Vnguibus et pugnis, dein fuftibus, atque ita porro Pugnabant armis, quae poft fabricauerat vfus*.

148. *Inde Genetaei rupem Iovis*, promontorium ad fluvium Genetum, vbi templum Iovis Xenii. Apollon. 2, 1011. Γενηταίου Διὸς ἄκρη. Mannert 6, 2. 393. *hinc Tibarenum virides lacus*, arboribus cinctos *poft terga dant*, *vbi feta*

mulier puerpera *partu ſoluto,* infante in lucem edito maritum *deſide mitra ligat*, in lecto otioſe decumbentem mitra ornat, *et fouet* cibis conroborantibus, quaſi aegrotum recreet. Sumſit Valerius ex Apollonio 2, 1013. αὐτοὶ μὲν (ἄνδρες) στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες κράατα δησάμενοι, ταὶ δ' εὖ κομέουσιν ἐδωδῇ ἀνέρας ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται. Idem narrat de incolis Cyrni (Corſicae) inſulae Diodor. Sic. Lib. 5. c. 14. T. 3. p. 279. ed. Bip. de Cantabris Strabo Lib. 3. p. 440. ed. Siebenkees. — 151. *Vos quoque non notae vela carinae*, nauem, qualem numquam viderant, *mirati Moſſyni*, aliis Moſſynoeci (in ligneis aedibus habitantes a μόσσον et οἶκος Apollon. 2, 1017. δουρατέους πύργους ναιετάουσι. Mannert 6, 2. 427. — *vos et ſtabulis ab altis* in montibus habitantes *Macrones*, Mannert 6, 2. 397. et 418. *Byzeres vagi*, nomadicam vitam agentes. Mannert ib. p. 397. *Philyraeque a nomine dicta litora, quae cornu pepulit Saturnus equino*, Philyres, nomen trahentes a Philyra, Nympha, Oceani filia, ex qua Saturnus in equum conuerſus Chironem Centaurum ſuscepit. *Pepulit litora*, ad iſtas oras venit. cf. Apollon. 2, 1231 ſq.

155. *Vltimus inde ſinus* et Caucaſus *ſaeuum Promethei cubile. Ille dies forte etiam Herculem* in has regiones *tulerat Titania fata morantem*, Promethei malis finem inpoſiturum. — 158. *iamque aſpera*, rupes *niſu*, magna cum contentione *conuellens* Hercules, *veteris cum ſtrage pruinae*, ita vt, quae montem diu incruſtauerant, niues deuoluerentur. *Vincula prenſa manu ſaxis adduxerat imis* poſt ſe traxerat, *arduus* cacumen montis adſcendens, et *laeuo grauior pede*, toto corporis pondere laeuo pede innixus, vt reliquis membris eo fortius ad vincula ſaxis euellenda vteretur. cf. Virgil. Aen. 7, 689. et ibi Heynii Excurſ. 8. p. 153. — 162. *ſummo pariter cum monte ſequutae incubuere trabes*, montis cacumen ſimul cum abreptis arboribus ſuis procubuit, proſtratum eſt, *abductaque flumina ponto*, ita vt effluxus in mare inpediretur, vt alueum mutarent. — 166. *Horruit inmenſum Ponti latus*, tota Ponti Euxini Aſiatica pars, *horruit omnis Armeniae praetentus Hiber*, tota Iberia ante Armeniam ſita, *penitusque recuſſo*, commoto, retro acto *aequore Cyaneas Minyae timuere relictas*, adhuc exſtare atque conlidi credebant. — 169. *Tum gemitu*, ſtridore, ſonitu *propiore chalybs*, chalybea, ferrea vincula Promethei (ſic recte Maſerius explicuit, nam quae hic narrantur, vno eodemque loco facta —

chalybs ſonans — *rupis labor* — *Titan* vociferans; Chalybum vero natio iam remotior) *denſusque labor*, creber, repetitus gemitus *montis reuulſis rupibus*, quod magnam ſui partem euulſis ſaxis abreptam ſibi videret, (epica audacia!) *et graue Titan* Prometheus *vociferans*, *fixos ſcopulis dum vellitur artus* (Graeca dicendi ratio pro: dum artus ſcopulis adfixos euelli ſibi ſentiret.) — 170. Argonautae rei ignari — quis enim Herculem in montibus illis eſſe ſuſpicaretur? *quis dimiſſa vota retentet*, ſpem Herculis recuperandi dudum abiectam denuo concipere auſus fuiſſet? — pergebant in itinere. — 174. *tantum mirantur ab alto diſcuſſa* effuſa *niue ſterni*, *ſimul ingentem moribundae deſuper vmbram alitis*, moles vulturis ſatis aucta, qui ex aere decidens latam vmbram proiiceret, *auraſque atris rorantes imbribus*, ſanguine nempe vulturis ab Hercule confixi. Nimis certe poetice, et vltra fidem, ait Burmannus. Sed vix aliter explicari poſſit.

178. *Sol* occidens *propius flammabat aquas*, Oceanum, *extremaque lux* veſpera *coeperat* diu optatos *Colchos oſtendere*. — 180. *magnus vbi aduerſum ſpumanti* rapido (4, 616.) *Phaſis in aequor ore ruit*. — *Cuncti pariter loca debita*, fato ſibi deſtinata, metam laborum *noſcunt*, *ſignaque commemorant emenſaſque ordine gentes*, quas praeternauigandas praedixerat Phineus 4, 561 ſq. *dantque ratem fluuio*, intrant. — 183. *ſimul aethere plena coruſco*, lucida nube circumfuſa *Pallas*, *et alipedum* (cf. v. 612.) *equorum iuga* currum *Iuno ſiſtit*. Vtrique Deae equos curribus iunctos dant poetae: *Iunoni* Homer. Il. 5, 720. Virgil. Aen. 1, 17. *Mineruae* Callimachus in Pall. v. 2. Horat. Od. 1, 15, 12. cet.

185. Ac dum prima Iaſon ſubit oſtia *graui pulſu*, remis concitatis, *populeos flexas*, populos, arbores, in orbem conſitas, *tumulumque*, monimentum *medio aggere cognati* videt *Phrixi*, *quem iuxta Pario* candido, (nil amplius, nam Argonautarum aetate Parii marmoris ſtatuam in Colchide quis quaerat?) *marmore*, *marmorea* ſtatua, quae et ipſa Argonautarum aetate recentior, *ſtat ſoror* Helle, *hinc ſaeuae formidine moeſtà nouercae*, *inde maris*, cuius Helles facies ita erat ab artifice efficta, vt altero oculo obliquo videret retro, an forte nouerca perſequeretur, altero timorem maris proderet vultu, *pecudique* arieti *timens inponere palmas*, manus. Geminam huic Helles imagunculam vide ſupra 1, 282. 290.

191. Siſtere hic iubet Iaſon, *ceu Pagaſas*, Theſſaliam, *patriumque intrauerit amnem. Ipſe* graui *patera ſacri libamina Bacchi*, (vinum manibus defunctorum libatum aliquoties iam propinauit antea Valerius) *vmbram* Phrixi euocat. — 195. *Per genus*, cognationem, *atque pares tecum mihi labores*, eadem, quae tibi ſubeunda, pericula, precor, *orſa*, coepta *regas*. — 197. *Tot freta, tot dure properantia ſidera paſſis, Phrixe, faue*. Varia tentarunt ad lucem huic loco adfundendam interpretes, aſteriſco adeo, vt vix genuinum, notarunt. Mallem ipſe Valerius mentem dilucidius expoſuiſſet; neſcio tamen, an tolerabilis exſiſtat ſenſus, ſi ita explices: *tot freta, tot dure properantia ſidera*, grauiter, inclementer et ſubito ingruentes tempeſtates *paſſis* mihi et ſociis *faue*. Freta et ſidera pro tempeſtatibus ſic poetis ſolita iungi, pluribus probat exemplis Gronovius Obſſ. 3, 15. p. 427. ed. Platner.

199. *Tu quoque nunc, tumulo inani*, cenotaphio *nequidquam*, nam viuis adhuc, *condita, Diva maris*, Helle, *adnue, numeroque adcede tuorum*, comitem te dare velis cognatis. — 201. *Quando egomet per te rurſus*, per fretum, quod a te nomen traxit, Hellespontum *vehar? quando aurea vellera Seſton* (quis vero non nouerit vrbem ad Hellespontum e regione Abydi ſitam?) *et infauſtos*, in quibus tu periiſti, *fluctus adnoſcent?* — 203. *Vos etiam ſyluae, vos Colchidos hoſpitis*, hoſpitio me excipientis *orae*, vos ſylueſtria et ruralia numina, *pandite*, edicite, monſtrate, *diues*, aurea *vbi pellis micet*, ſplendeat *arbore ſacra*, in luco Martis.

205. Nunc et Phaſin ſibi conciliaturus gratum animum promittit. *Tunc tibi, Phaſi, proles Iovis ſecundi*, (Varia commenti ſunt interpretes. Miror, quod nemini in mentem venerit: *multorum liberorum parentis*; adſenſum ſaltem, quamquam non ſine ſuſpirio, Iuno praeberet: ſed quum epicae dignitati non ſatis adcommodatus eſſet talis iocus, optimum forſan eſt: omnium rerum auctoris) *orte*, qui fontem habes *niuali axe*, ſub frigido ſeptemtrionali coelo *Arcados Deae*, Calliſtus a Iove adamatae, deinde Vrſae nomine inter aſtra receptae, *fluuio modo quieto*, leni, placido *Palladiam*, quam Pallas ipſa fouet, (Palladia pinus 1, 457.) *ratem, nec dona, nec arae deerunt* in patria mea, *veneranda effigies* te manet, *quam magnus* eadem amplitudine qua *Enipeus*, Theſſaliae, *et quantum pater Inachus*, totius Graeciae celeberrimus fluuius *iacet antro*

aurato. Antra omnino Diis marinis adſignantur. Ovid. Metam. 2, 268. *Ipſum quoque Nerea ſama eſt Doridaque et natas tepidis latuiſſe ſub antris.* Ceterum auratum antrum nimis liberale, niſi de monimento fluuii ad ripas exſtructo intellegere velis, in quo fluuiatilis Deus vrnae nixus ad limen antri ornati recumbens conſpiceretur.

211. *Dixerat, atque illi* (παρέλκει, vt ſaepe Dativi pronominum, vel potius redundare tantum videtur; h. l. ſubeſt haec notio: ita felix fuit, contigit ei, vt cet.) *ſine dextra* magiſtri, ſponte, non dirigente gubernatore *protenus in proram rediit ratis os pontumque tuens,* conuertit ſe, vt prora ad Phaſidis oſtia et mare ſpectaret, *omine certo,* quod Iaſoni certum laetumque omen erat, fore, vt aliquando reueheretur, *vt promittis, vtque vocas, reuehamur.*

216. *Arma,* ſi forte adcolae hoſtile quid moliantur, *iubet depromere ſocios* Iaſon, deinde *vinum, quod caſus firmet in omnes,* quo animum erigant obfirmentque adverſus omnem timorem; *rapta Ceres,* cibos citò parant, longoque ordine in viridi conſident ripa.

218. Iam vero, laboribus in mari ſuperatis, Iaſonem poeta in continenti pericula ſubiturum canere ſuſcipiens, in auxilium denuo vocat Muſam. *Incipe nunc alios cantus, Dea, viſaque vobis,* tibi et reliquis Muſis (hunc ſaltum a Singulari ad Pluralem faciunt et alii poetae. Virgil. Aen. 9, 525. *Vos,* a Calliope, *precor, adſpirate canenti.* cf. infra 6, 34. conl. 41.) *Theſſalici da,* memora *bella ducis.* — 220. *Ventum ad furias,* inſanos amores, *infandaque,* nefanda *foedera natae,* aduerſus patrem conſpirantis, *et horrenda trepidam ſub virgine puppim,* cohorreſcentem ad ingreſſum virginis veneficae, quam ſceleſtam ſi veheret, metuebat ipſa iram Deorum, vti Ionae prophetae comites. cf. Horat. Od. 3, 2. 26. *vetabo ſub iisdem ſit trabibus, fragilemque mecum ſoluat phaſelum.*

223. Ante vero, quam haec adgrediar, *infidi Soligenae,* perfidi Aeetae *doli aſtusque* narrandi ſunt, *falli* a Iaſone, *relinqui* a Medea *meriti.* — 225. *Inde canens,* altius repetens: *Phrixus ſenior iam ſata laborati aeui compleuerat* laborioſam et aerumnarum plenam vitam exegerat, mortuus erat ſenex *ab* (remotus ab, non ipſa in) *vrbe,* (melius tamen, quod vult Burmannus, *in vrbe,* vti Apollon. 2, 1151. γηραιὸς θάνε Φρίξος ἐν Αἰήταο δόμοισιν.) — 227. *Illius extremo ſub funere magno aries,* qui Phrixum et Hellen vexerat, *adparuit aſtro.* v. *Herrmann Handbuch*

der Mythol. Th. 3. S. 277 ff. — 229. *at vellera Martis in vmbra*, luco, *ipse Phrixus monimentum periculi reliquerat, ardenti quercum complexa metallo*, aureo splendore ex arbore suspensa. Metallum sic saepe ponunt simpliciter pro auro. v. Lucanum 9, 364. — 233. *Effigie vasta* — *ingenti voce.* Sic defunctorum manes specie maiores in somniis sistunt poetae. — 236. *oblata generum mox prole petisti*, filiam Chalciopen in matrimonium dedisti, ex quo adparet, Valerium non sequutum eorum sententiam, qui Phrixum ab Aeeta interfectum traderent. cf. ad 1, 44. — 237. *Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt*, magno numero grauesque inminent, *rapta quum vellera fuerint soporato luco*, dracone, luci custode, in somnum dato. — 239. Praeterea quae nunc *infernae Dianae* Hecatae *sacrata* sacerdos *Medea castos* (Hecates enim sacerdos debebat esse innupta virgo, Apollon. 3, 640. ἄμμι παρθενίη μέλει, vbi Brunckius in notis prouocat ad Callimachi Lavacr. Pall. 34.) *fert* ducit *choros*, *quemcumque procorum pacta* sponsa *petat*, sibi eligat, *maneat regnis ne virgo paternis*, extraneus, peregrinus illi sit sponsus, qui secum abducat, patriae, si maneat, si populari nubat, pestem. — 242. *Admouere* porrigere *manu fatalia terga*, vellus aureum *visus*, tum *falso* per insomnium tantum adparente *splendore fulgor ab auro*, aureus *per summa tecti* cubiculi *currebat laquearia*, lacunar (Täfelwerk). Eamdem imagunculam, sed elegantius expressam ad animum Medeae inconstantem adcommodat Apollon. 3, 756 sq. ex Apollonio Virgil. Aen. 8, 19. et Silius Ital. 7, 143. *Sicut aquae splendor, radiatus lampade solis, Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans Luminis, et tremula laquearia verberat vmbra.*

245. *Membra toris rapit* ille, subito se proripit lecto, *patriumque precatur Numen et Eoo surgentes litore currus*, Solem ex Oceano iam prodeuntem. *Haec tibi.* Varie tentant Heinsius et Burmannus. Cel. Iacobs in Misc. philol. p. 80. epitheton solis latere suspicatur, ideoque *lucide* suadet reponi, nec obesse putat statim sequens *omnituens*, poetas enim, praesertim in precibus, epitheta solere cumulare. — 247. *omnituens*, vox rarior, quam praeter Nostrum solus Lucretius habet, alii plerumque *cuncta videns* — *sparge tua lumina*, vndique circumspicias, *seu nostra manus*, ciues, *siue externa* peregrinorum *dolos molitur*, struit *opertos*, clandestinos. — 251. *Tu quoque*,

ſacrata rutilant cui vellera quercu, (in partes trahit Deum, cuius ipſius res maxime ageretur) *excubias, Gradive, tene*, age, *praeſentia luco arma tubaeque ſonent, vox et tua noctibus exſtet.* Burmannus *noctibus* explicat per *noctu*, et *exſtet* per *ſuperet*, ipſa arma nempe tubasque. Mihi vero *noctibus* cum Heinſio ſuſpectum videtur, locoque eius ſcripſerim *montibus exſtet*, expoſuerim autem: longe audiatur. Ceterum omnia Marti tumultuanti apta: arma — tubae — vox inmanis.

254. Vix ea dixerat, *quum anguis Caucaſeis montibus labſus, haud ſine mente Dei*, non forte, ſed a Deo inmisſus, *ſpiris refuſis*, diffuſis, in longum extenſis *inplicuit nemus, Graiumque procul reſpexit ad orbem.* Omen profecto malum!

257. Ergo omnes Aeetes *minas praedictaque*, praenuntiata a Phrixo pericula *prohibere*, arcere *inuigilat, plena necdum inuenta*, nondum viro matura *thalamis Albani regis adnuitur*, deſponſatur Medea. Albania hodie Schirwan.

261. *Territat vrbem ante monens ſemper Deus*. Dii omnino, nec de ſingulari aliquo Deo hic cogitandum, et *data ſeri ſigna mali.* Animo Valerii obuerſatus eſſe videtur Virgil. Aen. 5, 524. *ſera terrifici cecinerunt omina vates*, (vbi v. Heynium) ſed non eadem temporis ratio; nam proxime inſtabat malum a Iaſone; ergo *ſeri* eſt omnino *futuri*. v. Gronov. Obſſ. p. 115. — 262. *reddi iubet vellus exitiale ſacerdos*, et *Haemoniis terris* Theſſaliae *infauſtum mittere.* Quid diſcriminis *exitiale* inter et *infauſtum?* Fortaſſe *infauſtum* iungendum *Haemoniis terris* hoc ſenſu: Vbicumque hoc vellus eſt, exitium adfert; quo ſi liberemur, bene nobis! ſponte cedamus Theſſalis. — 264. *Contra Sole ſatus* rex Aeetes *negat*, nec *vulgi* ciuium *cura tyranno, dum ſua ſit modo tuta ſalus.* Digna tyranno oratio! — 266. Tunc *ordine regi proximus*, ſecundus a rege, *et frater materno ſanguine*, vterinus *Perſes* increpare virum; *ſequitur duce turba reperto*, ciues iam diu turbidi regique ſuo infeſti cupide ducem diu deſideratum ſequuti ſunt. — 270. Rex *praecipitat*, dispellit *patres*, Senatum, ipſum quoque *Perſea, talibus auſis ſpem ſibi iam rerum* imperii capeſſendi *vulgi leuitate ſerentem*. Spem ſibi ſerere — exquiſita, inuſitata aliis translatione, in qua tamen fere omnes conſentiunt codices; pauci praeferunt *ferentem*, quo tamen nihil admodum lucreris. Inuenta mihi bene metaphora videtur: ſemina quaſi iecit, e lon-

ginquo viam ſibi praemuniit ad imperium ſuo tempore ſibi vindicandum — *enſe petit*, fortaſſe *ferit* ob ſequentia *crudelia ſigna*, cf. 6, 75. *rapit inde fugam* celerrime fugit *Perſes*, *crudelia ſigna* vulnera *gerens* oſtentans, *omnemque quatit*, excitat *rumoribus Arcton*. — 274. *magnis cum millibus*, quidni *multis?* Et hoc ſingulare, ferri tamen poteſt, ſi memineris, numeros et quantitates et alias permutari. Quoties obcurrit *ingens pecunia* pro *multa?* (cf. Propert. 1, 5. 10. *at tibi curarum millia quanta dabit* cet. v. omnino Ouwens noctes Haganas p. 498.) — 275. *prima proelia fruſtratus*, primus in vrbem inpetus quum male ceſſiſſet, *Marte remiſſo*, per inducias iſtas *debitus*, fatis deſtinatus *Aeaeis* Iaſon *adpulit oris*.

279. Iam nox ingruit, quod non noua quidem effert ratione poeta, ſed iucunda et apta iis, quae ſequuntur. Nempe *nox hominum duros labores miſerata* cf. 7, 142. *retulerat feſſis optata ſilentia* et quietem, non item *Iunoni* et *ſummi Iovis virgini* filiae Palladi, quae ambae intima ſecum conſilia et ſolicitudines *ſociabant*. — 283. *Virgo prior: Cernis*, bis ſumendum: cernis *Colchos*, cernis *proelia*, quo bello nunc ii premantur; *quibus addimur armis?* vtri parti adcedemus, vtram fouebimus? — 287. Cui Iuno: *dimitte metus*, *ne proelia forte hinc tibi grata negem*, noli timere, ne disſuadeam bella, quibus tantopere delectaris, occaſionemque tibi praereptam velim virtutis bellicae etiam hic exſerendae; immo vero *manet ingens aegida* tuam, *manet* meos *iam ſudor equos*. (cf. Horat. Od. 1, 15, 9. 10. *Eheu*, *quantus equis*, *quantus adeſt viris ſudor!*) De curru Iunonis vide ſupra 184. — 289. *ſtat pectore fixum Aeetae ſociare manus*, ſcio perfida quidem eius corda, ſed tum alia *orſa* conſilia mouebo. — 293. *ſint*, *precor*, *haec*, ita vero facias, ait Pallas, *tua namque mihi comitanda poteſtas*, tibi Deae maiori atque potentiori obſequendum, *liceat vt* dummodo liceat *Graecis reddere terris Aeſonium caput* Iaſonem, et puppim, quam ipſae ſtruximus, *iactatam* per maria *tandem coelo noſtro componere*. Hoc vltimum bene delectum, obpoſitum quippe *iactatae* naui.

297. *Talia tunc ſuperi* Deae *pro laude hominum* vt Argonautis rerum glorioſe gerendarum campum aperirent, *mouebant* animo. Longe alia Argonautarum fuit conditio, quibus *triſtior numquam tantoque metu nox egeſta* (cf. 8, 453. vbi *querelis egeritur dies*) traducta. — 301. *Cuncta*

adhuc ambigua et pendentia dubia rerum ſumma. (cf. ſupra v. 19. *cardo rerum ſummus*, quod idem eſt.) — 303. Praecipue Aeſoniden *incerta mens varios per aeſtus rapit vndantem* fluctuantem *curis.* Copia verborum idem prope ſignificantium locus laborat: *incerta* — *aeſtus* — *vndans* — *ac multa nouantem*, inconſtantem, vix conſilium ceperat, quum aliud in mentem veniret. — 305. Qualiter quum Iupiter *Pliadas mouens*, Pluuius ac Fulgerator, *coruſcat*, fulgurat, *mixtumque ſonoribus* tonitrus *imbrem*, *horriferamue niuem* grandinem *canis* albeſcentibus, ſpumantibus, *vbi tollitur omnis campus aquis*, *aut ſanguinei magna oſtia belli*, ſc. mouens, quod ex antecedentibus repetendum, *aut altos duris fatorum gentibus ortus* (mouens). Haec ego, fateor, non exputo. Vir doctus, Iortinus in Miſcell. Obſſ. T. 4. p. 174. hunc verſiculum noſtrum ſpurium (quod vix crediderim, nam *aut* v. 308. requirit aliud *aut*) vel loco ſuo motum eſſe putat. (Vbique quaeſiui, nec tamen inueni locum, vbi aptari commode poſſit.) Burmannus *altos* interpretatur reconditos, profundos, altius repetitos. (Quod neſcio, an altius repetitum et contortum poſſit videri.) Pius iam olim inueniſſe narrat in quibusdam libris *alios*, i. e. diuerſos ab ordine cauſarum ſolitarum. Quam explicationem vti meam nolim facere, ita *alios* tamen adridet, qua lux aliqua tenebricoſo loco inferri poſſe videtur; aliqua, inquam, nam plura ſunt, in quibus caecutiam. *Ortus fatorum* ſubobſcure dicti, et *duris gentibus* quid faciam, neſcio. Duras gentes noui quidem eſſe, quibus natura non fauet, vitae neceſſitates non niſi magno labore ſibi parantes, aetatem miſere trahentes; quae tamen omnia huc non quadrant. In mentem igitur venit, ita verſum conſtituere: *aut* (mouens) *alios duros fatorum gentibus ortus*, hac ſententia: Qualiter Iupiter fulgura, imbres, grandinem cet. aut cruenta bella inmittit, aut *alias duras* (plures editiones habent *diris*, ergo *diras*, quod melius eſſet) calamitates oriri gentibus iubet. Totus locus is eſt, cui Valerius, ſi per aetatem licuiſſet, vti aliam omnino formam atque colorem daturus, ita comparationem Iaſonis cum Ioue, egregiam illam quidem et ornatam, hic tamen non ſatis aptam atque congruam fuiſſet animaduerſurus. Quid enim? Vti Iupiter tonat, fulgurat, bella atque calamitates inmittit, ſic Iaſon — curis agitatur; quae, quaeſo, in his eſt ſimilitudo? Sed redeo in viam. — 310. *Sic tum diuerſis hinc atque hinc*

molibus (non motibus, vti volunt nonnulli, quod facilius quidem, ſed minus poeticum eſſet) pondere curarum *anceps pectora dux crebro gemitu*, quem non infra dignitatem heroum eſſe veteres exiſtimarunt, (vide Homer. Il. 21, 272 ſq.) *quatit*, *optat et almum*, ſollemni epitheto, iucundum, beneficum *iam iubar*, ſolis ortum, *et certi tandem discriminis horas*, quibus, quid vel exſpectandum ſibi, vel timendum eſſet, cognoſceret. — 313. *Tunc ad ora virum* (ad viros) *defixa ſolo coetuque ſilenti intenta* conuerſus, *quod veterum*, inquit, *horruit aetas*, quod, qui ante nos vixerunt, auſi non ſunt, id nos perfecimus, *adſumus en, tantumque fretis enauimus orbem*, tantam per tot maria emenſi ſumus viam. — 317. *Nec pelagi nos mille viae feſellerunt*, pericula experti ſumus maris nobis praenuntiata, *nec ſama feſellit*, verum eſſe deprehendimus, Aeeten his in terris regnare, qui velleris aurei dominus eſt. — 319. *Ergo vbi lux altum ſparget mare*, (Virgilii Aen. 4, 584. *et iam prima nouo ſpargebat lumine terras.* Homerus Il. 8, 1. 24, 695. et alibi: ἠὼς ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν) petenda nobis vrbs eſt. — 321. Adnuet rex *ipſe*, ſponte, quae petimus, *reor*, ſpero, *neque inexorabile*, quod precibus concedere nequeat noſtris, (*exorabile carmen* eſt 1, 783.) *ſin vero*, (poſteriori ſyllaba conrepta, non ſine exemplo, rectius *forte*) *reſpuerit*, abnuerit, *iam nunc animos firmate*, *quaque via*, modo atque ratione ad patriam vellera referamus — *ſtet procul et abſit*, (tautologia, quam tamen et Ovidius habet Amor. 3, 14.) *in rebus arctis*, periculo premente *pudor*, reuerentia; neceſſitas enim caret lege. — 326. *Tum forte petit*, legit *nouem e ſociis*, qui in vrbem comitentur, et via proxima per Circes campum ad regem omnes contendunt.

Iam vero peruenimus ad eum carminis noſtri locum, vbi Medea partes agere praecipuas incipit. Haud dubie vero hac maxime in parte feliciter elaboraſſe poeta cenſendus eſt, tam veris viuidisque coloribus muliebre depinxit ingenium, ita ad naturam adcommodate exponit, quam vim habeant ſenſus, quibus nimis indulſerimus, pugnam virtutem inter et cupidinem, et quo delabi femina, ſemel amabili illa ſimplicitate vitaeque innocentia depoſita, ſemel exſuto pudore, poſſit.

330. Medea igitur *forte Deum variis per noctem monſtris*, ſomniis, quae Dii ipſi inmiſerant, terribilibus agitata, *rapta toris* lecto ſe proripuit *ad primi Phoebi*, primae

aurorae *iubar placabile*, (uam tristia somnia procurasse veteres eo inuenimus, vt Soli ea narrarent et auerruncanda committerent. v. Euripidem Iphig. in Tauris 42. 43. Sophoclem Electra 451. Virgil. Aen. 8, 68.) et *ad flumina horrendas noctes*, noctis terriculamenta *lustrantia* abluentia, auferentia *ibat*. — 334. Somnia ipsa narrantur, et ita quidem, vt, quae Medeam fata manerent, eo deinceps ordine praenuntientur, quem poeta sibi in carmine sequi proposuerat, morte tamen praeuentus exsequi omnem non potuit. — 336. *Visa pauens Hecates castis excedere lucis*, Hecates sacerdotium ponere, eoque virginitati renuntiare, *piique patris ora petere*, a cuius tamen amplexibus prohibet *pontus arduus* circumfusus; *frater* (Absyrtus) *insequitur*, *ipsa pueros*, e Iasone susceptos, (cf. infra 456 sq.) nihil eorum lacrymis mota, interficit. — 340. *seque trementum spargere* defendi potest, magis tamen placet Wakefield ad Lucret. 3, 298. *seque, tremendum! spargere* cet. — *mox tamen lumina rumpit fletu*, flet ipsa. Sic ῥῆξαι οἰμωγὴν ap. Philostratum Icon. 2, 9.

342. *His minis turbata* Phasidem petit *aequali* eiusdem aetatis *Scythidum* virginum *comitante caterua*, qualis *Proserpina choros ducit per florea iuga verni Hymetti*, in monte Attico, verno tempore quum maxime viridi, amoeno, *aut Sicula sub rupe* Henna, vbi olim rapta erat, *hinc*, in Attica, *Pallados*, *hinc*, in Sicilia, *Dianae carae gressibus iuncta*, *altior*, procerior, *ac nulla comitum certante*, *prius quam* a Plutone rapta *palluit*, *et viso pulsus decor omnis Auerno*, pallorem traxit apud inferos, vbi omnia pallent. — 349. Talis et *in vittis*, vittis ornata, *geminae cum lumine taedae*, duabus facibus, quibus vel ad lustrationem vti vellet, in qua ignem etiam et sulphur adhibere solebant, vel in honorem Hecates, quam eamdem fuisse cum Diana norunt omnes. Vti vero Dianae, quatenus inter superos venatrix versatur, faces praeferunt Nymphae, (v. infra 380.) et ipsa vtraque manu facem ferens sistitur in numis, (qualem adtulit Spanhem. ad Callimachum p. 169.) ita eidem, quatenus est inferorum Dea, Medea sacerdos faces praetulisse putauerim; — talis igitur Colchis erat, *nondum miseros exosa parentes*, dum pietatem in parentes nondum deposuisset.

351. *Vt prima*, vt primum *ab extremi fluminis vndis*, a portu, in quem fluuius descendit, ab ostiis *tacito*, lento, timidiusculo *passu procedere* videt viros, *substitit*, *et moesto*

nutricem adfata timore. En virginalis anxietas, quae timet, vbi nihil timendum! *quae manus* (timor auget numerum; non nisi decem erant) *certo ceu me petat agmine*, me, me quaerunt fortasse rapturi piratae, *mater*, mollius pro nutrix! *aduenit haud armis, haud vnquam cognita cultu*, habitu armisque, qualia numquam videre memini. Locum igitur tutum circumspiciamus.

357. *Audit grandaeua custos virginei pudoris Henioche, cultus cui primi aeui*, iuuentutis cultura, educatio, cura tradita. Noli timere, *externo iam flammea murice cerno tegmina*, purpureas vestes lucidissimi, vigentis coloris, *iam vittas frondemque inbellis*, pacem praeferentis petentisque *oliuae*, cf. 3, 424. *Graius adest*, Graeci sunt, quos vides, *Graio sic cuncta simillima Phrixo*, quem olim cognouerat.

362. Iuno contra Iasonem suum, vti Venus Aeneam Virgil. Aen. 1, 589. *cuius robur longissima cura magnique edere* consumserant, debilitarant saltem *labores, male noua*, amplitudine, dignitate, et *roseae* florentis *perfudit luce iuventae*. Iam reliquos pulcritudine insignes Argonautas, *Talaum. Ampyciden* Mopsum, *astroque comantes*, quo vel ad sidereum os 4, 190. (cf. Spanhem. ad Callimach. p. 630 sq.) vel ad flammulam capiti a Iove additam 1, 569-572. respicitur, *Tyndaridas*, Castorem et Pollucem, *ipse* Iason *egregio supereminet ore*. — 369. *Non secus auctumno*, cuius initium ad Sirii ortum referebant veteres, (vide Varronem de R. R. 1, 28. *auctumni* canis infra 6, 607.) *quam quum magis asperat*, auget *ignes* Solis *Sirius, et quum nox adcenditur* inlustratur *saeuo auro*, mala portendente splendore, *luciferas crinita faces* Graeco more, lucidos radios crinium instar emittens Cometes, (fundus Sirii est apud Homerum Il. 22, 26-30. Cometae iam iunxerat Virgil. Aen. 10, 272. vbi v. Heynium, iunxit iterum Noster 6, 607. 608.) — 371. *hebet*, minus splendet, obscuratur *Arcas* Bootes et *ingens Iupiter*, sidus Iovis, *ast illum tanto gliscere coelo* ardorem magis magisque intendere *nollet ager*, nec *vellent calidis iam fontibus amnes*. Et haec comparatio nimis quaesita.

374. *Regina*, regia virgo Medea, quamquam *pauebat*, (hoc auget poeta: *pavor — adtonito ore — silentem — exanimat*) *mirata tamen, paullumque reductis passibus insolito stupuit duce.* (Haud inepte Friesemannus: *insolito stupet in duce.*)

376. Nec minus Iaſon haeret in vna defixus. — 380. Dianam, ſi Dea es, conſpicere mihi videor, *Dianae has ego credo faces*, (v. ſupra 349. et Virgil. Aen. 1, 327 ſq.) *renodatam pharetris* disſoluta ab humeris pharetra, *remiſſo arcu, ac pace fruentem*, a venatu otiantem, *ad ſua Caucaſeae producunt*, longo ordine deducunt, comitantur *Nymphae*. — 383. *Si domus in terris*, ſi mortalis es, *felix prole parens, multoque* adhuc *felicior olim ille, qui tulerit* vxorem te ducere cui continget, *longis*, quod precor, *et te ſibi iunxerit annis*. — 386. *Sed fer opem, regina*, peregre huc adſumus, *Graecorum proceres*, aditum nobis pares ad huius terrae regem, *ac tu prima doce fandi tempusque* obportunum, *modumque* ordinem legemque in his terris regem ſalutandi vſitatam. — 390. *Nam mihi Deus te dedit*, Deo, quicumque ille ſit, adceptum refero, quod te habeam obuiam, *in te animos*, ſpem atque fiduciam, *ſed et omnia noſtra repono*, tibi me meaque omnia committo.

392. Dixit, et ſtetit *operiens trepidam*, timidiusculam, non habentem, quid illico reſponderet. *Illa ſic orſa viciſſim*, et ita quidem reſpondet, vt breuiter et vrbaniſſime et amabili cum ſimplicitate, quid Iaſoni agendum ſit, enuntiet. *Quem petis Aeeten, genitor meus*. Ad quaeſtionem Iaſonis, quae ipſa eſſet, Dea an regina, non recta reſpondet, ſed modeſtius patrem nominat — *ipſaque iuxta* in propinquo ſunt *moenia, ſi biuios poſſis discernere calles*, et hoc officioſum: breuiſſimam monſtrat viam, non tamen ſe comitem obfert, ipſam (vti nec Nauſicaa apud Homerum Odyſſ. 7, 260. Vlyſſem comitatur) ſed pedisſequam addit, ſolicita, ne via breuiori aberret, et in caſtra hoſtilia incidat. — 398. Ipſa vero ad Phaſidem pergit, *terrificaeque Nocti* Hecatae ad auertenda mala ſomnii omina *ſubplex ſacra mouet*, facit, (cf. 3, 232. 540.) *ſed inrita*, euentum ſperatum non habitura.

400. Iaſon *famula duce vrguet iter, ſed aere ſeptus*, nebula tenui v. 466. inuolutus *a Iunone*, (cf. Virgil. Aen. 1, 410.) *ne prior Aeetae nuntius adſit*. Iamque erat in media vrbe, *quum comes ita:* — 404. *Phoebi genitoris*, quem rex noſter patrem veneratur *ad aras*, templum *ventum*, huc iam ſe de more *paternis adytis*, interioribus templi penetralibus v. 455. *rex feret, hic proceres audit*, ſenatum habet, *populosque precantes adloquii facilis* (*praeſens pater admonet*) *aequi*. Sic vulgata, quae tamen non ſatis placet. Obfendunt in primis duo Adiectiva *facilis* —

aequi ſine copula τῷ *adloquii* iuncta. Cui incommodo medelam adferri poſſe putem, ſi parentheſin poſt *aequi* demum claudas, hoc ſenſu: rex audit ciues precantes placido ore, facilis ad concedendum, quod petitur, *nam praeſens pater* ſol omnituens v. 248. *admonet aequi*, iuſtitiae aequitatisque rationem habere. Si quis tamen ita velit: *Adloquii aequi facilis*, i. e. adloquium ad aequum, niſi iniuſti quid poſtulent ciues, facilis; non admodum refragantem me habebit, immo facilem, aequum.

408. Iaſon igitur cum comitibus properat ad iſtud templum *non aliter*, non minori cum veneratione, quam ſi Solem ipſum adirent, *veraſque* ipſas *aeterni luminis arces*, palatium, quod pulcerrime deſcribit Ovid. Metam. 2. ab initio. *Tale iubar per tecta micat; ſtat ferreus Atlas* in atrio? Apollon. 3, 215. ἐν προμολαῖς, quem omnino magnificentiam aulae Solis, aliter tamen, pingentem conferas velim. De toto loco Heynius Exc. 15. ad Virgilii Aen. 1. conſulatur, qui v. 411. in *faſtigio* templi, v. 417-465. in *foribus* expreſſas hiſtorias apud Colchos fuiſſe exiſtimat, addito tamen hoc iudicio: "Sapienter quidem hoc Valerius, ſed idem in operis ſumma infelix; non enim adparet, quorſum iſta deſcriptio anaglyphi inſerta ſit." Ceterum non in valuis tantum templorum, ſed in clypeis etiam, poculis, veſtibus cet. res a maioribus geſtas fuiſſe expreſſas, notum eſt. — 411. *Stat* igitur *ferreus*, firmus, inuicto robore *Atlas Oceano*, *genibusque tumens infringitur vnda*, fluctus franguntur ad genua, adluunt ea. — 413. *At medii per terga ſenis*, ſupra caput *rapit* concito curſu *ipſe* Sol *nitentes*, pulcros *equos*, *curuo diem ſubtexit* expandit *Olympo*. (Deſumtum ex Virgil. Aen. 3, 582. *coelum ſubtexere fumo*, vbi Heynius *ſubtexere* explicat *ſubfundere*.) — 415. *Pone*, paullo inferius, *rota breuiore* curru, arctiori ſpatio decurrente *ſoror* Diana, Luna, *denſaeque* condenſatae in globum, (v. ſupra 46.) *Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes*. Longe melius aptiusque, quod ſuadet Heinſius, *imbres*.

417. *Nec minus hic* (mel. cum Heinſio *hinc*) *varia dux laetus imagine* in varias areolas diſtincta *templi ad geminas fert ora fores*, valuas bifores, *cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens*, fata iſtius regionis ex vltima aetate repetita, nempe *vt* I. *prima Seſoſtris*, (cf. Apollon. 4, 272-281.) famoſus ille rex Aegypti, totius fere tum cogniti terrarum orbis expugnator, *intulerit bella Getis*, *vt clade*

suorum territus post cladem a Scythis adceptam, (in quo Valerius sequutus est Herodotum 2, 10. et alios post hunc, v. c. Iustinum 2, 3. cf. omnino Bochartum Phaleg 4, 31. et Gesner. ad Orphea 751.) *hos* milites suos a clade superstites partim *Thebas* Aegyptiacas *patriumque reducat ad amnem* Nilum, *hos* partim *Phasidis inponat agris* colonos, *Colchosque vocari imperet; illi*, cum rege in patrium regressi *Arsinoen* petunt. Huius nominis vrbem in Aegypto Argonautarum aetate nondum exstitisse, manifestum est. Quo factum, vt, qui notis inlustrarunt Valerium, varia excogitarent atque substituerent nomina, quae huic loco aptiora viderentur; Heinsius: *ast Meroen illi;* Burmannus *at Siron*, quo nomine Nilus aliquando obcurrit. Quibus adde Wesselingium Probabb. p. 66. qui *at Sirbonem* lacum, Aegypti versus Palaestinam terminum, mauult. Ego vero nil muto. Anachronismi, vti aliis poetis, v. c. Virgilio Aen. 6, 366. *portus Velini*, sic et Nostro condonandi, nec sola haec est, quam sibi indulsit, temporum anticipatio, sed, vt alias taceam, infra 7, 118. vbi de eadem Aegypto sermo est, *Lagea naualia* commemorat, quae ad Alexandri M. tempora referenda. — *Illi* igitur *Arsinoen tepidaeque requirunt otia laeta Phari* insulae, *pinguemque sine imbribus annum* vberem messem sine pluuiis, quae rariores in Aegypto sunt. — 425. *Et* (melius, ni fallor, *hi*, vt obponantur praecedentibus *illis*) *iam Sarmaticis bracis* femoralibus *permutant carbasa*, tenues, linteas vestes. Alia tamen in mentem venit ratio textus, qui sic non satis placet, interpungendi. Fortasse Valerius scripserat: *Et iam Sarmaticis permutat carbasa bracis barbarus*, ita vt *barbarus* non ad sequentem *Phasin*, vti vulgata habet, pertineat, sed praecedentem Aegyptium. Sed video, Pium iam olim et Maserium et Bononiensem idem voluisse, ideoque recepi. Ceterum Colchos a conditoribus Aegyptiis lini conficiendi artem didicisse, et in peregrinas terras euexisse tradunt, Herodotus 2, 104. et Strabo 11; 762.

426. II. *Phasis* Deus fluuiatilis *Aean* virginem regiam, quae vrbi Aeae nomen dedit, *in patriis montibus* venantem, *sectatur amore furens: pauidas* (ipsa pauida) *iacit illa pharetras, iam deficit* currendo lassa, *ac volucri vnda* celeri suo flumine *victam Deus adligat*, amplectitur.

430. Sequitur area tertia. III. *Flebant populeae* in arbores populos (alii alnos) mutatae *Phaethonta sorores, ater et globus* corpus ambusti Phaethontis conglobatum *in*

amnem Eridani trepidum tanto commotum pondere *ibat*, decidebat; *At iuga vix Tethys*, Dea marina, *ſparſumque reconligit axem* partes currus diffractas, vix reconligit, mulcendo mitigat *Pyroenta*, Solis equum (vnus pro quatuor poſitus) *formidantem patrios dolores*, iram ob amiſſum filium conceptam.

434. IV. *Aurea quin etiam praeſaga Mulciber* Vulcanus, artifex *arte vellera venturosque olim* poſtero tempore *caelarat Achivos. Texitur*, conſtruitur *pinus Pagaſea*, Theſſalica. — 436. *Eadem Dea* Pallas *remos flectit et habenas* (vela?) *ipſa ſubit* operas, labores, *nudaque vocat agmina dextra.* — 439. *Exoritur Notus* ſecundus, fauens, *et toto ratis vna* (nam prima erat) *profundo cernitur. Odryſio* Orphei *carmine gaudebant*, adrectis auribus ludebant circa nauem *phòcae*, delphines et aliae marinae belluae. — 441. *Adparent trepidi Colchi clamantemque parentem procul linquens regina*, filia regis. Has imagunculas per plures areolas diſperſas fuiſſe, manifeſtum eſt.

443. V. *Vrbs erat hic contra*, e regione (Pendant) *geminò circumflua ponto*, bimaris Corinthus, vbi ſecundas cum Creuſa nuptias celebrauit, *ludus vbi et cantus*, laeta omnia, *taedaeque in nocte iugales*, ſponſa in thalamum deducta, *regalique toro laetus gener* Iaſon, quod ei Creon, Corinthi rex, filiam conlocaſſet; *ille priorem* coniugem Medeam *deſerit*, et *vltrices ſpectant a culmine* triclinii, lacunaris *Dirae*, Eumenides. — 447. *Deficit*, animi deliquium patitur *coniux* Medea *turbata*, proturbata, thalamo ſibi debito eiecta *a pellice*, et, poſtquam *omnes ſecum* tacite *dequeſta*, vehementer queſta erat *labores*, pro Iaſone ſusceptos, aerumnas, *pallam*, veſtem talarem, et *gemmiferae donum exitiale coronae parat*, (Eurip. Medea 949. πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον) — *et iam rutilis conrepta venenis* Creuſa *implicat igne domos*, non ipſa tantum, ſed pater etiam et totum palatium conflagrat. Valerius eos ſequitur, qui peruncta fuiſſe illa dona tradunt naphtha, quae, ſimulac ſole vel alio igne tangitur, ignem ſtatim concipit.

452. *Haec tum* iam olim *miracula*, mira atque portentoſa *ſtruxerat* caelauerat *Colchis ignipotens* Vulcanus, *nondum* illo tempore *noſcentibus, quis labor*, quid haec tam dira ſibi vellent, *quae* femina eſſet, *aligeris anguibus auras ſecans*, quod Medeam feciſſe mythologi narrant, *caede madens* filiorum e Iaſone conceptorum; *odere tamen, viſúsque reflectunt*, auertunt, non ſine horrore adſpiciunt.

456. *Quin idem Minyas operum defixerat error*, obſcuritas adtraxerat, quum rex *penetralia* intraret, cum eo filius *Abſyrtus*, primis in annis, florens iuuenis *dignus auo* Sole, *quemque inſontem meliora manerent*. meliori ſorte dignus, quam quae ei poſtea temporis obtigit. — 460. *tum gener Stirus, Albanis qui aduenerat oris*, filius regis Albanorum, nuptias cum Medea acturus, *distulerant ſed bella toros*, nuptias. — 461. *tum Phrontis* et *Argus Aeolidae, fraterque Melas et Cytiſorus, filii Phrixi* e Chalciope ſuscepti, ad Aeolum genus referentes. vide Tab. genealog. I. — 464. *poſt alii, quos Titania tellus*, Soli dicata, Colchis *praecipuo honore patres*, ſenatores *legerat, motique*, excitati ad inſtantia proelia *reges*, duces.

466. *Admonet hic ſocios, nebulamque* (noli mutare in *nebula*, nam et alia eiusmodi verba, *exire*, *excedere* cet. et quartum et ſextum adſciſcunt caſum) *erumpit, ſideris ora ferens*, pulcritudine inſignis, *noua lux obfuſa Cytaeis*, Colchis, in templo Solis congregatis, nouus tamen ſplendor adceſſiſſe videtur. (audacius dictum!) *Conueniunt, rogitant*, iterum iterumque exquirunt. — 469. *poſtquam primis dictis inhiantia agmina*, cupide exſpectantia, quid Iaſon dicturus eſſet, *propius tulit tyranno miranti orſa.* Sic ordines, velim, verba, hoc ſenſu: propius adcedens haec verba facit ad regem, audax facinus mirantem.

472 — 519. Oratio ipſa Iaſonis modeſtiam miſcet grauitati. *Rex Hyperionide*, fili Solis, quem ipſi *coelicolae* Dii dignum habuere, ad quem tot *per freta primam mitterent nauem, ſi Phrixus* gener nuper tuus, *noſtro ſatus orbe*, popularis noſter, de Theſſalis Graecisve tibi narrauit, en tales adſumus. Ipſe egomet cognatus Phrixi; *ambobus Cretheus et Aeolus auctor:* (de Aeolo recte, de Cretheo non item, quod non tam iactantiae Iaſonis ipſius, quam librariorum incuriae tribuendum. Valerio ſuum ſibi reſtituiſſe videtur Burmannus ita: *Nempe mihi Cretheus, ambobus at Aeolus auctor.*) — 479. *Neptunoque.* Hic vero remotior eſt, Aeſonis nempe, patris Iaſonis, quodammodo vitricus. *Salmonis Nympha* eſt Tyro, Salmonei filia, mater Peliae. Pindarus Pyth. 4, 242. vbi Pelias Τυροῦς ἐρασιπλοκάμου γενεά. vide Tabb. geneal. Omnino poetae, vbi formoſiſſimas antiquitatis feminas enumerant, haud facile eam omittunt. Vide v. c. Ovidium Heroid. 19, 131. et Propertium 2, 21, 51. — 480. *nec enſes, nec arae paternae*, non timor patris, qui me, vt Phrixum Athamas, ad aras vellet

iugulare, *nec tua nomina*, famam, quamquam Graecis notiſſimam, *ſequor ſponte;* nam quis *non iuſſus*, niſi alius imperio coactus, *tot monſtra*, pericula *maris, Cyaneosque intrare fragores* audeat? — 484. *Immo Pelias*, *ſceptra tui tuto ſub numine* (ſic poſui cum Dorvillio ad Charitonem p. 573. ed. Lipſ. pro *nomine*) *Phoebi maxima ſorte tenens*, cui omnium, quotquot a ſole inluſtrantur, ampliſſimum contigit regnum, cuius imperio parent *tot creantia Divos oppida*, tot Deorum incunabula, *tot vigili pulcerrima flumina cornu:* (Cornua fluminum pro fluminibus ipſis, ſed cur *vigil?* Quod ſi ſenſum habet, non alius is eſſe poteſt, quam quem Clar. Lenzius excogitauit: aquam viuam et perennem habentia. Poſſis tamen etiam cum Heinſio reponere *viridi*, ſyluis et pratis cincto.) — 487. *Ille meum imperiis vrguet caput*, vitae periculis me exponit, *ſuus vt magnum rex ſpargit*, modo in hanc, modo in illam terram mittit *Herculem Sthenelo ſatus* Euryſtheus. — 489. Tamen *aſpera* vterque *perpetimur iuga*, *nec melior parere recuſo*, nec ego me meliorem Hercule puto, cui ipſius Iovis filio ſi talia perpetienda fuerint, cur ego recuſem? — 491. Hic igitur Pelias *auratae pecudis exuuias* Aeoliae pecudis aurum 7, 54. perferre iubet. Haud timeo, me diſpliciturum tibi, qui haec Peliae iuſſa exſequenda ſuſceperim, immo *tibi gratia noſtri ſit*, *precor*, *meritique locus*, gratiam ſpero habebis mihi, et in merito pones, *quod te alium*, *quam quem Pelias ſperatque cupitque*, *promiſi*, non tam inmitem, quam ille te putat, credidi, *et meliora tuae mihi foedera dextrae*, te foedus amicitiae mecum initurum. — 496. *Si petere hoc ſaeui ſtatuiſſem ſanguine belli*, vi et armis, *Oſſa Pindusque*, Theſſaliae montes, *naues dabant quotque* milites *ante ſequuti reges* duces *nec audacem Bacchum* (audax Liber Horat. Od. 1, 12.) *nec Perſea plures*, quam me. — 499. *Sed me nuda fides*, fiducia tui, *ſanctique potentia iuſti*, perſuaſio, tantum apud te valiturum iuſtitiae atque aequitatis amorem, *et medii ſociatrix gratia Phrixi*, memoriam Phrixi conciliaturam tuam mihi amicitiam, filiique eius, *tui nepotes* ex eadem mecum ſtirpe orti. — 502. Nec tamen *aut Phrygios reges*, *aut Bebryciae arua ſpernendus* non ſine laude *adii*, *ſeu fraude quis petiuit*, vt Amycus, *ſeu honore*, vt Phineus et Lycus *meos*, me comitesque, *ſua* cuique *reddita dona* (vox h. l. ambigua) pro merito quemque tractaui, *Deumque nos genus* (magnos Deum natos 1, 1.) *atque ratem ſenſere*

Minervae. — 506. *Vix tandem*, multis exantlatis laboribus, diu exoptatam Colchida adtigimus, *qualemque dabat te fama, videmus.* — 509. Poſſem equidem dicere, non aliena me petere, quum aureum vellus terris noſtris, vnde ad vos peruenit, debeatur, malo tamen precibus vti, *atque ea crede Phrixo dari.* — 512. Tandem haud leue pondus orationi addit — *munera. Munera victum per aequor* in tot periculis maris vix ſeruata *adcipe: Taenarii*, Laconici *chlamydem*, paludamentum *de ſanguine aheni*, purpura tinctam, *frenaque et adcinctum* distinctum *gemmis enſem.* (Acute Clar. Iacobs in Miſcell. philol. p. 81. *adcenſum* i. e. ſplendentem.) *Hoc*, hic enſis (δεικτικῶς) *patrium decus, haec* (chlamys) *materni texta laboris, his* (frenis) *Lapithes adſuerat* vſus eſt *eques.* — 516. *Da iungere dextram*, pignus amicitiae, *da Scythicas ſociare domos* (3, 14. manibus datis iunxere penates) foedus hoſpitii mutui ineamus; *ſciat effera regis ira mei*, audiat Pelias meus, *quem*, quam mitem atque placidum *te Caucaſus in axe horrifero* ſub coelo frigido *ſortitus*, atque *tuis quantum miteſcat habenis*, quantum proficiant te imperante in animorum cultura ciues.

520. *Talibus orantem vultu grauis ille minaci iam dudum premit.* Sic ſcripſi pro *fremit.* Idem ſenſerat Heinſius, eam ob cauſam, quod paullo poſt idem *fremit* ſequatur. Recte; ſed plura ſunt, quae eliminandam eam vocem iubeant. Et primo quidem non video, quomodo *fremere* poſſit Adcuſativo perſonae ſumma ſine duritie addi; deinde nondum iam iram exſerit Aeetes, quod repugnaret ſtatim ſequentibus *furtis opertis* et comparationi *ab vnda ſilente* deſumtae; denique omnia, quae deinceps narrantur, *ſecum* agit Aeetes, nam v. 535. demum Iaſoni reſpondet. *Talibus dictis orantem vultu grauis ille minaci* ad ſeueritatem compoſito et auſtero *premit*, territat, *et furiis igneſcit opertis*, ardet animus ira, quam tamen comprimit, diſſimilat; *ceu tumet atque imo ſub gurgite concipit auſtros vnda ſilens*, fluuius alias lenis ſubterraneis ventis in fluctus adtollitur, *trahit ex alto* imo *pectore ſic barbaras iras;* — 523. *Et nunc* (ob, propter) *auſa viri, nunc ſua prodita Graecis regna fremit*, ira aeſtuat; *facili ſibi mente*, tam amice, beneuole olim *exceptum Phrixum dolet, et Scythiae periiſſe timores*, contemni, nihili nunc haberi Scythiam, gentibus olim timendam. — 527. *Nunc quaſſat*, concutit *caput, ac iuuenis ſpes ridet* tacite ſecum *inanes, quod vel-*

lera poſcat ab angue, a dracone, tam diro cuſtode. — 529. *Vrit*, angit et *antiquae memorem vox praeſcia ſortis*, oraculum, cuius memor iam videre ſibi videbatur, *cur Fortuna ſimul*, vno eodemque tempore *hinc Perſen, hinc Theſſalicam ratem moueret*, contra ſe excitaret, *num debitus finis*, fatum ſibi deſtinatum *haec agat, ſaeuaeque petant iam vellera Parcae.*

533. *Interea, quoniam belli cura prior*, potior, *fingit*, format doloſe, diſſimilanter *fera pectora placidis dictis* ad verba placida, et ſic reſpondet tandem Iaſoni: Mallem alio tempore huc veniſſetis, *grauis iam me adſidet hoſtis* (infrequentior τοῦ *adſidere* quarto caſui iuncti vſus) *frater caſtris me vrguet*, (*ſceptri ſic omnibus vna cupido*). Voce *omnibus* tacite et oblique comprehendit ipſos Argonautas, in quo praeferendus Valerius Apollonio, qui aperte hoc iisdem exprobrat 3, 375. et 597. — 539. *Quare age, cognatas*, cognatum enim te antea profeſſus es, *defende terras*, nec rerum fortiter gerendarum occaſionem dimittas. — 541. *namque virum* fortem *trahit ipſe chalybs*, ferrum, enſis; non eget adhortatione, quem ſtrenua manus ad pugnas rapit. Ad verbum expreſſa ex Homero Odyſſ. 16, 294. et 19, 13. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, quae ad aliam rem adcommodauit Iuvenalis 9, 37. ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος. vbi vide Cel. Ruperti. — 541. *tum victor*, quando victoriam a fratre tecum reportauero, *tum* (non odioſa, quod Burmannus vult, ſed emphatica et huic loco aptiſſima eiusdem verbi repetitio) *meritis*, nam nunc temere petis, *vellera, nec ſola*, aliis additis donis *dabo.* — 542. *Contra inſcius aſtus* dolum inſidiasque regis ſubeſſe non ſuſpicatus Iaſon *excipit*, reſpondet ita, vt facturum ſe quidem, quod rex velit, inuitum tamen oſtendat: *Ergo nec hic labor deerat*, et quaſi non ſatis per maria paſſus eſſem, *additus iſte dies*, quo ad noua pericula provocor? Sit ita: *veniant ſuper* (praeter) *haec bella quoque fato meo*, ſi fatum ita velit. — 546. *Non hunc parua mihi caede luet dolorem, quasque dedit, luet ille moras.* Haec ſecum, ſaltem non audiente rege, dixiſſe exiſtimandus eſt Iaſon; grauiter luet rex Aeetes hunc mihi inpoſitum laborem, grauiter luet, quas mihi obiicit moras. *Tum Caſtora mittit ad ſocios.*

549. Aſt illos mora longa curis inpleuerat. *Ac ſimul vt* (vſitatius *ſimul ac*, auribus vero conſuluit poeta, ne bis poneret *ac*) medio campo conſpexerant Caſtora, *cre-*

brior incuſſit percuſſit *mentem pauor, o Iovis fili, fare, fare* (vix exſpectare poſſunt) *omnes* vno ore exclamant, *an patriam ſpes vlla videndi.*

553. Reſpondet Caſtor: *Nec ferus rex*, inmitis, *vt fama* ferebat, nec vellus negat, ſed bello preſſus auxilium inplorat noſtrum; Iaſon igitur adcelerare omnes per me iubet, *nec naui timeatis, longo nam tuta receſſu puppis*, et *obpoſita* e regione (mel. forſan *adpoſita*, propinqua) *fluuius defenditur vrbe.*

559. Haud mora, proſiliunt, *quos nec Rhipaea iuuentus*, Scythae, *quos nec Iberi, nec tota Aurora*, orientalis plaga *ſuis pharetris ſuſtineat*, ſtetit *explicito prius agmine pubes, experti, ſi* (an) *tela artusque ſequantur*, officia faciant, an, quas remis diu adplicuiſſent dextras, ad arma ſequaces adhuc habeant. — 564. *incita aura*, ventus *criſtas quatit*, mouet; *variis floret*, iucundum adſpectum praebet *via discolor armis.* — 566. Qualis *ab Oceano* oriens *chorus* ſtellarum *aethera nitidum veſtit, qualibus adſurgens nox aurea cingitur aſtris.* Alteruter horum verſuum abeſſe poterat, et acute Bulaeus coniicit, ſi poetae ſint, ſecundis adhibitis curis, vter eſſet melior altero, eum electurum fuiſſe. Burmannus in poſteriori editione *noctem auream* exponit *lunam*, cui tamen contrariatur hoc, quod Luna ſit vna, Argonautae autem plures.

568. Illos Aeetes moeſtus iratusque *miratur, temere*, cupide, inconſulto *adſumtos* belli *comites, nec talia mallet robora* viros fortes, *quam medios hoſtem ſubiiſſe penates.* — 571. *Interea laeto patitur* non recuſat *conuiuia vultu* laetitiam praeferente ſimilatam, et *iuxta* adcumbentem *Iaſonem magno cratere laceſſit*, ad bibendum prouocat, *nunc ſibi monſtrantem natos Iovis* Caſtora et Pollucem, *oraque iuxta Aeacidum*, Pelea et Telamonem, *nunc ingentis Calydonis alumnos*, Tydea et Meleagrum. — 575. Audit et Herculem *nefando*, infauſto *errore relictum, defletosque duces*, Idmona et Tiphyn, *terraeque marisque labores.*

577. Iaſon viciſſim petit a rege, *vt tantis concita furoribus arma*, occaſionem tam grauis belli, *et amicos ordine reges*, duces (Homeri κοίρανος) vel regulos vicinos enumeret. — 579. Aſteriſcum, vt ſuſpectus, praefixum habet, ſine cauſa. Heinſius conrigit: *quis procul ille, humerum nodis cui baltheus aſper ſubligat;* Burmannus locum nondum perſanatum exiſtimat, quem ego integerrima ſanitate gaudere video. *Quis procul ille virum* (virorum) *nobis*

(admirationem exprimit et cupiditatem noſcendi hominem) *quem balteus aſper ſubligat*, diſtincto bullis aureis balteo cinctus, *et ſtricto* adducto, ad ſagittas mittendas parato *ſtat proximus armiger arcu, ceu pugnam paret, et poſitas* (paret) *confundere*, proturbare *menſas*. — 582. Contra *flammigeri proles Perſeia Solis* Aeetes, *mos* huic eſt, *cominus* in promtu ſemper habere *arma*, *ſemper meminiſſe pharetrae*, numquam manibus eam deponere. — 585. *amnigenam Choaſpem*, nomen habentem a fluuio Choaſpe. v. Tibullum 4, 1. 140. Omnino enim, Virgilio praeeunte, nomina militum, in primis ducum depugnantium, ab vrbibus, inſulis, populis, fluuiis regionum, in quibus nati erant, deſumta. Sic in ſequentibus a fluminibus denominati *Odruſſa* 595. Iaxartes 597. Rhyndacus 3, 35. conf. 6, 220. — 586. *bellatoris*, ferocis *equi potantem cerne cruores*, equimulgum, *nec tamen inmiſſis* (Cic. ad Div. 10, 30. *inmittere equum* 6, 303. *admiſſis*, vbi v. not.) laxatis *hic ſegnior ibit habenis*, alacer eques. — 588. *horrida* i. q. paullo ante *aſpera*, cui variae figurae intextae, *ſignis chlamys*, *et multa ſpirat coma flexilis*, in cirros conlecta *aura*, odoribus. *Croceos ſic illius omnis iactat eques odores, vnctis ſic eſt coma culta maniplis*, peditibus; non ipſe ſolum odoratos habet capillos, ſed totius exercitus, totius adeo gentis hic mos eſt; *ſed nec ſperne virum*, tamquam mollem et effeminatum, *et comtis diffide capillis*, tamquam hominis inbellis. — 594. *ſpoliis tigridis*, pelle detracta, exuuiis. *Ille profundo incumbens mero* (digito monſtrat) cupide vinum hauriens a fundo, ἀμυστὶ bibens, ita vt ne guttula quidem remaneat. — 595. *videsne alta comantem pectora*, carnoſa pectora hirſutum, et *ingenti turbantem pocula barba* (lepida hyperbole!) — 597. *Hic et Iaxarten ſtupet hoſpes* Iaſon *dictis acerbis inmodicum linguaque grauem*, linguae dicaci non temperantem, rixoſum, *cui nulla* (hoc Heinſius mutare iubet in *multa*, ob ſequens *non*. Nil opus eſt.) *minanti* irato, *non ſuperum* Deorum, *non praeſentis reuerentia belli*, vbi amicis parcere, iram in hoſtes potius profundere deberet. — 600. *Non fruſtra magna ſuperbo dicta volant*, non inanis eſt iactator, *vocem paria arma ſequuntur*, manu non minus, quam lingua promtus eſt; *Marte diem noctemque fatigat*, (v. ſupra 142.) *atque vbi Rhipaea* Scythica *bruma flumina ſtupuerunt*, exquiſite, pro glacie conſtringi coeperunt, (Commode laudat Burmannus Plinium H. N.

14, 21. "Vini natura non gelafcit alias, ad frigus *ftupens* tantum.") *iam panidi cum prole*, vxoribus et liberis *Getae*, *iam peruigil* excubiis pofitis *Medus et obpofitis eum exfpectat*, eius aduentum timet *Hiberia claufiris*, portis, anguftis montium aditibus. — 607. Si memorare velim, *prius humentem* rofcidam *lux* aurora *foluerit*, disiecerit *vmbram*, noctem. Ornate pro: Sol prius oriretur. — 608. *Cras acies videbis et ducum regna*, populos *diffona*. Poffis proprie fumere: qui diuerfis linguis, dialectis faltem vtuntur, malim tamen ampliori fenfu omnino discrepantia, diuerfa, praefertim variis armorum generibus, quae in fequentibus enumerantur, nempe 609. *faxiferae furgat quibus imber habenae*, qui lapides imbris inftar e fundis iaciunt, *quae iaculo gens leui apta*, *quae picta* (pictis) *pharetris*. — 612. *Vide et Euryalen*, Amazonum reginam, *alipedi* celeri *pulfantem* proculcantem *corpora curru*, *quibus exfultat Mavortia* heroina *turmis* equeftribus, *et quantum elata fecuri* bipenni *valeat peltata*, minori clypeo latus finiftrum munita, *cara mihi et veras inter non vltima* (λιτότης) prima, aeque faltem cara ac naturales *natae*, Chalciope et Medea. — 616. Tum vero Aeetes libat *occiduo parenti* Soli, reliqui fuis quisque Diis, vt in proelio adiuuent.

619. Prius vero, quam ifta in terris proelia committit poeta, velitationem verborum praemittit in Olympo exortam. *Ecce Gradiuus* veniens *a Getis*, nam gentes ad feptemtrionem habitantes Martem in primis coluiffe notum eft, *ingentem per Arctoa aequora trahens nubem* tempeftatem, videt Argonautas, videt *ambitum*, audit adpellatum de vellere tradendo regem vellusque iam promisfum. *Citus ad fummi ftellantia patris tecta ruit* cum inpetu, *queftuque Iovem teftatur* obteftatur *acerbo:* (cf. Virgil. Aen. 10, 16 fq. vbi Venus et Iuno coram Iove altercantur.) *Quae ftudiis*, factionibus *quies? iam mutua diui exitia*, nos Dii odia et inimicitias exitiales exercemus inuicem, et quare? *in folos hominum honores*, vt hominibus faueamus. *Teque*, mi pater, *ea cuncta iuuant*, miror, te his delectari poffe, *rabidam* (Martiale encomium!) *qui Pallada coelo non abigis*, *neque femineis*, (contemtim) *ius obiicis aufis*, auctoritate tua ea non reprimis. — 629. *Non queror*, nam leue eft, *exftructa quod vexerit ipfa carina*, adeo fe abiecerit, vt manum ipfa rati remisque admoueret, veheretque *fperantem*, inani

ſpe inpletum *Iaſonem, vellera auertere.* — 634. *Non opus auxilio Colchis veſtro, aut foedere* veſtro, quotquot Dii Deaeque adeſtis, *et Perſen ſimul et Argonautas depoſcimus hoſtes*, vtrosque ſolus in me ſuscipio. — 636. *Quin age* (iam ſe conuertit orator ad Palladem ipſam) edic, *cur tot gentes coeant in proelia? quid tuus Iaſon?* (oratio abrupta, et cumulatis interrogationibus, quod facere ſolemus ira commoti) *imus nos, et protenus* quidem *imus, et armis decernimus?* — 639. *Vel tu ſola tacitis inopina tenebris polo labere*, etiamſi furtim nebulis inuoluta in terram deſcendas, *quantus ibi Deus*, mecum tibi rem eſſe, *experiere, nec illas adſiiteris inpune trabes*, male tibi cedet, ſi ad lucum, templum meum, deprehendere. — 641. *An Martia templa intemeranda minus*, ideo violare liceat, quod mihi *tacitus*, ſilens, quietus *lucus*, *quod rudis agger*, ara ex ceſpitibus adgeſta, et *ſola*, ſolitaria, remota *colimur ſi gentibus vmbra*, ſylua, quod non tam magnifica templa habeam, quam alii Dii? — 644. *Eſt amor et rerum cunctis tutela ſuarum*, ſuum quisque, etiamſi non adeo magni pretii ſit, amare ſolet et tueri. *Et tibi, magne pater, terris donaria certant.* Caue ſtatuas hypallagen, vt dicere voluerit poeta, terrae donariis certant. Longe ſuauior magisque poetica eſt proſopopoeia: ipſa donaria certant, quod maxime placeat, adceptum ſit Iovi. *Eſt honor his* meis *etiam ſuus.* — 646. *Aune ego clara Myceues culmina*, templum Iunonis Argivae, *virgineas praeder ſi Cecropis arces* Palladi Athenis conſecratas, *iam coniux, iam* (iucunda repetitio) *te gemitu*, nec gemitu ſolum, ſed *et lacrymis* tenebit filiola querens? *metuant ergo, nec talia poſcant.* Fallor, an eum verborum delectum habere voluit poeta, vt *gemitus* et *poſcant* ad Iunonem, cui vt matri parcere Mars voluerit, *lacrymae* autem et *metuant* ad Palladem referenda ſint? Sed hoc eſt argutari.

650. Iam contra inſurgit Pallas. *Non tulit haec animis, quin longa ſilentia* (os enim diu tenere, feminis, vti olim audiui, difficile eſt) *rumperet, inridens ſtrepitum minasque Gradivi. Non tibi Biſtonidae*, Thraces, *non Lapithae, quibus haec fera murmura*, (rectius *iurgia*, quod Heinſius vult, murmuribus enim obſtant praecedentes *ſtrepitus.*) *ſed Pallas*, quod grauius, quam ſi dixiſſet: *Ego.* — *neque ego aegide digna, nec vocer vlterius proles Iovis, excidat iſte ni tibi corde tumor*, niſi hanc tibi ſuperbiam iactantiamque excutiam; *lituos mox armaque*

faxo oderis, abiicias, *et primis bellis*, proximo quoque proelio *adimam tua nomina*, gloriam bellicam. Satis diserte ac confidenter!

Hactenus ad Martem, nunc ad adsidentes Deos dirigit orationem. 657. *Quin simili matrem demens grauitate sequutus: Digna quidem, monstrum superis quae tale creavit.* Haeserat in hoc loco Burmannus, et *grauitate sequutum* vix se intellegere fassus. Quum vero *lingua grauem*, qui obcurrit v. 598, ipse excitauerit Burmannus, cui addi potest 4, 3., non video, cur Substantiuum *grauitas* tantopere obfenderit, quae nihil aliud est, quam verborum inmodestia (Grobheit). Nec *sequi* pro *persequi* insolitum; sic Ovid. Metam. 2, 498. *sequi* feras. In posteriori versiculo erat, vbi haererem ipse, qui primo intuitu persuadere mihi non possem, Palladem Iunoni eo tempore, quo operam ambae in Iasone adiuuando consociassent, (nam alias non semper amicas fuisse memineram) dicere, quod illa nollet audire, voluisse. Sed sana omnia, si ita locum interpreteris: Non me solam, sed matrem adeo demens criminibus onerauit: *digna quidem*, nil aliud meruit, (lepidus iocus!) quae talis filii mater exstiterit, *quae tali monstro* Olympum ornauerit.

659. Pergit Pallas vtriusque et suam et Iunonis causam agere. *Quod tamen adgressae scelus, si iuuenem, qui dira iussa et maria nondum nota*, et *inpauidus* quidem, tamque magno animo *subibat, iuuimus, et magnis aliquam spem mouimus ausis?* Haec eo pertinere videntur, vt Iovi se Iunonemque purgare velit Pallas, quod iura eius inuadere voluisse dixerat Gradivus 628. Noli vero tale aliquid, mi care pater, credere; *nil nisi spem mouimus*, et *aliquam* tantum. — 663. *An nullas praeferre*, prius tentare *preces*, *nec foedera regis sequi* petere *debuimus?* Haec spectant ad insidias fallaces, quas obiecerat Mars v. 632. *caeca*, inconsulte, temere *sed cuncta inpellere pugna*, omnia statim miscere debuimus? *Sic Thraces agunt, sic turbidus iste.* — 666. Cuperem etiam nunc sine bellis rem componi, *da vellera, rector* Iupiter! *et medio nos cerne mari*, statim altum petemus. — 668. *Quod sin Mars abnegat solus, ibimus indecores*, pudefactae, *fassaque quae nequeam? Sic femina.* Ita vulgata, sed ita nullo sensu, vt pro conclamato et desperato locum habeant interpretes omnes, quos fefellisse in primis videtur, quod *sic femina* seorsim sumerent, et intellegerent ita: Hic finem fecit

loquendi Pallas. Mihi vero ſecus videtur, vnamque locus propoſitionem continere, ſi tamen aliter interpungere, vnamque literulam mutare liceat. Fac igitur mecum, mi lector, periculum, incidas poſt *faſſaque*, interrogationis notam reiicias poſt *femina*, et τὸ *ſic* mutes in *ſim;* tum vero habebis: *Faſſaque, quae nequeam, ſim femina?* hoc ſenſu: quae dixerim, addixerim, promiſerim, nequeam perficere, *femina* quippe debilis, (vt reſpiciatur ad femineos anſus v. 628.) quae Dea tantum ſim, non Deus. Veniam, ſpero, inpetrabo a lectoribus, quod huic meo commento locum dederim in contexto. Sic ſaltem locus habebit aliquem ſenſum, qui plane nullus erat in vulgata.

669. Mars iterum coeperat inſurgere, ſed Iupiter coercet: *Quid veſane fremis? quum peccatum ſatis* rixis atque contentionibus, *tunc ad mea iura venitis*, vt lites veſtras arbiter componam. Faciatis, quod lubet, per me licet, *habent quoniam ſua fata furores*, luatis poenas, quae tales furores ſequuntur. — 678. Tum conuertit ſe ad vxorem et filiam, ſed placidius: non inuehitur, ſed *monet; Sit Perſeu pepuliſſe ſatis*, cuius fata futura haec eruat: Nunc quidem victas dabit manus, Iaſonis in primis virtute coactus; vt primum tamen Argo in patriam redierit, ſolio Aeeten deturbabit, eumdem vero *poſt longa ſenectae exſilia*, poſt longam eamque inopem in vita priuata transactam ſenectutem, (*heu magnis quantum licet in pia fatis!*) *nata iuuet*, regnum reſtituet. Haec lectio praeeunte Gronovio Obſſ. p. 770. in textum recepta a Burmanno; quae quum admodum contorta videatur, *quantum licet fatis in pia* i. e. officia pietatis, equidem malim Bentleio ad Horatii Epp. 2, 1. 16. eatenus accedere, vt cum codicibus ſcribam *quantumlibet inpia*, aliter tamen explicem. Bentleius enim: *Medea magnis fatis nata erat;* ego vero, parentheſeos ſignis deletis, ſic: *Quantumlibet inpia*, quamquam Iaſonis amore abrepta patrem olim prodidiſſet, *poſt magna fata* tamen eumdem iuuabit, *Graiusque nepos* Medeus, Aegei et Medeae, (repudiata enim a Iaſone Medea Athenarum regi Aegeo nupſerat, Diodor. Sicul. 4, 55. 56. Iuſtin. 2, 6.) *in regnum reponet.*

691. His dictis *inſtaurat menſam*, ad nectar et ambroſiam denuo redit Iupiter, et iam ſideream noctem demittit Olympo. — 693. *Tunc adſuetus adeſt Muſarum cohors Phlegraeas reddere pugnas*, ad hymnum canendum in victoriam Iovis a Gigantibus olim reportatam, *et citharae*

pulsator Apollo, Musis concinens, *fertque grauem Phrygius circum cratera minister*, Ganymedes. — 696. *Surgitur in somnos, seque ad sua limina*, domos, regiam Iovis cingentes, *flectunt*. cf. omnino Homeri Il. 1. ad finem.

IN LIBRVM VI.

1. Somno se dederant Dii Deaeque omnes; *at vigil*, peruigil *iisdem ardet furiis* nihil remiserat ab ira vehementi *Gradivus*, *nec inuenit*, dubius est, *quae castra sequatur*, vtri pugnantium parti adcedat. — 3. *ire placet*, *praesensque tueri*, (rectius *praesentem* vel *tueri* Infinit. pro Imperfecto?) *sternere si* (an) *Minyas magnoque rependere luctu regis pacta queat*, magnam calamitatem inferre, quod cum rege eiusmodi pacta inierint. — 6. *Impulit hinc currus*, incitauit equos, *monstrum inreuocabile*, lanceam ingentem, quae semel emissa reuocari non potest, *concutiens*, *Scythiaeque super tentoria*, castra *sistit*.

14. *Consiliis dum nox vacat alta mouendis*, noctis silentio interea vsus erat *Perses* ad consilia capienda, tandem legatos mittere placet, *mandata edocet adfari Minyas*. Sensus facilis, latinitas perplexior. Varia excogitarunt commentatores, vt locum ad vsum loquendi conformarent, in quibus maxime placuit, quod amiciss. Müllerus Cizensis suo exemplari adscripserat: *adferri Minyis*. Forsan tamen ab ipso vsu loquendi non discesseris, si *adfari* diuidas, ita: *edocet mandata fari* (effari) *ad Minyas*. Locum similem inuenisse mihi videbar apud Ciceronem de Offic. 3, 16. vbi *adigere arbitrum* est pro agere, cogere ad arbitrum — *fraudemque*, de fraude *tyranni vt moneant*, *quinam error hinc* ex partibus Persae *animos auerterit*, abalienauerit, quum tamen Perses eo ipso, quod vellus Argonautis tradendum suasisset, iram Aeetae et bellum in se concitauerit. — 23. *Aeetae fidem non esse loco*, fluxam, instabilem.

26. Dum haec Perses ad Iasonem ferri mandata iubet, *aureus effulsit campis rubor*, vel aurorae, vel Martis curru aduenientis fulgor, *armaque* non concussa, et *acres tubae* non inflatae *strepuere sponte; Mars saeuus ab altis equis*, curru *Hostis io!* conclamat, *agite, ite, propinquat*. Deproperat verba, vti mos est, vbi periculum est in mora. Sil. Ital. 4, 98. Arma, viri, rapite arma, viri, — 30. *fundit in aequora*, planitiem.

33. Prius quam ipſam deſcribit pugnam Valerius, ad exemplum Homeri in Catalogo nauium et Virgilii Aen. 7. duces vtriusque partis gentesque enumerat, in quarum nominibus tamen non Argonautarum ſemper aetatem, ſed ſeriorem ſequitur. *Muſa mone*, doce 1, 5. — 36. *nec numero memorem*, memorare poſſim, *nec nomine cunctas mille vel ora mouens.* Homerus Il. 2, 489. non niſi decem linguas decemque ora, Virgilius Aen. 6, 625. et Ovidius Metam. 8, 532. centum, Noſter mille adeo ſibi non ſubſectu- ras linguas fatetur. — 37. *neque enim plaga gentibus vlla ditior*, nulla regio tot paruas numerat nationes, (teſte enim Strabone 11. p. 761. ed. Almelov. in ſolis Caucaſiis montibus ſeptuaginta, vel, ſi aliis credere fas ſit, trecentae gentes dicuntur habitaſſe. Idem confirmant nuperi peregrinatores, v. c. *Güldenſtädt* 1, 458 ſq. et *Reineggs* 1, 33 ſq.) *aeterno quamquam Maeotia pubes Marte cadat*, perpetuis bellis minuatur, *pingui numquam tamen vbere deſit*, ob multitudinem incolarum non deeſt, quod ſeptemtrionales regiones, quas aſtronomice circumſcribit poeta: *quod geminas Arctos magnumque anguem inpleat*, damnum celeriter reſarciat. Monitos tamen lectores velim, Valerium latiſſimo ſenſu Scythiam ſumſiſſe, nec ordinem ſequi ſemper regionum, vti quaeque vicinitate alteram excipit, ſed magnos ſubinde facere ſaltus.

42. Primus eſt *Anauſis*, *Alanorum et Heniochorum* (hodie Abchaſii et Lazii) rex, iratus, quod prae Albanorum regis filio, Stiro, generum ſe adſpernatus eſſet Aeetes. At bonus ille Anauſis *neſcius* erat, *quanti monſtri* Medeae *thalamos adſcendere arſerit*, tantopere concupierit, *atque vrbes maneat qui error Achivas*, quam cruenta ſpectacula praebitura Graecis eſſet Medea, *gratior ipſe Deis*, cui melius Dii, quam ſibi ipſe conſulebat, *orbaque beatior aula*, felicior, quam ſi voti compos thalami talem ſociam adcepiſſet.

48. *Colaxes*, dux *Biſaltarum*, Thracum, ad Strymonem fluuium habitantium, *filius Iovis*, qui *iuxta viridem Myracen Tibiſenaque oſtia* eum progenuit. In his fluuiis variant libri. Quod ſi vero Tibiſus (Ammiano 17, 3. Tibiſſus) is eſt, quem hodie *Theis* adpellamus, pro *Myracen* malim, praeeuntibus pluribus codicibus, *Maracen* (*Maroſch*) qui in Tibiscum ſe exonerat, — *ſemifero*, *dignum*, fas eſt *ſi credere*, *captus corpore*, *nec Nymphae* Horae v. 58. *geminos exhorruit angues.* Tacent inter-

pretes, ſed ſemiferum in eo conſtitit, vt in duos angues deſineret virgo formoſa ſuperne. De hoc virginis monſtro, quae tamen non ex Ioue, ſed ex Hercule primos Scythiae conditores pepererit, vide Herodotum 4, 9. — 53. *Cuncta phalanx inſigne Iovis geſtat*, nempe *tegmina*, ſcuta *caelata*, in quibus caelati eſſent *diſperſi trifidis ardoribus ignes*, fulmina. (tela Iovis triſulca Ovid. Amor. 2, 5. 52. ſupra 2, 500.) *nec primus radios, miles Romane, coruſci fulminis* (alia periphraſis) *et rutilas ſcutis diffunderis alas. Diffunderis* eodem Graecismo, quo v. 53. *caelata*, ſed paullo duriori: diffuſi radii per ſcuta tua. Facilius *diffuderis*, nec abludunt libri. Ceterum alata fulmina in clypeis militum Romanorum antiquis numisque vbique obuia, nec facile erit, qui legionem fulminatricem ignoret, de qua ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae olim fabulabantur. — 57. Inſuper auratos *conlegerat* iunxerat in fibula *ipſe dracones*, *matris Horae ſpecimen* (e Virgilio Aen. 12, 164. *ſolis aui ſpecimen*) in documentum ortus ſui a Nympha in dracones deſinente: *linguisque aduerſus vtrimque congruit*, *et tereti ſerpens dat vulnera gemmae*, ita apte elaborati erant ſibi obpoſiti ſerpentes, vt mediam, quae paludamentum contineret, gemmam mordere dentibus viderentur. cf. ſupra 3, 190. et ibi adſcripta.

60. *Auchus Cimmerias* oſtentat opes, *cui candidus olim*, inde a natiuitate, *natale decus*, *crinis eſt*, nam toti populo communis iſte color et in honore eſt, — *dat longior aetas iam ſpatium triplici percurrens tempora nodo*, aetate iam prouectior capillos longiores in triplicem nodum conlegerat, *demittit ſacro a vertice*, non enim rex ſolum, ſed ſacerdos etiam erat more priſco, *geminas vittas*.

65. *Daraps grauior*, tardior, non ſatis valens corpore, *de vulnere Achaemeniae pugnae*, in pugna contra Perſas adcepto, *miſit in arma Dathin*, circum quem Martia acies eſt *Gangaridum*, *potaque Gerys quos efferat* (ab efferare) *vnda*, feri adcolae Geryos fluuii, *quique lacum cinxere Bicen*. Paludem *Bycen* et, qui in eam ſeſe effundit, fluuium *Gerrhum* noui, inueniesque ad Iſtrum Cherſoneſi Tauricae; *Gangaridae* ſuſpecti, nam huius nominis populus Indiae intra Gangem nimis diſtat: Strabo 11, 347. habet *Gargaridas*. Recte, nam eodem loco Strabo p. 356. et vrbem *Darapſum*, vnde Daraps Noſter nomen habet, commemorat.

69. *Phrixus* fortaſſe *Chrixus;* Heinſius. *Aceſina,* ab Aceſino fluuio ad Panticapaeum in Taurica, Plin. Hiſt. nat. 4, 26. *mouet* ducit *laeuo* infauſto *omine agmina fatidicae ceruae,* quae qualis ſit, et cur *fatidicae* nomine veniat, fateor me ignorare. Poſſit quidem *Diana ſaeua* v. 73. aliquem inducere eo, vt de Iphigenia cogitari poſſe credat, quam pro Dea cultam Scythis fuiſſe narrat ipſe Herodotus 4, 103. ſed repugnat temporum ratio, et, quae de Agamemnonis filia tradunt Tragici, nullam noſtro adfundunt lucem loco, cuius fundus fabella videtur fuiſſe Scythica. Fortaſſe rex quidam vel dux eorum ceruam Dianae ſacram confecerat, cuius imago aurea ad Deam placandam pro ſigno militari v. 72. fuit. Aliam difficultatem, quae premere locum viſa eſt nonnullis, deſumtam illam a cornibus v. 71. quibus ceruae carent, non moror, videturque Valerius femineum ſexum conſulto poſuiſſe, in quo rarius quidem, nonnumquam tamen cornua indagatores naturae obſeruarunt. cf. Ruperti ad Sil. Ital. 3, 39. in var. lectt. et Heynium ad Apollodor. p. 349.

74. *Syenes,* quem Perſes *inpia fratris Aeetae vulnera* (cf. 5, 272.) *praetentans* (inſolitum pro monſtrans) *excitaverat ſubplex,* adduxit *Hylaeam gentem. Hylaea* non tam gens fuit, quam regio, arboribus diues, quo nomine iam olim laudauerat Herodotus lib. 4, 19. 76. Poeta noſter non contentus multitudinem arborum celebrare, addit etiam proceritatem altitudinemque, eamque ita auget, vt ſagittas cacumina non adtigiſſe, ſed fatigatas quaſi in medio volatu decidiſſe dicat. cf. Virgil. Ge. 2, 123. 124. et Plin. Hiſt. nat. 7, 2.

79. *Cyris.* Interpretes vel vrbem, vel fluuium, vel ducem volunt. Equidem ducem malim ob additum *Titanium,* de quo tamen et ipſo cognomine nihil habeo dicere. *Hyrcani* vix locum tueri poſſe videntur, praeſertim quum v. 114. iterum obcurrant. Latet fortaſſe fluuius *Hypanis* vel *Hypacyris,* et ex *antris* a poeta memoratis Troglodytas adcolas fuiſſe conligere non ſine cauſa poſſis.

80. *Coraletae,* ſi tamen ſana lectio eſt, nomadicam vitam agentes, *plauſtris ad proelia cunctas traxere manus, ibi* in his plauſtris *eſt iis ſutilis* e pellibus conſuta *domus, et crudo,* non ſubacto et mollito, ſed pilis ſetisque horrido *reſidens ſub vellere coniux, et puer e primo temone pronus pendens,* (cf. Propert. 4, 8. 21. et Phaedri Fabb. 3, 6. 5.) *torquensque cateias.* Cateia eſt proprie haſta Teutonica,

obcurrit etiam apud Virgil. Aen. 7, 741. vbi v. Heynium. cf. et Silium Ital. 3, 272. et ibi Ruperti. Vitam Scytharum nomadicam desumsisse videtur poeta ex Herodoto 4, 46.

84. *Linquitur abreptus pelago*, qui praeceps, rapidus in mare defluit *Tyra* (Dniester) *linquitur*, desertus ab incolis, in bellum proficiscentibus mons *Ambenus et gelidis pollens Ophiusa venenis*. Haec vrbs ad Tyran fluuiam sita abundabat serpentibus, vnde et Graecum nomen. cf. Mannert 4, 234.

86. *Sindi*, ad Hypanin (Kuban) habitantes, *degeneres*, non qui degenerassent, a virtute maiorum discessissent, sed ignobiles, viles, quo sensu etiam ap. Virgil. Aen. 4, 13. *ruunt*, *glomerantque turmas*, equis vecti in bella procedunt, *paterno crimine* (ob crimen patrum) *nunc etiam metuentes verbera*. Nempe, quum Scythae belli causa aliquando diutius absfuissent, iamque reuertentes obuiam sibi venire viderent, qui et vxorum interea et facultatum potiti essent, seruos, vi quidem et armis initio cogere in ordinem eos voluere; quibus quum nihil profecissent, fustibus et flagellis rem agere coeperunt, quo facto reliquiae non caesorum seruorum in hanc regionem concesserant. vide Herodot. 4, 3. Iustin. 2, 5. Ammian. 22, 8.

88. *Phalces* dux infra 245. *aeratam nubem*, multitudinem, vt saepe, (melius tamen, quod Burmannus suadet, *pubem*) *agit aequore*, per campum, *densique* conferto ordine incedentes *leuant vexilla Coralli*, *barbaricae quis signa rotae*. Vti spolia ab hostibus capta (haec enim sunt, quae *barbarica* adpellat poeta) omnino in templis seruabant veteres, (Virgil. Aen. 2, 504. *barbarico postes auro, spoliisque superbi*, cf. eumdem 7, 183-186. et ibi Heynium,) ita et *currus*, (Sil. Ital. 1, 618. *in foribus sacris primoque in limine templi captiui currus*, Iuvenal. 10, 135. *curtum temone iugum*, ipse Noster 1, 837. *galeis rotisque praetexta domus*). Forsan igitur rotas curribus exemtas pro signis Scythae habuerunt, quod non magis mirum videri potest, quam *cerua* v. 70. et, qui sequuntur, *sues*, et *Iovis columnae*, quae omnia a nostris militaribus signis longe discrepant. — 90. *ferrata dorso forma suum*. Sues igitur, quibus pro setis aculeos ferreos addiderant? Ferarum imagines vti omnino priscis signa militaria fuisse scimus, ita in primis de Germanis testatur Tacitus Hist. 4, 22. et Germ. 7. Romani adeo *aprum* in vexillis habuere, v. Plin. H. N. 10, 4. Sext. Pomp. Festum. p. 356.

ed. Dacer. cf. libellum *Io. Phil. Caſſel* de porco in vexillis Magdeb. 1748. Sed quum Scythae, teſte Herodoto 4, 63. ſues auerſarentur, et ne alerent quidem, Maſerio, qui de hyſtricibus exponit, adceſſerim. — 91. *truncaeque Iovis ſimulacra columnae.* Non Martem ſolum, quamquam hunc in primis, ſed Iovem etiam a Scythis cultum eſſe, idem narrat Herodotus 4, 59. ſimulacra igitur eius vel protomas truncis arborum inpoſitas pro lignis fuiſſe veriſimile fit. — 92. *proelia nec rauco curant incendere cornu,* non tubis lituisue excitant ſuos ad certamen ineundum, ſed res a maioribus geſtas decantant, *veterum laudes, viris hortamina,* quibus ſe ad eamdem laudem inpellant.

95. *Aſt vbi Sidonicas inter pedes aequat habenas; Illinc iuratos ſecum trahit* Aea *Baternas.* Locus obſcuriſſimus, in quo explicando valde deſudarunt interpretes, nihil tamen profecerunt. Et primum quidem Heinſio *aſt vbi* non ſatis apte reſpondere videtur ſequenti *illinc,* quapropter mauult vel *hinc,* vel *poſt;* deinde, quum Strabo lib. 7. c. 16. Sidonas Baſtarnarum partem fuiſſe tradat, idem vir olim doctiſſimus, ne eumdem populum Valerius bis poſuiſſe videretur (quod tamen nihil me mouet, quum vnius gentis plures nationes in eodem exercitu poſſint militiam agere) pro *Sidonicas* coniecerat *Eſſedonicas*, et ſub voce *inter* nomen aliquod gentis deliteſcere ſuſpicatus erat, in quo adſtipulantem habuit Burmannum. Mihi igitur, praeſertim v. 750. comparanti, talem inueniſſe gentem olim videbar, legebamque pro *inter* — *Iber,* quam tamen coniecturam poſtea vna deleui litura, partim, quod primam ſyllabam in *Iberis* vbique conreptam deprehendi, partim, quod Iberi ſeorſim obcurrunt v. 120. Variis, quibus faciliorem loco ſenſum dari poſſe opinarer, excogitatis, tandem vna litera mutata: *Eſt* pro *Aſt,* omnia, vti iacent, ſeruari poſſe credidi. *Eſt vbi*, i. e. *hinc*, (habes igitur, quod obponatur τῷ *illinc*) *Sidonicas inter pedes aequat habenas* (eſt vbi inter S. habenas pedes aequat) hoc ſenſu: pari peditum equitumque numero in bellum iuerunt Sidones. *Aequare* eodem ſenſu eſt infra 160. Meliora nunc non habeo. — Nec minus inpeditus eſt v. 96. *Illinc iuratos ſecum trahit Aea Baternas.* Quid enim? Aea quum Colchorum ſit, non Scytharum, de quibus hic ſermo, ciuitas, *ſecum* nullo modo ferri poteſt, lubensque adcedo auctoritati Valeſiani codicis et editionis Bononienſis, legentium: *iuratos* IN SE (quod idem orae exemplaris ſui

adſcripſit Reineſius) i. e. Aea, rex Aeetes iniuria fratri inlata effecit, vt Baternae in eum coniurarent, et infeſta manu regiam eius peterent. Eumdem ſenſum haberes, ſi propius ad ſcripturam vulgatam legeres: *ſibi contrahit;* ſed et hoc durum. — 97. *quos crudi mora corticis armat*, ſcutum ex arboris cortice, quod moretur tela, nec ad corpus penetrare patiatur. (Sic *loricae morae* Virgil. 10, 485. aeris morae Sil. Ital. 5, 319.) *aequaque nec ferro breuior nec rumpia ligno.* Rumpia in telis numeratur a Gellio Noct. Attic. 10, 25. eſtque, vti locus noſter docet, haſtarum genus, quarum et pars lignea, et ferrea cuſpis eadem apud omnes erat longitudine.

99. Sequuntur adcolae fluminum Scythicorum quorundam, *Noae*, *Alazonis*, *Tarae*, *Evarchi.* *Nec procul albentes*, nudas, puras, ſine inſignibus *parmas*, ſcuta *gemina ferit aclyde*, duobus iaculis. Bina ſpicula habet Virgil. A. 7, 687. ex quo 7, 730. et ipſam aclydem mutuatus ſine dubio eſt Valerius. Heynius ibi per iaculum amentatum, loro aptatum exponit. Eſt etiam ap. Silium Ital. 3, 363. et 8, 550. vbi v. Ruperti. — 100. *hiberni qui terga Noae* (eſt etiam ap. Herodotum 4, 49.) *gelidumque ſecuri eruit et tota non audit Alazona ripa.* Alazon, hodie Alaſan, eſt Albaniae fluuius. v. Strabo 11, 344. Plin. H. N. 6, 10. Mannert 4, 428. Hoc, niſi fallor, vult poeta: adcolas iſtorum fluminum, glacie per hyemem ad imum vsque fundum ita conſtrictorum, vt per totam ripam delabentium ſonitus audiri poſſit nullus, ſecuribus excidere ſolere glaciei ſegmenta, e quibus potum ſibi parent liquefactis. De frigore in plaga ſeptemtrionali vide omnino Virgil. Ge. 3, 351. it. Ovidium Triſt. 3, 10, 23. et alibi. — 102. *Quosque Taras* (Tyras eſſe non poteſt, qui ſupra iamiam v. 84. memoratus eſt) ſine dubio *Torus*, quem Colchidis fluuium habet Strabo lib. 11. *niueumque* perpetuum epitheton *olorum ferax Evarchus*, de quo adpoſite laudat locum Etymologici Magni Burmannus: Φασὶ δὲ καὶ ποταμόν τινα παρὰ τὴν Σινώπην Εὔαρχον ὑπὸ τῶν Ἀργοναυτῶν προςηγορεῦσθαι, ἀφ᾽ οὗ πρῶτον ἔπιον, ὥς φησιν Εὐφορίων. Ἠι οἱ Εὐάρχοιο φέρε κλέος ἀμφὶ ῥέεθρον. — Vnum me adhuc in hoc loco vellicat, quod non ſatis liquet, vnde τὸ *quosque* v. 102. pendeat; nam ad *quos* v. 97. referri vix poteſt, niſi verſus tranſpoſitos ſuoque loco motos velis, ita vt noſter ſtatim ponatur poſt v. 98. *quosque* ſc. *armat*, armatos mittit Taras — et Euarchus.

103. *Ariasmenum*, regulum Scytharum, *ingentem* ob proceritatem corporis, *molem belli*, intellexerim de eo, quod haud leue momentum adferret, vtri parti adcederet, *lateque ferentem vndique falcatos deserta per aequora currus*, qui curribus suis tam late prostrauit hostes, vt nullus per campos superstes conspiceretur. cf. infra v. 387. — 106. *Insequitur Drancaea phalanx claustrisque* portis Caspiis *profusi Caspiadae*, *quis non segnius* (sic ordines verba) *turba canum ad lituos acres*, grauiter sonantes *exsilit*, *pugnasque capessit heriles*, in pugnae societatem venit cum dominis. *Inde*, quo fit, vt *par mortis honos* contingat, *tumulisque recepti inter positus virum*, locum obtineant mortui inter sepulcra hominum. (Vix alibi reperias *positus* sic vsurpatos, sed sensus alius esse non potest, et amat talia Valerius, v. c. *inceptus* v. 124.) *Nam pectora ferro terribilesque innexa iubas*, pectora et ceruices ferreis laminis collaribusque aduersus sagittas gladiosque munita *ruit agmine nigro latratuque cohors: quanto sonat horrida Ditis ianua*, Cerberi latratu, *vel superas Hecates comitatus ad auras*. Sumunt interpretes de Furiis, quae tamen non magis huc vocandae sunt, quam ap. Virgil. Aen. 6, 257. vbi canes inferi Hecaten comitantes intellegendi, iubente Heynio.

114. Ab *Hyrcanis*, vrbe Thraciae Hyrcania? (v. Stephanum de Vrbibus) agmina duxit *Varus sacer*, vates, quos multos Scythiam habuisse narrat Herodotus 4, 67. *eum Scythiae iam tertia viderat aetas*, quod senectutem viri indicat, et ad Homeri Nestora adumbratum est, *magnanimos Minyas canentem* qui Argonautarum aduentum praedixerat. *Illius monitis spondentibus*, victoriam certam promittentibus, *et dites Indi, et centumgeminae* ἑκατομπύλου *Lagea nonalia Thebes* in Aegypto. Lagea noualia debentur Gronovio Obss. lib. 1. c. 18. (nam ante eum libri habebant *naualia*) per πρόληψιν a Ptolemaeo Lagi filio sic dicta. *Arua Lagi* sunt ap. Lucanum 8, 443. — 119. *totaque Panchaia*, pars Arabiae Troglodyticae pro tota Arabia *Rhipaeo triumpho* ad triumphum in Scythia *rapta*, excita. In his vero tam longe remotis regionibus Burmannus putat respici ad victorias, quas Scythae olim ad Aegyptum vlteriusque protulisse iactabant. v. Iustin. 2, 3.

120. *Discolor*, non de colore faciei, sed varietate vestium armorumque adcipiendum. *hastatas effundit Hiberia* (hodie Georgia, Russis Grusinia) *turmas*. — 121.

Raptor amorum, pignerum amoris, infantium, puellarum, coniugum. (Sic infra v. 268. *nostrosque feret qui victor amores.*) *et expertes canentis Iazyges aeui*, voluntaria morte canitiem praeuertentes. *Namque vbi iam vires aliae*, non eaedem, quae antea, *notosque refutat arcus*, recusat, non potest tendi ab eo, qui hucusque tetenderat, *et inceptus*, conamina vibrandi *iam lancea temnit heriles.* — 125. *Magnanimis* fortibus *mos ductus* (ab) *auis*, *haud segnia* (segniter) *mortis iura pati*, moriendi necessitatem sponte subire, sed filiis ipsi se tradunt ense conficiendos, *rumpuntque moras*, sine mora, illico, et pater et filius res suas agunt, *ambo miseri animis et fortibus actis*, miseri patres, qui haec animis concipere, miseri filii, qui desideria patrum explere sustinent.

129. Adsunt porro *Micelae*, crinibus odoratis, *Cessaei*, *Arimaspi*, vnoculi (nam Scythica lingua *arima* est vnus, et *spu* oculus. v. Herodotus 4, 27.) *ignotis insontes metallis*, vitiis nondum inquinati, quae debentur metallis, melius latentibus. — 132. *Auchates doctus*, peritus *vaga vincula*, laqueos per aerem *patulo gyro* per apertum campum equitans *spargere*, et *extremas* in vltima acie constitutas *turmas* hostium *laqueis adducere*, in terram detrahere, vt retiarii in spectaculis Romanorum. cf. Herodot. 7, 85. Pausanias 1, 21. et *Beckmanns kleine Anmerk.* Stück 1. S. 1 ff.

134. Nec silendus *Thyrsageta, tympana gestans cinctusque vagis* fluitantibus *post terga pellibus* ferarum exuuiis, et *nexas viridans floribus hastas*, viridibus floribus, hederis in primis thyrsos ornans. *Fama, ducem, Iouis et Cadmi*, cuius filia Semele, de *sanguine Bacchum hac*, sic armata *manu*, exercitu *felicia regna, thuriferos Sabaeos*, (Virgil. Ge. 1, 57. India mittit ebur, molles sua *thura Sabaei*) *hac Arabas fudisse: mox Hebri vada quum rumperet*, Hebrum fluuium superasset, *Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto*, tamquam coloniam, vti Sesostris 5, 422. Aegyptios suos Phasidis inposuit agris. *Illis omnis adhuc veterum tenor*, a maioribus traditos mores retinuerunt, *et sacer aeris pulsus*, tympana v. 134. *et Eoae memoratrix tibia pugnae*, quae bella in Oriente olim gesta in memoriam reuocaret. Conferas velim omnino supra 5, 74-80.

143. Incolae montis *Eumedae* (al. Emodae) *Exomatae*, iidem, qui aliis Iaxamatae, — *Torini* — *Satarchae.* Torinis *mellis honos*, apes alunt, et mellificio viuunt. Sic

ſaepe honos de largo prouentu agrorum, de anni tempeſtatum pulcritudine cet. Satarchen *ditant ſua mulctra*, pecuariam agunt. — Exomatas venatus alit, optimosque in toto ſeptemtrione equos paſcunt, *abeunt* transeunt *Hypanin*, *fragilemque per vndam*, glacie tenui vix adſtrictam (*perfidum glacie flumen* eodem ſenſu habet poeticae elocutionis amans Florus 3, 4.) *tigridis aut ſaeuae profugi*, Exomatae nempe, celeriter redeuntes, *cum prole* catulis raptis *leaenae* (cf. 1, 491.) *moeſtaque mater ſtupet aggere ripae ſuſpectae*, non audent catulis orbatae matres tam lubrica, periculoſa veſtigia ſequi.

150. *Centores — Choatrae.* Centoras *dubios*, medios, qui neutri ſeſe parti adiungere maluiſſent, *inpulit tamen Phrixei velleris ardor, et Choatras, quibus in ſuperos ſaeuus* (poſteriori ſyllaba producta, quod ſibi aliquando permittunt poetae in caeſura.) *honor*, qui victimis humanis Deos placabant, *quibus artes monſtrificae*, magicae, prodigioſae, *nunc vere nouo compeſcere frondes*, foliorum in arboribus prouentum magicis artibus inpediunt, *nunc ſubitam trepidis Maeotin ſoluere plauſtris*, per Maeotin glacie citius exſpectatione liberatam currus agunt tanta cum audacia, vt ipſi currus timeant, ne mergantur. — 155. *Maximus Stygia*, magica *arte venit Coaſtes*, quem tamen non tam amor pugnae, *quam fama Cytaeae* (Colchicae) *virginis ſolicitat et paribus ſpirans Medea venenis*, (*ſpirans* Ablatiuo iunctum, vt ſupra 129. et *redolere* 4, 15.) non minus quam ipſe herbas odoratas et alia veneficia tractans. In tam famoſae veneficae notitiam venire ita cupiebat, vt de incantationibus nunc non cogitaret, vt manes non euocaret, *gaudet Averna palus nocte quieta*, vt Charonti ſomno indulgere permitteret, *gaudet nocte quieta portitor*, vt Lunam non deuocaret aethere, *gaudet tuto veniens Latonia coelo*.

160. Vltimi nominantur *Ballonoti — Moeſi — Sarmatae. Ballonoti geminis aequantes cornibus alas* ex vtraque parte aciei eodem numero cornua tegentes. — *Moeſus comitum celer mutator equorum*, vna voce *deſultor*, qui ex vno in alterum tranſiliebat equum. Locus de hie deſultoribus claſſicus eſt apud Manilium 5, 85 ſq. — *et ingentis frenator Sarmata conti*, longam grauemque haſtam perite moderans.

163. Sic igitur enumeratis, qui a Scytharum et Perſae partibus ſtabant, populis, multitudinem et ſtrepitum tot

millium variis exornat comparationibus. *Non tot ab extremo aequore,* nam quo latius eſt longiusque mare, eo plures altioresque exſiſtunt fluctus, *fluctus agit Boreas; — nec ſic* tanta vi *fratribus* aliis ventis *reſpondet,* aduerſum ſpirat — *aut is apud fluuios volucrum ſonus*, clangor, clamor inconditus, (eſt ex Homero Il. 2, 459.) *lymphata miſcet millia,* nullo ordine inter ſe confuſa hominum millia, eaque pugnandi cupidine furibunda, *quot foliis, quot floribus incipit annus.* Sollemnis ad multitudinem exprimendam comparatio, deſumta a foliis vel vere procreſcentibus, (de quibus praeter Homerum Il. 2, 468. Pindarus Pyth. 9, 82. ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει) vel auctumno decidentibus, (de his vide Virgil. Aen. 6, 309. et qui ibi ab Heynio laudantur). — 168. *Ipſe rotis* plauſtrorum *gemit,* (quod de rebus inanimatis dicitur omnibus, quae premuntur, in quibus elaboratur; ſic 3, 164. robur gemit adactis cuneis) *intus,* non in ſuperficie tantum tactus *ager, tremebundaque pulſu* equorum, vngularum *nutat humus, quatit vt ſaeuo quum fulmine Phlegram Iupiter* in certamine contra Gigantes, *atque imis Typhona reuerberat aruis* ſurgere conantem iterum iterumque reprimit.

171. Iam ad alterum, Colchorum exercitum progreditur poeta. *Prima tenent patriis* Aeetae *armis* Abſyrtus filius, *et gener* deſtinatus Stirus, *ingentesque inter ſua millia*, quae quisque ducebat, *reges*, duces, reguli. At *Iaſonem Graeci ſui* iuuabant et *ipſa,* quae multis millibus potior eſſet, *Pallas, aegide terrifica, quam nec Dea laſſat habendo,* tractando, (*laſſare* h. l. eodem ſenſu, quo alias *fatigare* de rebus, quibus crebro et cum contentione vtimur) ergo nunc nondum vibrat, *nec pater horrentem colubris vultuque tremendam Gorgoneo,* Meduſae capite. Quid *pater,* in quo tamen nihil variant libri, hic ſibi velit, equidem non video. Scripſit ſine dubio Valerius *quatit,* vel propius ad ſcripturam *quatere*, quod iungas ſequentibus: *tempus erat. — nec tempus adhuc ſemineces oſtendere crines,* qui non alii eſſe poſſunt, niſi iidem Meduſae caput cingentes angues, ſed cur *ſemineces?* Haud inepte ad ſenſum Frieſemannus coniicit *ſaxificos,* quod tamen a veſtigiis ſcripturae nimium recedit. *Semineces* ſi retineas, explicari forſan poſſint pallentes, marcidi, ἡμιθνῆτες — *primasque ſinit concurrere pugnas*, nunc nil niſi committit pugnantes, Aegida promit demum infra v. 396. qui locus omnino lucem adfert noſtro.

178. Tanto vero acrius incendunt proelium *Mavors pater*, quod nomen Diis adponere omnino amat Noster, *et mala leti gaudia* (*Mordlust*) *Tisiphoneque caput per nubila tollens*, vt vndique conspici possit, *mediaque altissima pugna*. — 181. Nec abest *Fuga*, quasi Dea, *nondum tamen clara* (vt Graecor. δῆλος) nondum certa, dubia adhuc, *quibus sese mentibus addat*, vtri exercitui fugiendi partes adtribuat, quorum animos formidine inpleat, vt primi fugam capessant,

182 — 188. His versibus diram poeta in vniuersum imaginem pingit et proelii ipsius, et campi, in quo pugnatur. *Vbi consertis iunxere frementia telis agmina*, magna conclamatione ad manus ventum est, *virque virum galeis adflauit adactis*, ita inplicantur, vt leui ventulo motis galearum cristis faciem sibi inuicem tangerent. — 186. *Voluit* rotundas *ager galeas et thorax egerit imbres sanguineos*, emicat sanguis copiosissimus. — 187. *Hinc*, ex hac parte *barbarici glomerantur ouatus*, condensantur ouantes (sic fremitus coire v. 232.) *hinc* ex altera parte *gemitus mixtaeque virum cum puluere vitae*. Audacius et hic abstractum pro concreto, pro viris adhuc quidem spirantibus, sed ita grauiter vulneratis, vt surgere non possent.

189 — 426. Singularia nunc certamina describenda sibi sumit Valerius, in quo varia pugnae et mortis genera, nisi eadem, qua Ovidius in pugna Centaurorum et Lapitharum Lib. 12. ingenii vbertate, satis tamen probabiliter prosequitur.

189. *Caspius* Scytha *Monesen Aeaeum*, Colchum *correpto crine abstulit*, proripuit, *hunc pariter* simul *Colchi Graiique* iaculis petunt: *rapit ille necem*, eo celerius conficit hostem, *praedamque relinquit*, spolia tamen detrahere non potest. *Nec sociis iam cura viri*, mortem vlciscendi tempus non est.

192. *Caresus* Colchus *Dypsanta et Strymona vulnera spargentem obscura* ex insidiis, qui plures iamiam lapidibus e fundo proiectis vulnerauerat, *deiicit*, conficit. v. paullo post 218. 1, 191. 2, 330. (*deiecit leto* Virgil. Aen. 10, 319. nec ipsi prosaici respuunt, vide Nepotem Thrasyb. 3, 1.) *iamque latet*, nihil eius conspici potest, ita proculcatus protritusque erat equis et curribus.

196. *Melas* filius Phrixi 5, 462. et *Hidasmenus*. *Leuis abies* hasta cf. v. 236. *elusit vtrumque*, aberrauit, neuter

hostem feriit, *prior occupat aere citato*, ense promtior *ima cassidis*, infimam galeam ad occipitium.

200. *Mixta perit virtus*, fortissimi ex vtraque parte cadunt, ita tamen, vt singulorum facta non possent dignosci prae turba et tumultu, vti recte exponit Burmannus, — *dum sibila respicit cuspidis*, per aera aduolantem cum sibilo hastam.

203 — 218. Res a *Castore* aduersus *Gelam et Medorem* gestae enarrantur admodum iucunde. *Viderat Hyrcanos paribus equis discurrere, pater armento quos diues ab omni nutrierat.* Burmannus iungit *diues ab armento*, i. e. armenti, quamquam rariorem istam constructionem ipse fatetur. Malim igitur Pio adcedere, qui coniungit *nutrierat ab omni armento*, scil. separatos ad militiam, cui explicationi et τὸ *omni* videtur fauere, et quae sequuntur: *fatis viam monstrarat iniquis*, eo ipso bonis illis animalibus, nil tale merentibus, male consuluerat. — 206. Castor igitur *candore notato*, equi enim isti albi erant, eiusdem igitur coloris, quo Cyllarus suus, quem domi reliquerat 1, 426. *simul hastam in Gelam iacit alipedemque; constitit excusso victor duce.* Ex iis est locus, quos Valerius, si per fata licuisset, aliter fuisset adornaturus; nam quomodocumque exponas, noue et incommode dicta nonnulla inuenies. Quod si interpunctionem vulgarem post *alipedemque* retineas, incommodum exoritur inde, quod equum non vellet ferire Castor, quo viuo vti mallet. Sin autem colon ponas post *iacit*, iungasque suadente Burmanno *alipedem constitit*, tum vero *constitit* actiue sumtum pro *constituit*, quod et ipsum non satis aptum, inusitatum esset. Vossius: *constitit excusso vector* i. e. equus *duce*, quod probabile videri possit ideo, quod *excutere* sollemne et fere perpetuum verbum sit de equo, sessorem deiiciente, et *vectoris* vocabulum bis poeta de ariete Helles vsurpauerit 1, 282. 425. Magis adridet Heinsius, cui subfragatur Beckius p. 269. pro *constitit* legens *insilit*; fortasse tamen non omnino contemnendum, propius quippe ad literarum ductus adcedens *corripit*, celeriter prehendit, vti *corripit ensem* 7, 148. Vtcumque sit, ipse Iupiter gauisus est, *risitque ab alta nube filium*, cui, quum pedes antea depugnasset, equitem nunc agere contigerat. — 211. Tum vero *furens luctu* ob amissum fratrem, *visuque*, quod Castora fratris equo vectum contra se venire conspiceret, *Medores superos precatur: Hunc* (f. *nunc*) si ita

lubet, adeo *me caeso fratri reddite comitem; primus cadat inpius*, infidus equus, *qui contra me venit captiuaque terga ministrat*, praebet nouo sessori. — 217. Sed eum *prior hasta deiicit*, occupat *Phaleri Actaei*, Atheniensis, Argonautae; *ad socias sonipes* equus, non Castoris, sed Medoris *citus effugit alas*.

219 — 241. Nec his fortiter gestis contentus Castor caedit plures. *Quis tibi, Rhyndace, fatales Amyclas Oebaliamque manum* (vtrumque spectat ad Laconicam, vnde Castor oriundus) *metuisset, tot montibus inter diuiso totidemque fretis*. *Inter* hic casui postpositum et aduerbialiter vsurpatum est Graecum μεταξὺ, totusque locus fere ad verbum ex Homero Il. 1, 156. desumtus: Μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα. — 221. *clari Taulantis alumnus semidea genetrice Tages*. Quis hic Tages sit, lubens fateor me ignorare. Tagen noui, Etruscae disciplinae auctorem, ex Cicerone de Diuinat. 2, 23. Tyrrhenum vatem Columellae 10, 345. vbi v. Schneider in Indice ad scriptt. rei rust. h. v. Sed quid Tyrrheno cum Scythis? Plura omnino ducum Scythicorum hoc in proelio decertantium nomina effinxit Valerius, et notabilia de iis narrauit, quae vel ipse excogitauit, vel e fontibus hausit nunc deperditis. Nec Taulantem noui, quamquam Taulantii, i. e. Illyrii a Taulante, Illyrii filio, bene noti sunt: nec magis, quod *genetrici semideae* nomen fuerit, dicere habeo. — Quae sequuntur v. 223. *cui plurima syluis peruigilat materna soror, cultusque laborat*, non minori premuntur obscuritate, quam vt remoueret, ita locum refinxit Heinsius: *cui plurima telis peruigilat nocturna soror*. Ingeniose quidem, (ingeniosius adeo, quod amiciss. Müllerus suo exemplari adscripserat, *filis*) vt multa huius poetarum sospitatoris eximii, et ad intellegendum facilius, sed audacius iusto. Rarior est quidem is syluae vsus, vt de singulis arborum generibus earumque prouentibus dicatur; vide Broukhusium ad Propert. 1, 14. 5. et Gesner. Thes. h. v. Similis adeo locus est Nostri infra v. 699. vbi Heinsius itidem *telam*, sed sine causa, reposuit. Vide, quae ibi notauimus. *Nocturna* porro, quam manult Heinsius, *soror* de ita sedula, vt in matronali opere pernox adeo sit, placet, fateor, et sic saepe obcurrit in laudibus feminarum, sed non adeo necessaria mutatio, et *noctis* notionem iamiam inuoluit τὸ *peruigilat*. Burmannus in *sylvis* fortasse nomen aliquod proprium latere coniicit. Egovero

totum locum inmutatum reliquerim, malimque, vt verbis vtar Dorvilii ad Charitonem p. 410. ed. Lipſ. "intricatius interpretari, quam emendare ita, vt etiam difficultates remaneant." Quum igitur poeta Tageti matrem det *ſemideam* (Nympham) ſoror eius et ipſa talis fuiſſe credenda eſt. (Dryas?) Poſſit itaque *ſyluis* i. q. *in ſyluis* eſſe, namque praepoſitiones crebro omittere poetis ſollemne eſt, vel *ſyluae* h. l. de materia ad texendum in ſyluis obuia, lino in primis, quod ſuadere ſequentia *candentis carbaſa lini* videntur, intellegendae. Totus itaque loci ſenſus meo qualicumque iudicio hic eſt: *cui plurima*, adſidue et diligenter, *ſyluis* in ſyluis, vel lino, bombyci cet. *peruigilat* pernox operam dederat *materna ſoror*, matertera, quae ſororum filiis etiam nunc in amoris ſignum acu tunicas pingere ſolent. Sed haec omnia ſcripſi timidiuscule. — 225. Nil tamen iuuant pulcrae illae veſtes Tagetem, *tenuia candentis carbaſa lini.* Saepe apud veteres obcurrunt, vbi de Aegyptiis ſermo eſt, nec hic alieno loco ſunt, quum Colchi, coloni quippe Aegyptiorum, (v. ſupra 5, 419.) linteas veſtes in priſcae originis memoriam retinuerint. — *Non aura depicta chlamys*, paludamentum (Virgil. Aen. 3, 483. *picturatae auri ſubtemine veſtes*) — *non flaua galeri*, galeae vel pilei *caeſaries*, criſta, (Virgil. Aen. 7, 688. *fuluos lupi de pelle galeros tegmen habet capiti*) — *pictoque ſubtemine bracae*, e panno, cuius ſtamini diuerſi coloris fila eſſent intertexta. De bracis Sarmatarum vide ſupra 5, 425.

228. *Iamque nouus eques* Caſtor *ſtupefacta per agmina* hoſtium *vadit*, incedit alacriter, *denſaque ſpargens haſtilia dextra.* Vt verſus ſibi conſtet, iungenda quidem caſu ſexto *denſa dextra*, ita tamen, poetarum more, vt denſi notio non ad dextram, ſed ad haſtilia referenda ſit; — *ſpargens*, modo hunc modo illum hoſtem inuadit lancea, *fulmineumque enſem*, coruſcantem (cf. Virgil. Aen. 4, 580. 9, 442. et ſupra 3, 119. *praefulgurat enſem*) *ingerit proturbans*, prae ſe agens. — 232. *coiere fremitus virorum ſemiferi*, i. e. frementes viri, vti ſupra 187. ouatus et gemitus glomerati. — 233. *riget his lorica molli* tractabili, lentā *catena*, *id quoque tegmen equis* cataphractariis inde dictis, de quibus vide Tacitum Hiſt. 1, 79. 5. vbi ſermo de Sarmatis, *et abies*, lancea, haſta v. paullo ante 197. paullo poſt 243. *quercus*, *obnixa* ſuſtentata, adiuta *genu*, *porrecta per armos et caput equi ingentem campis hoſti-*

libus vmbram fert, in quo tamen ingenio nimis poeta indulſit, *vaditque* iſta haſta *virum vi, vadit equorum*, h. e. viris equisque cum inpetu inruentibus robur ei adcedit, *docilis* (poet. de re inanimata) *relegi docilisque relinqui*, manum equitis promte ſequebatur, vt et retrahi, erat enim amentata, et in hoſtis corpore fixa relinqui poſſet, *atque iterum medios non altior ire per hoſtes.* Hoc obſcurius. Burmannus explicat: non in eamdem, qua iacula, altitudinem torquetur; quod nihili eſt. Heinſii mihi placet coniectura: *non tardior.* — 239. *Orbibus hos rapidis*, gyris celeribus, *mollique*, leni per aequora *anfractu leuioris equi deludit anhelos*, vt viri equique ilia ducant, *inmemoresque mori*, de morte non cogitantes, ſecuri.

241. Sed non eadem, qua Caſtor, fortuna pugnabant alii e Colchorum exercitu. *Campeſus inpacta* adacta *quercu* haſta *latus inter et ilia tollitur*, equo excutitur, *ac mediam moriens deſcendit in haſtam*, pronus cadit in haſtam aduerſarii. Alii poetae ſic *induere* haſtam. Ovid. Metam. 12, 340. ilia induit fractae orno. Virgil. Aen. 10, 681. mucrone ſe induere.

245. *Oebaſus*, dux Colchicus, *ſubmiſſo poplite Phalcen* Scytham, qui tamen et ipſe v. 554. conficitur, euaſiſſe ratus, laeuum per *luminis orbem* oculum *tranſigitur*, *tenerae liquuntur vulnere malae*, oſſa ſub oculis disſoluuntur, comminuuntur.

248. Contra autem *Sibotes geminis thoracibus*, duplicatae loricae *fidens*, *gladio ferit vltima teli*, haſtae ab aduerſario *Ambeno* miſſae *nequidquam: iam cuſpis ineſt*, quam tamen defractam nil curat Ambenus, et alium, *Otrea trunco ligno*, lanceae fragmento *medium ſubit*, inuadit.

252. *Taxes* Scytha *Hypanin* Colchum, cognominem fluuio, quod ſaepe fit in his terris, vti modo *Ambenus* et montis v. 85. et ducis nomen eſt, *vehit* proripit, *atque remiſſum*, debilitatum, viribus defectum *pone trahit et curſibus exſuit*, dum currit, retrahit *haſtam; dumque reconlectam* (relegere ſic 237.) *rurſus locat* ad genua (v. 236.) pugnam continuaturus, *Lacon* (ſine dubio Caſtor vel Pollux) *inruit vltro*, prior occupat (*prior* et *vltro* iunguntur 2, 124.) *et adhuc inuadit inermem*, prius quam haſtam ſuo loco reponeret.

256. *Onchea* Scytham *aduerſo conto*, lancea in aduerſarium directa *praeceps* in genua procidens *equus inpulit*, excuſſit, *nequidquam totis reuocantem viribus armos*,

equum prolabſum fruſtra conatum erigere. *In latus adcedit* (melius, vſitatius ſaltem *adſedit*, inclinatur) *equus*, *adcedit et ipſe frigidus*, mortuus, *rorat procul vltima cuſpis* defracta ſanguine ipſius madida longius proiicitur. — 261. *Qualem populeae fidentem nexibus vmbrae*, denſis frondibus arboris tutum ſe putantem *auem ſummi deducat ab arbore rami*, ab alta, in aerem porrecta arbore, *ante manu tacita cui plurima creuit harundo*. Hoc aucupum commentum, quo calamos calamis, quorum ſummus viſco erat oblitus, ita adiungerent, vel infigerent, vt paullatim ad arboris excreſcerent altitudinem, ſaepius memoratur a veteribus. v. Tibull. 2, 5. 30. Propert. 2, 15. 24. Martial. 14, 2. 18. Petron. 40. et 109. in primis huc facit Silius Ital. 7, 674. "Vt qui viſcatos populatus arundine lucos, Dum nemoris celſi procera cacumina ſenſim Subſtructa certat tacitus contingere meta, Sublimem calamo ſequitur creſcente volucrem." — *Illa auis dolis viſcoque conrepta ſequaci* tenaci, *inplorat ramos*, docte, in auxilium vocat, arborem repetere contendit, *atque inrita concitat alas*. Comparatio iſta per ſe conſiderata haud inuenuſta eſt, cum praecedentibus tamen nullo, vel tenuiſſimo filo cohaeret.

265. Pugna *Stirum* inter et *Anauſin*, Medeae nuptias vtrosque ambientes, illum iuuentutis Albanorum principem, hunc Alanorum regem, (v. 43. et 3, 497.) deſcribitur. *Parte alia, nam fors ita iunxit*, caſu ſibi inuicem oblati ſunt, *infeſtis armis Stirus adeſt, laetus virum* aemulum *cognoſcit Anauſin*. (*Virum* admodum friget, malim igitur cum Heinſio *viri*, vt iungatur laeto: *Vergnügt*, *ſeinen Mann zu treffen*. Sic ſupra 3, 659. *laetus opum pacisque*.) *Et prior*, vltro, non exſpectans alterius orationem: *En cuius thalamis Aeetia virgo dicta* addicta *manet*, *noſtrosque feret qui victor amores*. Ironice dictum. *Non:* (feres) *inuitoque gener mutabere patri*, non tu, ſed alius gener quaerendus erit. — 271. Stirus *fugit ſaucius*, *atque datum leto non ſperat Anauſin*, *nec videt*, a ſe quidem non interfectum eſſe ſcit, neſcit tamen, cur tam ſubito euanuerit. Sed reapſe erat morti proximus Anauſis, falſus tamen in eo, quod Stirum a ſe letaliter vulneratum opinaretur, qua opinione ductus ironiam illi rependit: *ad ſoceros pactaeque coniugis ſinus* amplexus *fugis*, vulnus referens, quod nullo Medea *ſuſtineat* cohibere, ſanguinem ſiſtere profluentem queat (*ſuſtentare* eodem ſenſu ap. Sil. Ital. 9, 174.)

veneno. Dixerat, *extremus quum lumina conripit error.* Recte error, (non *horror*, quod aliis placuit) de caligine morientis oculis obfuſa, quae facit, vt, quae oculis obuerſantur, non amplius clara atque diſtincta adpareant.

279—385. Res a *Geſandro*, Iazygum rege, praeclare geſtae pluribus enarrantur. *Hinc*, hac morte Anauſis *animos acies auget*, exaſperatur exercitus, *magnoque doloris turbine*, inpetu, nimio dolore perturbatum (*turbo* eſt in vocabulis, quae Valerius amat) *Geſandrum Mavors rapit*, qui Iazygas, ciues ſuos, morantes increpat, et *ſtricto enſe ſic vrguet:* — 282. Ad intellegendam acerbam, quae ſequitur, obiurgationem in memoriam reuocandus eſt apud Iazygas receptus mos, vt ſenes non ſua morte morerentur, ſed filiis ſeſe interficiendos committerent. v. ſupra 122. Rex igitur increpat ignauos: *Nempe* (quae vocula itidem vt *ſcilicet* in ironia ſolet adhiberi) *omnes cecidere ſenes, nempe omnis ademtus pater. Quae foeda ſenectus*, quam diſpar ab patrum ſenectute, quae ignauia *conripuit. Aut mecum ite — aut caris obcumbite natis*, filiorum manibus interficiamini. — 287. *Inruit, et patrias coeptis ferus aduocat vmbras*, manes patris prouocat, vt pugnae teſtes adſint: *Sancte Vorapte pater*, nam manes priſcis pro numinibus erant, *tua pectora*, animum, fortitudinem *ſubgere* da *nato: ſi tibi fata tarda turpesque moras peroſo*, ſi tibi, quem nimis longae vitae taedium cepiſſet, *non ſegnius ipſi paruimus* ſi promte tibi manum olim intuli, *paruique viam* hanc gentis noſtrae diſciplinam conſuetudinemque parentes interficiendi, *didicere nepotes*, ſi et ego eamdem (inpiam) pietatem a filiis mihi meis contingere opto. — 292. *Auditur Erebo*, preces ad inferos pertingunt, *et Furiis ardens quatit arma paternis*, incitatus, actus haſtam vibrat.

294. Primus, quem obuiam haberet, fuit *Aquites, indigenis ſacratus aquis*, h. e. quod ipſe addit poeta, *magni ſacerdos Phaſidis, Arctois errans in armis*, per campum, vbi pugna iam conſeretur. Sacerdotes proeliis ſe inmiſcentes etiam ap. Virgil. Aen. 7, 750. 10, 537. 11, 768. et ibi Heynium. Sil. Ital. 2, 150. et ibi Ruperti. *Populeus cui frondis honor*, ſertum, *conſpectaque*, περίβλεπτα, inſignia *tempora glauco* (eſt color viridis albo mixtus, (*grünlich*) Virgil. Ge. 2, 13. glauca canentia fronde ſalicta, et ſupra 3, 436.) *nectuntur ramo, te, Cyrne*, (hoc filio nomen erat) *parentis*, monitorum patris *inmemorem*,

duae saeuae *cupiens abducere pugnae.* — 301. *Vociferans belli diuersa*, vtramque et popularium et hostium aciem, hostes enim non excludendos esse suadet praecedens *inpune, iterum peragrat.* — 303. *Obprimit*, inprouisus adest *ferus Gesander admissis* laxatis *habenis.* (Sic *admisso passu* Ovid. Metam. 1, 532. *equum admittere* Liv. 2, 19. *immissis habenis* Noster 5, 587. 8, 139.) *Ille inrita sacra*, vittas, vel aliud, quod manibus teneret, sacerdotii insigne, *tetendit*, *et per hanc*, *inquit*, *canitiem oro, genitor tibi si manet*, si pater tibi adhuc in viuis est, *compesce minas*, *et sicubi* — (adde incideris,) *nato parce meo.* — 307. *Contra sic victor* armatus inermi respondet: *Genitor, quem turpi senecta durare* superstitem esse opinaris, *ipse hac* mea *obcumbere dextra maluit, atque vltro segnes abrumpere metas.* (cf. supra 290. *turpes moras.*) — 311. *Et tibi si pietas nati, si dextra fuisset*, si dextra filii pia exstitisset, officium fecisset, *haud precibus tereres*, inutiliter consuméres *medii tempora belli*, vbi pugnandum, non precandum est, *praeda futura canum.* Sarcasmus priscis sollemnis, vel ex Homero notus, apud quem omnino, vti Cel. cuius fauore laetor Gurlitt Animadv. spec. 1. p. 35. obseruat, heroes antiqui, si *vnum locum* exceperis, acerbe inludere occisis solent. — 313. *Iuueni sors pulcrior omni; Et certare manu decet, et carere sepulcro.* Obscurus locus Burmanno visus, quod idem et mihi adcidit. Burmannum obfendunt priora: *iuueni omni*, quae tamen sic satis bene explices: iuuenum mors omnino laetior et magis decora. Ego vero vltima expedire non possum: *caruisse sepulcro*, quo si carent, idem patiuntur, quod Gesander patri antea minatur, vt praeda fiant canum. Sed nec hoc durius videatur, si Scytham memineris loqui. Nam, quod aliis cultioribus nationibus erat curae, vt ne post mortem insepulti abiicerentur, de eo Scythae non erant soliciti. — 315. *Ille moriens Deos coelumque* Deos in coelis, superos precatur, ne tam inmanis hostis filio obuiam fieret.

317 — 384. Hoc occiso, Gesander in *Canthum* incidit Argonautam, quem poeta ita adloquitur: *Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo* (v. supra 1, 451.) *fleuit, ab inuita* (Prosopopoeia, vt praecedens *inscia*) dolente *rapientem tela carina.* — 320. *Non longa dies*, proxime instabat tempus, *vt capta videres vellera et Euboicis patrios de montibus ignes*, vt in patriam redux ignes in Euboeae

promontorio Caphareo in vſum nauigantium adcenſos videres. — 322. *Illum vbi congreſſu ſubiit*, obpreſſit *Geſander iniquo*, ideo, quod Canthus, nondum ad pugnam compoſitus, arma tantum e naui comportaret. — Quae ſequitur vitae Scytharum deſcriptio non inuenuſta eſt et ad veritatem expreſſa, eam tamen ob cauſam non ſuo loco poſita exiſtimanda, quod ira percitus et in ipſo pugnandi actu tam longam ſermocinationem Geſander habuiſſe vix eſt credendus. *Territat his: Tu, qui faciles hominumque putaſti has domos.* (*Domos* bis ſumas, faciles domos, et hominum domos. Qui putaſti faciles, commodas, hoſpitales inuenire, et hominum, qui tamen ſemiferi ſimus). *Alium hic miſer adſpicis annum*, anni tempeſtates, coelum, aeris temperiem, *altricemque niuem*, quaſi pro patria tellure niuem dicit, vti Gesner Theſ. v. *Altrix* recte exponit, *feſtinaque taedia vitae*, quo fit, vt filios noſtros ipſi, vt nos interficiant, oramus. — 326. *Non leuibus* (contemtim) *remis brachia componimus, nec opus nobis ventos exſpectare ferentes*, ſecundos; *imus equis, qua vel medio riget aequore Pontus*, glacie adſtrictus, *vel tumida fremit Hiſter aqua*, ne: reformidamus aeſtuantem Danubium equitando traiicere. *nec moenia* vrbes *placent; feror liber Arctois in aruis cuncta tenens mecum* (hoc adumbratum ex Virgil. Ge. 3, 343. quem locum omnino conſuli iubet Heynius.) *omnis amor iacturaque plauſtri ſola*, iucunda cum breuitate dictum: omnes diuitiae in plauſtris, quae ſi perdimus, leue tamen damnum eſt; *nec hac longum*, diu *victor potiere rapina.* — 334. *Mitte Aſiae, mitte Argolicis mandata colonis*, nuntiari iubeas popularibus tuis, *ne trepident*, ſuperbe dictum; hoc enim vult dicere; poſſim equidem arma mea facile ad illas regiones transferre, ſed non lubet; *numquam has hyemes* perpetuas, *haec ſaxa, Martis agros*, (cf. ſupra 5, 641.) Marti ſacros, bellis idoneos, *vbi iam ſaeuo*, frigido *amne durauimus progeniem natosque rudes*, recens natos. cf. Virgil. Aen. 9, 604. *Durum a ſtirpe genus, natos ad flumina primum deferimus, ſaeuoque gelu duramus et vndis.* — 337. *vbi copia leti tanta viris*, vbi terrarum tot viris fortibus mortem obpetendi occaſiones praebentur? *talemque hanc adcipe dextram*, talem me eſſe, ſtatim experieris. — 340. Dixit, et *Edonis ventis* (Thraciae animae Horat. Od. 4, 12. 2.) *nutritum* exquiſite pro celerius factum, incitatum, (eſt autem Homeri ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος Il. 11, 256.

κῦμα) 15, 615.) *missile concitat: it medium per pectus, et horrida nexu aera*, per loricam catenulis munitam. cf. supra v. 233. *letifer chalybs*, lancea.

342. *Trepidus* anxius *super aduolat Idas, Oenides*, Meleager, *Menoetius, et qui Bebrycio propius remeanit ab hospite victor*, Pollucem puta, qui post propiorem cum Amyco conflictum victor discesserat. — 345. *Vt vero ingentem Telamon procul extulit orbem*, in altum sublato clypeo procul aduolauit, *ceu septus in arcto* (in arcta mole 1, 757. cinctus a venatoribus) *dat catulos post terga leo*, reuocat vagantes, et pone se cedere iubet. Totum locum aperte mutuatus est Valerius ex Homero, vbi de Patroclo caeso pugnat Aiax. Il. 17, 128 sq. Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, Φέρων σάκος ἠΰτε πύργον — εἱστήκει ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν, ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλῃ ἄνδρες ἐπακτῆρες etc. — 347. *Sic cominus hastam Aeacides* Telamon *gressumque tenet*, gradum sistit, hoc solum spectans, vt se tueatur, *septeno validam circumfert tegmine molem.* Magnitudinem hoc auget et firmitatem clypei. Septemplex clypeus est infra 367.

350. *Nec minus hinc*, ex altera parte *vrguet Scythiae manus, quisque sibi Graio poenam*, vindictam *de corpore poscens.* Sic poenam poscere ap. Virgil. Aen. 2, 72. Liuius 4, 19. "id poenae hostibus redditum." — *medio in corpore conseritur pugna*, ita cominus confligebant, vt certatim alter alterum a cadauere deiiceret. *Magno veluti quum turbine sese ipsius Aeoliae frangunt in limine venti, quem pelago rabies, quem nubila, quemque sequatur ille dies.* Vitii non vnius, obscuritatis saltem arguit hunc locum Burmannus, cui nec *Aeolia*, nec *in limine*, nec *ille dies* placent. Ego vero, quae mea est interpretandi vel leuitas, vel facilitas, omnia, ne literula quidem mutata, intellegere mihi videor. Quidni enim Aeoliam, quam absolute sic positam pro regione, vnde venti emittantur ab Aeolo, apud veteres sese negat inuenisse Burmannus, oblitus tamen Virgilii, quem Valerio obuersatum omnino mihi persuadeo, Aen. 1, 52. et ipsius Nostri 1, 576. — quidni, inquam, Aeoliam, totam nempe insulam pro antro (Aeoliam portam ipse Noster habet 1, 654.) carceribusque, quibus ibi conclusos tenebat ventos Aeolus, ponere poetam voluisse credamus? *Euboea* deinde, quam Aeoliae loco substituere mauult Batauus Criticus, nihil profeceris ad

lucem loco adfundendam; immo vero obſcuritas augetur eo, quod tum non niſi contorte exponere poſſis, quid ſibi velit *in limine Euboeae.* Denique *ille dies* nullum ſenſum facere eidem videtur, malitque legere *mille vices;* quod quam parum neceſſarium ſit, ſtatim adparebit. Ego igitur, qui mihi legem ſcripſi eam, vt non niſi proprio, quod aiunt, Marte, eruto vtcumque ſenſu, notas Harleſianae editioni ſubiectas inſpicerem, mentem poetae percepiſſe ſic recte mihi videbar: Magno cum ſtrepitu venti in ipſius Aeolii antri limine ad clathros (clauſtra Virgil. l. c. p. 52.) frangunt ſeſe, premunt, vrguent, alter alterum proturbat, de eo decertantes, quem pelagi rabies, quem nubila, quemque ſequatur ille dies, h. e. cui hoc die pareant, obtemperent, cedant maria et nubila, cui concedatur maria in fluctus tollendi nubesque cogendi poteſtas, vel, quod idem eſt, qui hoc die per maria et aerem dominetur. — 356. *obnixa virum ſic cominus haeret pugna*, ita pertinaciter ſibi inuicem obnituntur. — 358. Aliam ſubnectit comparationem poeta: *Vt bouis exuuias* (bene monet Burmannus, exuuias epico carmine digniores eſſe, quam pellis, vel corium) *multo qui frangere*, emollire *oliuo* (oleo) *dat famulis: tendunt*, in longitudinem trahunt *illi, tractuque viciſſim taurea terga domant*, mitigant, *pingui fluit vnguine*, ſuco oliuae *tellus.* Totus locus expreſſus ex Homeri Iliade 17, 389. cuius verba ex Stolbergii interpretatione adſcripſi: *Wie wenn eines Stieres Fell, das mit Oele getränkt ward, Auszuſpannen übergiebt dem Geſinde der Landmann; Viele ſtellen ſich rund umher von allen Seiten Ziehend; die Feuchtigkeit dringet heraus und das Fett, ſo er darauf goſs; Ziehet hinein, wenn das Fell von allen Seiten geſpannt wird.* — 361. *raptata limite in arcto* breui ſpatio *membra viri meant*, commeant, e manu in manum migrant. — 364. *Telamon medium* corpus *rapit, Geſander tenet ardens* cupide et firmiter, *colla* et galeae *molles habenas* (galeae nexus ac vincula 7, 626.) lora lenta et facile cedentia, galea tamen *dextram feſellit*, inuito excidit, *ſoloque labſa inſonuit.* Iterum *in clypei ſeptemplicis orbem* Telamonis *arietat*, (triſyllab.) inpetum facit, non ſecus ac aries, quo ad pulſanda moenia vtebantur, *et Canthum* (nihil enim aliud cogitat) *ſequitur Canthumque repoſcit*, quem tamen Argonautae cum ſociis a tergo rapiunt, et in *Euryales* Amazonis *curru locant.* Fuere, qui curru Amazonis obfende-

rentur, quae non nisi equis pugnasse tradantur, sed et alii currus habent, v. c. Statius Theb. 12, 524.

370. Aduolat ipsa *Euryale*, ac simul plures *Haemonidae* Argonautae, omnes ruunt in Gesandrum, qui, quum et cum feminis rem sibi fore videret,* hoc sibi dedecori esse clamat: *Heu pudor! contra has etiam bellabimus?* et *Lycen ferit ad confine papillae*, haud procul a mamma; inde *Thoen*, *qua pelta vacat*, vbi clypeus deficit, corpus non tegit; iamque ibat *in Harpen, vix dum prima leui ducentem cornua neruo*, quae tum prima arcum tendendi experimenta dabat, et *Henippen inlabentis*, conlabentis, proni *equi tendentem* adducentem *frena*. Sic ordinatus versus, asterisco notatus, non incommodum sensum dat. Nomina harum Amazonum ficta, Harpe tamen est etiam apud Silium Ital. 2, 117. — 378. *Quum regina grauem nodis auroque*, aureis nodis bullisque *securim congeminans*, bis repetito ictu (*duplicatam* securim vide supra 3, 140. qui locus omnino est nostro simillimus; *congeminata* est etiam apud Virgil. Aen. 11, 698.) *partem capitis galeaeque ferinae* e corio confectae *dissipat*, disiicit. *Ille diu coniectis subficit* par est *hastis*, quibus *grauior* ob molem cuspidum clypeo infixarum, *nutuque* inclinatione et vacillatione corporis *cadens exterruit Idam* Argonautam, cui cadens adhuc fuit terribilis. — 383. *Tunc ruit, vt montis latus, aut vt machina muri*, turris, *quae scopulis*, saxis ingentibus e tormentis missis, *trabibusque*, arietibus, *confectaque flammis*, malleolis *procubuit tamen* (mel. *tandem*) *atque ingentem propulit vrbem*, magnam muri vrbisque partem secum rapit. cf. Silium Ital. 1, 362 sq.

385 — 426. Alius Scytharum dux, *Ariasmenus* in pugnam procedit, curribus falcatis instructus, quibus tandem ipse conciditur. *Sua et proelia ratus posci*, saeua diffundit sociorum *iuga*, currus in latitudinem extendit, *protenus rapturus ab agmine*, temere sibi persuadens, se statim primoque inpetu ordines turbaturum *Graecorum* et *Colchorum*. — 390. Non secus, ac si Iupiter nouum diluuium orbi terrarum inmitteret, quod ornatum ab effectu: *qualiter exosus Pyrrhae genus*, aetate eius viuentes, (seculum Pyrrhae Horat. Od. 1, 2.) *Iupiter aequora rursus atque omnes fluuiorum fundat habenas* (translatio audacior!) vt, qui altissimi habentur montes, aquis obruantur, *ardua Parnasi iuga lateant*, *piniger Othrys* Thraciae *cesserit*, *et mersis decrescant rupibus Alpes.* Non iniucunde va-

riat elocutionem Valerius: obruuntur — latent — cedunt — decrefcunt. Hoc vltimum in primis naturae adcommodatum; quo altius enim adfurgunt aquae, eo magis minuitur montium altitudo. (Aufonius Mofella 146. 147. magna furgunt aequora, vicinique timent decrefcere montes. cf. fupra 2, 6. vbi, quo longius Argo per altum procedit, eo minores adparent in Pelio monte orni, donec fuperficiem maris aequare e longinquo viderentur). — 394. *Tali diluuio* (hoc reprehendit Dorvilius ad Chariton. p. 552. ed. Lipf. eam ob caufam, quod propria et metaphorica locutio mifceatur in ea ipfa re, in qua iam inftituta fuiffet comparatio; hoc enim idem effe, ac fi dixiffet: quali diluuio, tali diluuio; fecundo loco igitur ponendum fuiffe *tali inpetu*, vel fimile aliquid. Recte, fed tota comparatio claudicat, et merito a I. C. G. Ernefti in Comment. 2. de elocutionis poetarum latinor. vett. luxurie p. 90. in iis numeratur, quae a rebus nimium disfimilibus fint petitae. "Vt aliqua, fic ait, fimilitudo effet, ipfe poeta addit: *diluvio tali, talibus excidiis.* Sed iam illud profecto contortum eft et frigidum, quod excidium diluuium dicit. Nempe antea de Ariafmeno dixerat: *faena diffundit focium iuga.* Haec fola *diffundendi* notio caufa fuiffe videtur, cur de diluuii imagine cogitaret."

396. Iam vero, quum tam graue Argonautis fuis periculum inmineret, Pallas ipfa in proelium redit, tantumque terrorum iniicit equis, vt currus falcati in ipfos dominos inruerent, ipfeque Ariasmenus disfecaretur. *Aegida tum primum* (cf. fupra v. 176.) *Pallas caputque Medufae*, cuius terribilem formam circumfcribendo auget poeta: *fpiram Medufae tercentum faeuis fqualentem hydris — fustulit*, ita tamen, vt foli equi viderent. — 398. *Pavor*, (vt perfona confideratus, vti etiam paullo poft *Discordia*, quae Pavori etiam iungitur 2, 204.) *occupat* equos, vt vectores excutiant, *diramque retorquet in focios non fponte luem*, efficit pauor, vt equi inuiti atque infcii cladem agitatoribus fuis inferrent. *Tunc enfibus vncis* falcibus inplicat *Discordia, et trepidos* (fic trepida puppis 5, 221. trepida plauftra 6, 155.) *lacerat currus.* — 402. Hoc inluftratur comparatione a bellis Romanorum ciuilibus defumta. *Romanas veluti legiones Tifiphone mouet regesque*, duces omnino, quo fenfu faepe apud Noftrum habuimus; nihil amplius. Nimis docte de regnum olim adfectantibus Caefare et Pompeio Burmannus, de Galba,

Othone et Vitellio Casaubonus explicare videntur; — *quorum agmina pilis*, hastilibus illis breuibus, ferrea cuspide munitis, quibus plerasque Romani victorias debebant, et *aquilis* vtrimque micant, *eademque Parentis* (sic typis exprimi iussi litera maiuscula, vt sit pro Patria Roma, suadente Friesemanno p. 112.) *rura colunt*; idem *Tibris infelix lectos ex omnibus agris*, omnes adcolas suos *misit non ad haec* ciuilia *proelia*. (Adumbratum ex Virgil. Aen. 4, 646. ensemque recludit Dardanium, *non hos* quaesitum munus *in vsus*). — 407. Sic igitur *Scythas modo*, paullo ante *concordes externaque fata petentes*, non nisi de hostibus caedendis cogitantes *Palladii* a Pallade inmissi *rapuere metus*; *sic in sua* (suorum) *versi funera axes*, currus *concurrunt dominis reuocantibus*, quidquid clamarent retroque vertere cuperent vectores. — 410. *Non tam foeda* adspectu *virum agmina Laurentibus terris eiecere*, (sollemnis vox de naufragis) *Noti*, *nec Libyco talis imago* (in) *litore, quum fractas inuoluunt aequora puppes*, fragmina nauium per fluctus voluuntur. — 413. *Hinc biiuges* equorum, hinc *heriles* aurigarum *artus tenduntur*, omnes et viri et equi vires intendunt, vt contra nitantur, *quos radii* rotae falcatae, *quos frena*, duriori e corio confecta, *secant*, non dissecant, sed vulnerant, cutem laedunt, *trahiturque trahitque* (verborum sic actiua et passiua iuncta saepe ap. Ovidium obuia, cf. infra 7, 594.) *currus caede*, sanguine *madens*, *atroque in puluere regum*, ducum *viscera nunc aliis, aliis nunc curribus haerent*. Ater puluis h. l. est cruore tinctus, vti ap. Virgil. Aen. 2, 272. *aterque cruento puluere*. — 417. *Haud vsquam Colchorum animi* sunt, exserere se possunt, *neque cura*, nil opus est *cauere tela*, *sed misera in peste*, mutua caede *inplicitos et reuinctos confodiunt, ac forma necis non altera*, non alia, eadem vbique *surgit*, ob oculos venit, — *quam vbi venator non Vmbro* venatico cane ex Vmbria, (Vmber hians Virgil. Aen. 12, 754. Seneca Thyeste Act. 3, 498 sq.) *edaci*, (epitheton ornans, nam venatici omnes edaces, nec erat, cur mallet Vossius sagacem.) *non penna petit*. Pennam intellegit Burmannus telum, sagittam. Quidni vero de funiculo, linea, plumis intexta, quam *formidinem* adpellabant venatores, quaque cerui territi in retia aguntur. cf. Ovid. Metam. 15, 475. pinnis includere ceruos. Virgil. Ge. 3, 372. in primis Aen. 12, 750. — *haerentes*, sic pergit Valerius 421. *sed cornibus altis inuenit, et caeca constrictos excipit ira.*

Et hic inpetrare a me non poſſum, Burmanno vt adcedam, qui *haerentes* ceruos arborum ramis inplicitos, et *caecam iram* de inpetu venatoris ex obculto, qui ceruo inexſpectatus ſit, explicat. Ego autem Valerium puto cogitaſſe de ceruis libidine aeſtuantibus decertantibusque de femina, quos ſuis ipſorum cornibus inplicitos venator invenit, et *caeca ira*, furore, qui facit, vt nihil eorum, quae circa ſe fiunt, videant vel audiant, *conſtrictos excipit*, obprimit. — 423. Ariaſmenus ita eſt audax, vt *recollectis armis* ex hac equorum et curruum turba ſe vellet proripere, *ſed acies curuae falcis*, falces acutae *ſecant vndique, partiunturque rotis*, curribus, vt caput forte ab hoc, brachia ab illo, pedes a tertio curru exciperentur. — 425. *atque inde furentia raptus in iuga Circaeos tetigit non amplius agros*, non rediit in proelium. Haec admodum elumbia et frigida.

427. Pugnis grauibus non tam finem hic facit poeta, quam inducias, nam paullo poſt redintegrata videbimus certamina. Iam vero in eo eſt, vt Iunonem ſiſtat animum Medeae Iaſonis amore inbuentem. *Talia certatim Argonautae et Cytaei* Colchi *miſcebant funera*, quidquid hoſtium obcurreret, caedebant, *quum Iuno regina* (v. 430.) Iaſoni ſuo his omnibus nec vellus, nec reditum in patriam parari videns, *extremam molitur opem*, omnes ſibi vires intendendas exiſtimat, prius quam rex perfidus *feras* diu diſſimilatas tandem *aperiat iras*. — 433. *Increpat et ſaeuis Vulcanum* filium *querelis, cuius flammiferos tauros videt Tartaream proſlantes noctem.* Luſum verborum poeta an ſectatus ſit in obponendis ſibi inuicem *flamma* et *nocte*, neſcio; hoc ſcio, Tartaream noctem nil niſi mortem ſignificare poſſe. — 436. *Haec* (Burmannus malit *rex*, quod vt magis perſpicuam reddere orationem non eo infitias, nihil tamen neceſſe eſt, ſi τὸ *rex* e v. 432. repetas. *Haec* ego retulerim ad monſtra, et in ſequentibus poſt *ante diem* interpunctionem mutarim, vt *ante diem* iungendum ſit τῷ *iubeat*, nempe rex). *Haec etenim Minyas ne iungere Marte peracto monſtra ſatis iubeat Cadmei dentibus hydri ante diem, timet*, quae ſic recte ad meam ſententiam procedunt: *Haec monſtra*, tauros igniuomos, *ne* rex proelio peracto iubeat ante diem, citius, quam (Iuno) vellet, aratro iungere, et ſemina ſpargere Cadmei draconis dentes, timet Iuno, et varias circumſpicit artes. Sola animo Medea ſubit, *nocturnis qua nulla potentior aris*, Hecates ſacris

nocturnis, magicis. — 441. Hanc Medeae artem amplificat poeta: *Illius ad fremitus*, murmura magica, (sic recte Burmannus) *sparsosque per auia* sola et deserta loca *sucos sidera fixa pauent*, timent, ne coelo deuocentur — *mutat agros fluuiorumque vias*, vt agri vndis mergantur, fluuii alio alueo incedant; *suus adligat igni cuncta sopor*. Haec non vno modo possunt exponi; ego quidem cum sequentibus: *recoquit fessos aetate parentes* cohaerere arbitror, hoc sensu: omnes, quos arte sua in vitam reuocare promittit, sopori datos et in ahenum coniectos senes recoquit, quod reapse ita eam fecisse notum ex Ovidio Metam. 7, 160 sq. quem omnino consuluisse non poenitebit. — 445. *datque alias sine lege colus*, (Colus, an colos scribas, perinde est.) fata vitaeque terminos hominibus a Parcis praestitutos mutat pro lubitu. *Hanc maxima terrificis modis* famosissima incantatrix *Circe mirata*, *hanc aduena Phrixus*, *quamuis Atracio lunam spumare veneno sciret*, *et Haemoniis agitaret cantibus vmbras*. Et Atracia et Haemonia Thessaliae sunt nomina — quamquam igitur Phrixus Thessalus patriae suae artes bene nouerat, quibus feminae Lunam ad iram ita excitarent, vt spuma in terram herbasque roris instar deflueret, quam veneficae *luna pernocte* Ovid. Met. 7, 268. conligerent. cf. *sanguineam Lunae iram* infra 7, 330. et 8, 83. Virgil. Aen. 4, 513. *messas ad Lunam pubentes herbas*, et Lucani 6, 669. *lunare virus*. — 449. hanc itaque virginem *opibus magicis et virginitate*, quia Dianae erat sacerdos, quae inlibatae debebat esse pudicitiae, (cf. 5, 240. fert *castos* Medea choros) *tremendam*, Iuno Iasoni suo *sociam* auxiliatricem dare constituit. — 451. *Non aliam tauris videt et nascentibus armis*, armatis viris e terra procrescentibus *quippe parem: medio quam si stet in agmine flammae, nullum mente nefas, nullos horrescere visus*. Locus salebrosus, varie tentatus ab interpretibus. Mihi obfendiculo est vocula *quam*, cuius loco, subfragante non vno codice, ponere *quae* et *horrescere* pro Infinitivo, quem vocant, historico sumere liceat; reliqua mihi saltem satis plana videntur: quae si flammis vndique vrgeatur, inuoluatur, vti est 7, 74. mente tamen inmota nec nefas, damnum a flammis, cf. 3, 284. nec adspectum taurorum igniferorum horrescit. Visum pro adspectu, pro rebus, quas videmus, saepius Noster adhibet, v. c. infra 549. 7, 121. etc. non igitur erat, quod mutari nonnulli vellent in *ausus*. — 454. *Quid si*

his omnibus *caecus amor ſaeuusque adceſſerit ignis*, vehemens amor, virgini hucusque incognitus?

455. Ad conſilium hoc ſuum perſequendum Veneris opem ſibi inplorandam rata, (Virgilius etiam Iunonem habet cum Venere agentem Aen. 4, 89 ſq.) *thalamos eius ſemperque recentia ſertis* floribusque *tecta petit*. Deos nempe Deasque ſingulas domos in Olympo habuiſſe, iam ſupra monuimus ad finem libri 4. Ovid. Metam. 1, 172. *Deorum atria nobilium*. Veneris palatium Vulcani coniugis opus erat. Apollon. 3, 36. *μέγα δῶμα Κύπριδος, ὅ ῥα τέ οἱ δεῖμεν πόσις ἀμφιγυήεις, ὁππότε μιν ταπρῶτα παραὶ Διὸς ἦγεν ἄκοιτιν*. Laudat poſt Pium Burmannus Claudianum etiam Epithal. Honorii v. 50 ſq. qui, quamquam non domunculam Veneris in Olympo, ſed antrum in inſula Cypro deſcribit, tamen ita viuis omnia coloribus pingit, vt ab exſcribendo vix temperem. — 456. *qua iam dudum* e longinquo *viſa proſilit altis Diva toris*, honòris cauſa obuiam currit, *volucrumque exercitus omnis Amorum*. Praeter Cupidinem illum, Veneris filium, multi alii eiusmodi pueruli alati in comitatu Deae erant, de quibus Claudianus loco modo laudato v. 71. "mille pharetrati ludunt in margine fratres Ore pares, ſimiles habitu, gens mollis Amorum. Hos Nymphae pariunt, illum Venus aurea ſolum edidit." quae tamen *omnium* Cupidinum mater nominatur infra 7, 171. cf. *Manſo Verſuche* S. 350. — 458. *Ac prior Saturnia ſubplex et placidis verbis* (quibus non ſemper vſa eſt) *adgreditur, veros metuens aperire timores*, curas, ſolicitudines. — 462. *Durus* (vox ambigua, quae et in laudem, et in vituperium trahi poteſt, ad labores obduratus, vel pertinax) *vt*, ex quo *Tirynthius Hercules Argolicis exſulat oris*, (callide ſuam huius exſilii culpam reticet) *mens mihi non eadem Iovis, nullus honor thalamis, nec flammae in nocte priores*, me coniugem minus amat, frigidiores ſunt amplexus. (ingenua profecto ſimplicitas! ſed matronae eiusmodi calamitates in ſinum ſibi inuicem dicuntur effundere). — 465. *Da, precor, artificis blanda adſpiramina formae* artificioſe elaboratum cingulum, quod cuique, qui geſtat, amorem inſpirat, *ornatus tuos, terra coeloque potentes*. Adumbrata omnia ex Homero, qui omnino conferendus Il. 14, 197-214. Eſt autem illi *artifex forma* ἱμὰς ποικίλος — *blanda adſpiramina* θελκτήρια — *terra coeloque potentes* δαμνᾷ ἀθανάτους, ἠδὲ θνητοὺς ἀνθρώπους.

467. *Senſit Diva dolos, iam pridem ſponte requirens* cupiens *genus omne exſcindere Phoebi*, bene memor proteruiae, qua furtiuos amores ſuos Vulcano prodiderat, riſuique totius Olympi expoſuerat. cf. Barthium ad Statii Theb. 5, 59. *tum vero optatis potitur*, hanc diu exſpectatam occaſionem adripuit, *dedit acre* periculoſum *decus*, *fecundaque monſtris*, malis fere incredibilibus, *cingula*, quorum vis egregie exponitur a) negatiue, *quibus non pietas*, amor in parentes, *aut cuſtodia famae*, *aut pudor* (Ehrgefühl, Beſcheidenheit) — b) poſitiue, *at contra leuis*, inconſiderata *et feſtina cupido adflatusque mali* inſidioſi ſermones, blanditiae, *dulcisque labantibus error*, imaginata amoris dulcedine ad peccandum facilis propenſio, *et metus et demens alieni cura pericli*, cura et ſolicitudo de amati vel amatae periculis, quod Medeae adcidit in Iaſone.

478. Hoc igitur cingulo (*arcana venena* adpellat poeta) induta Iuno latae pergit ad Medeam, *Chalciopen ſororem et ſono vocis et forma imitata. Fulſit ab inuitae*, quamquam ſplendorem Deae diſſimilare vellet, *lumen procul*, pauorque et horror ingens Medeam percellit. — 482. *Ergo neſcis, Argonautas huc ignotis fluctibus*, per maria nondum antea tentata, aduenifſe, foedusque cum patre pepigiſſe? *At cetera muros turba* matronarum et virginum *tenet*, quod facere ſolebant in proeliis ad ipſa moenia, vti notum ex Homero Il. 3, 150 ſq. cf. Ovid. Met. 8, 19. 20. *fruiturque virorum coeleſtibus armis*, voluptatem capit ex egregiorum adſpectu heroum. *Tales quando tibi cernere reges*, ſc. licebit, continget? — 488. *Illa nihil contra.* Iuno enim, non exſpectato reſponſo, ſecum abripit in muros hanc tantam celeritatem admirantem. — 490. *Ducitur ad moenia ſumma neſcia mali futuri et falſae commiſſa ſorori.* Commiſſa pendet ab *neſcia*, more Graeco, pro inſcia, ſe commiſſam eſſe. cf. Virgil. Aen. 2, 377. *ſenſit delabſus in hoſtes.* Sic infra 7, 145. *adnoſcit raptata.* — 492. *Lilia velut alba per vernos colores lucent praecipue*, prae aliis ſplendent vernis floribus, *quibus* (*liliis*) *vita brevis* (quod verbum bis etiam Horatius adhibet de roſis Od. 1, 36. 2, 3. 13.) *totusque parumper* per exiguum tempus *floret honor*, vigor atque pulcritudo durat, *fuſcis* atras nubes cogentibus *iam Notus imminet alis*, excutere minatur flores. Fuſcae alae et alibi Noto tribuuntur: ſupra 1, 611. eſt *nocti concolor.*

495. Hanc Medeae inſtantem ſortem ipſa deplorat Hecate. *Deſeris, heu, noſtrum nemus aequalesque catervas*, comites virgines eiusdem aetatis, cf. 7, 181. *Ah miſera, haud ſponte, non iniuſſa tamen* abibis ad Graecas vrbes, *neque te, mea cura*, quam tantopere amo, *relinquam*, deſeram, ſemper tibi adero. — 500. *Magna fugae documenta dabis*, mirae res atque inauditae fugam tuam celebrem reddent, *ſpernere nec vsquam mendaci captiua viro*, noli metuere, ne negligi te atque repudiari a coniuge perfido paſſura ſim, immo vero *magiſtram* Deam, dominam me ſentiet, et *raptu pudendo* turpi *famulae*, ſacerdotis *me dolere*.

503. Medea comite *murorum extrema* turrim conſcendit Iuno, *defixaeque* oculis deorſum verſis *horrent*, quales *inſtanti nimborum frigore* imminentem tempeſtatem praeſentientes *aues ſubcedunt ramis, haerentque pauore*, pauidae arborum frondes denſas petunt. — 507. Depugnantes inuicem gentes nominantur: *Getae, Hiberi, Drancaei, Geloni. Semineces duplicesque* Burmannus explicat vulneribus incuruatos, vti ap. Ovid. Metam. 6, 293. *duplicata vulnere caeco eſt*. Virgil. Aen. 11, 645. 12, 927. vbi *duplicatus poples*, i. e. inflexus. (Heyne). Poſſis etiam ſimplicius de coaceruata ex vtraque parte caeſorum ſtrue intellegere, quod ſuadere videtur ſequens *congeries*; ſed illud doctius. — *miſero luctamine*, vt ſe in pedes iterum erigant, *verſant ſaeuam congeriem*. — 512. Dubium diu proelium eſt et anceps, modo hi, modo illi victores ſibi videntur. Hoc ita effertur: *Victores Geloni patrium Paeana congeminant*, ſemel iterumque cantu laeto victoriam celebrant, canunt ἐπινίκιον. *eadem redeunt mox gaudia victis, qua* (vbi) *Deus et melior belli reſpexit* iterum fauere viſa eſt, *imago* adſpectus. Hanc eſſe poetae mentem, vix dubitandum, vtinam dilucidius expromſiſſet! Heinſius etiam obſendit, coniicitque pro *imago Enyo* i. e. Bellona. Acute, vti plerumque, ſed tum eſſet belli Bellona.

515. Iam ad ſingularia procedit Valerius certamina, eaque tam grauia, vt Muſam ad ea canenda in auxilium vocet. — 517. *Abſyrtus*, Aeetae filius, occaſionem dedit hisce pugnis. *Curru Solis*, aui ſui *coruſcus* incedebat, cuius *vibrantem* (rectius *vibratam*, ſed ſic ſolet noſter: vide 2, 67. vbi vibrat enſis) *cominus haſtam cernere, nec galeam gentes potuere minantem* (recte: nec aliter 7, 577.

galeas enim ferarum ſimulacris terribiliores facere ſolebant; non erat igitur, cur *micantem* legi mallet Heinſius.) — 520. Sed terga vertunt, *magnisque fugam clamoribus augent*, intendunt, faciunt, vt effuſius omnes fugiant. *Proterit inpulſu*, proculcat vehementi inpetu *agmina, corporaque atris* puluere (v. ſupra 415.) *ſternit equis, gemitusque premit ſpirantis aceruí*, finem facit gemitibus exſpirantium, qui diu mortem exoptauerant.

524. *Nec leuior*, non mitior, aeque terribilis *comitatur Aron;* v. ſupra 5, 591. *cuius discolor chlamys*, paludamentum *acu barbarica ardet*, figuris acu, pro more illius regionis, pictis ſplendet, coruſcat, *ſuper arma ſqualentesque aere*, fuſco colore *lacertos, tremefactaque* inflata, fluitans *vento inplet*, totum tegit *equum* a tergo. *Qualis roſeis it Lucifer alis.* Neſcio, quid adciderit commentatoribus, vt de equo Luciferi hic cogitarent omnes, variisque coniecturis non inluſtrarent locum, ſed obſcurarent. Tota comparatio non ad proxime praecedentem equum, cuius non niſi obiter fit mentio, ſed ad ipſum ſpectat Aronem. Hic chlamyde aurata haud ſecus incedit, ac *alis roſeis* aurorae quippe anteambulo (v. omnino *Voſs mythol. Briefe* 2, 9.) *Lucifer, quem Venus inluſtri gaudet producere coelo*, (quod expreſſum e Virgil. Aen. 8, 590. quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes. Apud Claudian. de raptu Proſerp. 121. Venus eumdem nominat *ſuum.* adde Silium Ital. 7, 639. Oceani renouatus Lucifer vnda laudatur Veneri). — 529. At non inde procul *inglorius Armes*, non bello ſtrenuus, ſed *fraude noua*, commento ſingulari *ſtabula et greges furtis inultis* inpune adhuc *depopulare* ſolitus: *frontem* enim *cornibus auxit*, capiti praefixit, vt procerior videretur, *hiſpidus*, horridus, paſſis capillis, *inque Dei latuit terrore Lycaei*, (a monte Arcadiae Lycaeo, non Lyceo) Panis perſonam induit, vt Panicum, quem vocant, obuiis terrorem incuteret. — 534. Hac igitur facie hoſtes aliquamdiu deceptos quum tenuiſſet, *ignotaque formidine* terriculamento inſolito in proelium procederet, *Aron, pauidos*, inquit, nunc putas *magiſtros* pecudum, paſtores, et *ſtolidum petiiſſe pecus, non paſcua, non ſeps* hic tibi, *nocturnis mitte*, permitte, ſerua *haec ſimulacra rapinis*, *ac Deum mihi finge*, (εἰρωνικῶς) *Deus quoque conſere dextram*, nec Deum ego timeo. — 540. Tum vero *intenta planta*, in digitos pedum paullulum erectus *adiutum miſſile*, haſtae maiorem vim roburque

maius addidit, et *labſis villis*, quibus ſe inuoluerat pellibus, *patuerunt* magna, lata *vulnera.*

542. Nec minus fortiter res ſuas agit *Phrixi Aeetia proles*, nepos ex filia Chalciope, Argus. v. ſupra 5, 461. *ac ſe modo laeta*, iucunda, de quo laetarentur, *Cytaeis* Colchis, *modo cognatis oſtentat Achivis* Argonautis. *Atque hos* (cur hoc, quum de vno ſit ſermo? Sed reſpicitur et ad alterum Phrixi filium, Melan, qui iam antea non ſine laude pugnauerat; v. ſupra 196.) vtrumque igitur *gaudens videt Iaſon laudibus in ipſis*, in ipſo actu rerum, quas agerent praeclare. *Macte*, ait, *o noſtrum genus, et iam certa, nec opina Aeoliae domus propago*, gratulor et vobis et mihi, tam fortes habenti cognatos: *ſat magna laborum dona*, praemia *fero*, *ſatis hoc viſu quaecumque rependo*, quae pertuli mala, facile hoc tali gaudio penſantur. — 550. His dictis *emicat Argus in Sueten* (Schrader in Obſervatt. p. 79. mauult *Seuthen*, quod nomen quibusdam Thraciae regibus fuiſſe conſtat. v. Cary Hiſt. des Rois de Thrace Par. 1752. 4. p. 8. 10. 27. 47.) *magnique in fata* ad mortem inferendam *Ceramni*, hunc *poplite caeſo*, inciſo *deiicit*, ſternit, *illum aperit lato per pectus hiatu* (Virgil. Aen. 11, 666. cuius apertum aduerſi longa transuerberat abiete pectus). Nec his contentus Argus vtrumque, *et Zacorum et Phalcen ab equis ingenti aruo porrigit* (τανυσθεὶς Homer. Il. 16, 485. ἐκτάδην κείμενος Alciphron 3, 22. et alibi) vt magnum campi ſpatium obcuparent, *peditem pedes haurit*, confodit *Amaſtrum. Sanguinis ille globos* v. 573. ingentem ſanguinis vndam, *effuſaque viſcera geſtat*, trahit, vel manu reprimere intra ventrem voluit, Homer. Il. 20, 417. νεφέλη δέ μιν ἀμφεκάλυψε κυανέη, προτὶ οἷ δ' ἔλαβ' ἔντερα χερσὶ λιασθείς, *et caſſa* inrita *ira frendens ſublabitur*, procidit.

557. *Dat Calais Briſanta neci, ſemperque propinquas venali comitantem ſanguine pugnas Rhipea*, qui non niſi mercenarius et praemio accepto in proeliorum communionem veniebat. *Centum* nempe *lecta boum corpora*, egregios, magnos pinguesque boues *bellator* (neſcio, quid acciderit Burmanno, qui in *bellatore*, vel in *his ille* aliud nomen proprium latere autumat. Omnia referenda ad vnum Rhipea, vitam pro equis vendentem. Mihi vero *crudelis*, et omnino v. 561. et 562. frigidiusculi videntur) pactus erat, *centumque equos*, his *ille animam lucemque rependit*, vitam aequiparat *crudelis* in ſe ipſum; *tandem*

dulces iam cassus (mel. *fessus*) *in auras respicit, et coelum nulla gaza reparabile.*

563. Labitur et *Peucron, crines per tempora coerula,* erat enim Nymphae marinae filius, *intortos* crispos, fortasse tamen *intonsos, harundine materna* velatus. Mater *Maeotis* obitum eius deplorat, *natumque* desiderans *vocat, iam non per ripas, per curua stagna,* paludis Maeotidos anfractus *volantem, nec in medio truncantem marmore,* glacie constricta palude *ceruos.*

569. *Eurytus* Argonauta *Exomatas agit aequore campi. Nestoris hastae inmoritur* (i. q. supra 244. mediam moriens descendit in hastam) *Helix primaeuus,* in flore iuuentutis constitutus, *nec reddita cara nutrimenta patri,* qui fructus educationis solicitae videt perire. — 572. *At,* ne tamen sine aliqua clade discederent Colchi, *Latagum Zatenque Daraps* adgreditur. Hoc nomen vix sanum esse crediderim eam ob causam, quod supra 66. Daraps ob vulnus in proelio aduersus Persas adcepto huic bello non interfuisse, sed Dathin ducem suum misisse dicitur. Quid si igitur hunc Dathin et hic reponas? — Daraps itaque vel Dathis *illum* Latagum *exigit hasta;* (supra 4, 390. similis est locus, vbi tamen casus quartus: *exigit harpen.* Vtrumque exquisite pro traiecit, interfecit) *hunc* Zaten *fugat.* Hoc ita intellegendum: Zates non exspectato Darapis inpetu fugit, quum Latagi in pectore videret hastam prominere, multumque eum sanguinis profundere, *sanguinis vndam.*

575. Antequam Iasonem ipsum in pugnam producat, quid Medea interea secum egerit, enarrat poeta. Singula dum proelia lustrat, et partim ipsa *densa in caligine,* nubibus puluere coactis, duces adnoscit, partim a *Iunone magistra* nomina illorum cupit edoceri, *conspicit Aesonium caput* Iasonem prae aliis eminentem, et *conspicit longe,* amor enim acuit oculos, totaque in eo occupata est, *huc simul acres oculos sensusque animumque fauentem refert.* — 581. *Nunc quo se raperet,* in quos inpetum facturus, *nunc quo diuersus abiret,* alio loco manus conferturus esset, *ante videns,* coniiciens, suspicans, *quot equos vnus, quot arma funderet,* lanceas hostium frangeret, *quam densis,* crebro repetitis *hastis viros sterneret orantes,* eo adigit, vt de vita subplicentur. — 584. *Quaque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu,* si quando oculos alio circumtulit, sed tacito, non ita cupido, fugitiuo vultu,

animi adfectu vultu expreſſo, *aut fratris* Abſyrti *quaerens, aut pacti coniugis*, ſponſi Stiri *arma*, res ab vtroque fortiter geſtas, *ſaeuus ibi miſerae ſolusque obcurrit Iaſon.* Iunxerim *ſaeuum miſerae*, hoc ſenſu: ſolum ſpectat eum, qui tamen mox ipſi tot curarum atque periculorum cauſa futurus ſit. — 587. *Tunc his germanam*, ſimilatam a Iunone *adgreditur dictis, ceu neſcia*, quaſi non noſſet Iaſonem, optime autem nouerat: *quis, precor, hic, quem iam dudum tueor, quemque ipſa vides?* — 590. *Contra Iuno aſpera*, crudelis ſatis, quae animum virginis perturbatum magis inſtigaret, ac *diris fraudibus vrgueret, haec reddit*, reſpondet ita, vt Iaſonis laudes callide augeat. *Ipſum Aeſonidem cernis*, laudandum eum 1) ob ſusceptum tanti periculi iter, *aequore tanto* per tot maria, *debita* cognationis iure *vellera Phrixi* repetit. 2) ob nobilitatem generis: *nec nunc laude prior generis, nec ſanguinis vsquam.* Si qua generis et ſanguinis differentia quaerenda ſit, quod tamen non adeo neceſſarium eſſe videtur, adcederem Harleſio, qui ita: nemo inter pugnantes maiore laude generis ortusque nobilitatus et celeber eſt, nemo arctiori neceſſitudinis vinculo nobis iunctus. 3) Ob pulcritudinem: *Minyas inter proceresque Cytaeos*, Colchos *emicat effulgens.* 4) Ob fortitudinem: *quantis inſultat aceruis!* quot hoſtium per ſtrages victor incedit! — 597. Tandem incendit eo, vt talis viri vſum dicat breuem futurum eſſe, *mox vela dabit, Theſſaliae opes* Theſſaliam repetiturus. Quod vt bonis auibus faciat, optes mecum. Fruere igitur eius adſpectu, dum licet.

602. At vero, vti Medeam *Iuno* dictis, ita Iaſonem *Marte ſecundo*, felici certaminum, quae hucusque inierat, euentu *impulit, atque nouas egit ſub pectora vires. Ora ſaeua*, dirus vultus *ſub excelſo iam dudum vertice coni* galea *micuerat, curſuque ardeſcit*, acrius intendit curſum, *nec tibi, Perſe, nec tibi, virgo, iubae Achivae* criſtae in galea *laetabile ſidus adparet*, triſtia potius portendit. *Acer vt auctumni canis Sirius*, et *cometae ab Iove vocati*, in aethere conlocati *ad regna iniuſta fatales*, tyrannis perniciem minitantes. Eadem comparatio eſt ſupra 5, 369.

609. *Nec ſua Crethiden*, Iaſonem (v. Tab. genealog.) *latuit Dea*, ſenſit eam ſibi adeſſe, fauere, *ac ſe ſuper agmina tollit*, tantum eminet, *quantus vbi ipſe gelu magnoque incanuit imbre*, pruina, quod ſuadet τὸ incanuit, *Caucaſus*, et *ſummas abiit hibernus in Arctos*, niuium

mole ad sidera vsque procrescit. — 613. Luxuriat poeta comparationum frequentia (trium intra decem versiculos) et coloribus. Tunc vero *stabulis qualis leo* (cf. in primis Virgil. Aen. 9, 339 sq.) *saeuit opimis*, in quibus multae pecudes, *luxurians spargitque famem*, diuidit, non in vno explet, *mutatque cruores*, caedes, ita vt mox hoc, mox illud animal inuadat. (Sic *mutat hostem* Sil. Ital. 5, 286.) Exquisitius et insolentius dicta, quae tamen quodammodo inlustrantur versu sequenti, vbi *non in vna parte* ad *spargit, non in vna caede* ad *mutat cruores* referre voluisse poeta videtur. *Modo saeuo ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnae*, gladio hastaque hostium sensim numerum sibi minuit. — 618. *vndantem crinibus* est vel de densis crinibus, caesarie intellegendum, vt *vndans* idem sit, quod abundans, vti 1, 539. et 3, 117. vel, quod verius, de cincinnis leniter circa ceruicem fluitantibus. — 620. *vastis voluendum mittit harenis*, amplo et arenoso campo vt se volutet.

621. Iam vero in grauiorem incidit aduersarium Iason, ipsius Iovis filium *Colaxen*, qui *iam sua fata complerat*, terminum vitae a Parcis (cf. v. 644.) constitutum adtigerat, quem terminum ne Iupiter quidem ipse poterat proferre. — 624. *Heu mihi!* sic secum Iupiter, quot mihi audiendae essent a Diis reliquis querelae, si filium meum morti vellem subducere, summamque meam in eo potentiam declarare! *Frater* Neptunus *adhuc Amyci* filii *moeret nece*, *cunctaque Divum turba fremunt*, tumultuantur, mecum altercantur. *Quin habeat sua quemque dies* mortis. Sic 5, 12. dies suus admonet omnes. — 629. Sic fatus, *supremos misero honores congerit*, hoc concedit, vt non nisi rebus fortissime gestis obcumbat, vel, vti Valerius ipse addit, *animis moriturum ingentibus inplet*. — 630. *Ille volat campis*, *velut hiberno ab arcu imber*, postquam in coelo Iris adparuit (imbrifer arcus Tibullo 1, 4. 44.) *proruptus*, prorumpens, (proruptam audaciam habet ipse Cicero pro Rosc. Amer. c. 24. proruptum mare Virgil. Aen. 1, 246. proruptum pelagus Sil. 3, 51. proruptum Veseuum Noster 4, 507.) *agens scopulos*, saxa, *nemorumque operumque ruinas*, arbores excisas, magnorum aedificiorum rudera, trabes cet. — *donec ab ingenti bacchatus* (venti in primis poetis saepe bacchantur) *vertice montis frangitur*, vim sensim amittit, *inque nouum paullatim deficit amnem*, ita languescit, vt in tenuem fluuium abeat. — 636. Talis

igitur *extremo aeuo* ante obitum proles Iovis emicat, *nec ſaucius*, et *equo amiſſo* remittit a pugnando, *pedes excipit haſta Tydrum Phaſiadem*, filium Caucaſi ad Phaſidem fluuium natum, *vnde cognomen* traxit; *ferebant*, auferebant cadauer *parentes*, *famulum* ſacerdotem Phaſidis *intonſo nequidquam crine*, alere enim capillos ſolebant ſacerdotio deſtinati.

644. Iamque aliis inſtabat atrox *Colaxes*, quum *diua iniqua* ſaeua Parca *ſupremas rumpit colus*, filum abſcindit, victorque aduenit Iaſon. Excipit hunc ſaeua voce Colaxes: *Vos miſeri, huc veniſtis ſaturare*, ad ſaturandos *Scythiae canes Scythiaeque volucres*. His minis nihil tritius. v. ſupra hoc ipſo libro v. 313. Scythia haud inepte bis poſita, idem enim verbum repetere ira alioue adfectu commoti ſolemus. *Saxumque prehenſum*, *illius et dextrae geſtamen et illius aeui*. Perplacet, ob breuitatem in primis: ſaxum, quod nonniſi talis vir heroicae illius aetatis loco mouere et tollere potuiſſet. Adumbratum ex Homero Il. 5, 304. vbi Diomedes χερμάδιον λάβε χειρὶ — Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε Φέροιεν, οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν. cf. eumdem Homerum Il. 12, 445. et ex eo Virgil. Aen. 12, 896. et, qui enerues ſuae aetatis homines pingit, Iuvenalem Sat. 15, 65. *non hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax, vel quo Tydides percuſſit pondere coxam Aeneae; ſed quem valeant emittere dextrae illis disſimiles et noſtro tempore natae.* cf. Ovid. Met. 3, 60. — 650. *Concuſſa molitur* hoc ſaxum *humo*, viribus intentis e terra eruit, nec tamen ferit, quem vult, *regia Iuno flexit ad ignotum Moneſi*, vnius ex multis, *infletumque* quem nemo deſideraret, *caput*. ἀνοιμωκτὸν ἄνδρα Aeſchylus Choeph. 428. — 652. *Praeceps ille*, Colaxes, *ruit*, *Aeſoniae vulnus fatale*, letale *haſtae per clypeum*, *per pectus abit;* aduolat Iaſon, *mortemque cadentis acerbat*, acerbiorem facit inſultando, ſarcasmis. Exemplum aliud vide ſupra 4, 314.

656. *Spargitur hinc*, ad alios properans, *miſerisque venit iam notus*, teſtes enim fuerant rerum modo fortiter geſtarum, *Alanis*.

657. *At regina* Medea, *neque enim Deus* Cupido *amouet ignem* facem v. 673. *virum perſequitur* oculis ardentibus: *Et iam laeta imagine pugnae minus praeſentis* animum conligit, quod remotius videt proelium, *caſtigatque metus*, *et quas alit inſcia curas*, ipſa ſe reprehendit, quod tam ſolicita ſit de viro peregrino, ipſa ſe celare amorem vult,

quem ſentit reapſe, oriturque leuis adeo ſuſpicio de comite ſua, *reſpiciens, an vera ſoror, nec credere falſos audet atrox vultus,* non diu alit ſuſpicionem, qua tamen iniuriam fortaſſe facere poſſit ſorori, *eademque in gaudia labitur,* vultum denuo explicat, *et ſaeuae trahitur dulcedine flammae,* pernicioſo, quo tamen iucunde adficitur, amore abripi ſe patitur, qui a paruo initio ſenſim ad incredibilem vehementiam progreditur. Hoc inluſtratur comparatione a ventis deſumta. Ac *velut ante comas* extrema ſingularum arborum folia *ac ſumma cacumina ſyluae,* totius ſyluae extremitates *lenibus adludit flabris leuis Auſter* (mollia omnia et apte delecta verba ad tenues ventorum flatus exprimendos, in primis *adludit,* iocatur quaſi. Eamdem imagunculam inuenies ap. Senecam Thyeſte 156. ac tremens adludit patulis arbor hiatibus). — *Protenus immanem miſerae ſenſere carinae,* mox infeſta et inmenſa ventorum vis ita augetur, vt naues mergat — *talis ad extremos agitur Medea furores,* eo amentiae progreditur, vt extra ſe poſita, quid agat, neſciat. — 668. *Interdum blandae derepta monilia* (cingulum, ceſtum Veneris, qui non ſemper pectus cingebat, ſed baltei etiam ad inſtar ab humeris verſus femina deſcendebat. Iacobs Animadv. ad Anthol. Vol. 2. P. 3. p. 309.) *Diuae contrectat,* ludendo tangit primum, *miſeroque* deinde *aptat flagrantia collo; quaque* vbicumque *dedit teneros aurum furiale* nociuum *per artus, deficit,* extra ſe ponitur, *Deae geſtamina reddit; turbata,* animo emota *non gemmis, non leui metallo, ſed facibus, ſed mole* ponderoſis flammis, ſagittis ardentibus *Dei* Cupidinis, *quem toto pectore iam tenet; extremus roſeo pudor errat in ore,* qui genarum antea decor fuerat perpetuus, iam inconſtans vagatur, leuiter tingit malas, mox omnis euaneſcet. Pictura elegans! — 675. Iam amorem non intus et in pectore continet, ſed communicat cum ſimilata ſorore ſolicitudinem, an fidem ſeruaturus ſit pater Iaſoni, cui tantum debeat: *Dis melioribus,* inpenſe fauentibus *Graecus hoſpes contigit patri,* et quam exiguae ſuperſunt belli reliquiae! *quantis ſeſe,* et quidem *pro ignota gente* non tam exponit, quam ſponte *obiicit periculis!*

679. Haec ita loquentem medio in ſermone relinquit Iuno *iam incepti potens fraudisque ſecura,* voti compos, et de doloſi conſilii ſubceſſu certa. cf. *promiſſi potens* Virgil. Aen. 7, 541. *iuſſi potens* Ovid. Metam. 4, 509.

681. *Imminet* prono corpore confpicua *a celfis muris audentius*, inpudentius *inproba*, ardens, nihil aliud cogitans *virgo, nec ablatam fequitur* in vrbem *fororem, nec quaerit*, ne defiderat quidem. At quoties viris armisque premi Iafonem videt fuum, *quumque omnis in vnum imber iit* faxorum et haftarum, *toties faxis pulfatur et haftis*, ipfa fibi vulnerari videtur.

686. *Prima* (aduerbial. pro *primum* vti 1, 1. et fequenti verfu *alta* pro altius) horruit ad *Lexanoris* fagittam, quae tamen non feriit, fed altius Iafonis caput transuolans *Caicum* percuffit, qui nuptias nuper celebrauerat, quod ad miferationis adfectum adcommodate ita effert poeta: *coniux miferanda Caico linquitur*, et *primo domus inperfecta cubili.* Eft ex Homero Il. 2, 701. δόμος ἡμιτελής (Protefilai). ἡμιτελής θάλαμος Anthol. Graeca Iacobs Vol. 2. p. 172. *Fruftra inceptam domum* adpellat Catullus Epigr. 68, 75. vbi vide Cl. Doering. *Sterilem domum* Propert. 4, 11. 62. Cf. Ruperti ad Tac. Ann. 1, 3, 2.

690. *Myraces*, legatus regis Parthorum *Eois ab oris* ex Oriente venerat, vt donis oblatis *foedera non inrita*, firma atque certa cum Colchis et rege Aeeta iungeret. Huic fato deftinatum erat, vt *procul* e remota patria hoc ipfo tempore in Colchida veniret, ac pugnae temere fe immifceret; *fimul armiger ibat feminir* (contemtim, cf. 8, 347.) fpado, eunuchus. *Ipfe* Myraces, *pharetratis refidens ad frena tapetis*, currum regens, cuius fedes pretiofis ftragulis veftita multisque fagittis circumdata erat. (mel. fortaffe *pharetratus.*) *Nunc leuis*, celeriter *infefto curru* adoriens *procurrit in agmina*, nunc *fuga mentita* fimilata *conuerfas* retro *fpargit fagittas*, more Parthorum. (Fuga ipfa fatis audacter fagittas fpargens inducitur.) — 699. *At viridem gemmis* fmaragdis in primis, et *Eoae ftamine fyluae* (Heinfius hoc vltimum mutare voluit in *telae*, vti fupra 623. quod neceffe non eft, iudice Dorvilio ad Chariton. p. 533. ed. Lipf. Porro Eoam fyluam de bombycina idem intellegit Heinfius, contradicente tamen Ezech. Spanhemio, qui de byffo explicat, de vfu et praeft. numismatum T. 1. p. 454. quem omnino de hoc loco confule, nam et tiaram, cuius hic mentio fit, defcripfit, numisque aliquot inluftrauit) — *fubligat* nempe *extrema patrium* (nil muta: eft enim et Mafcul. et Feminin. etiam Graecis ὁ τιάρας et ἡ τιάρα. v. Scholia in Platonem nuper e fchedis Ruhnkenii edita p. 185.) *ceruice*

tiaram. — Non eadem forma fuit tiaris: Phrygia erat planior, nec ita ampla, et ſine loris; Perſica (Parthica) autem turrita magis, et vltra ceruicem protenta. — 701. *Inſignis manicis*, quae ad luxum Orientis pertinent, Romae ſignum mollitiae erant; *inſignis acinace dextro*, in dextro latere, ſecus ac noſtri homines. — *inproba* (quo verbo omnia, quae nimia ſunt, vehementia, pertinacia cet. exprimuntur) quae modum pedis excedunt, *tegmina barbarica plantae*, pedis, calcei *procurrunt.* — 703. *Nec latuere* diu ſpolia illa *Syenen*, gentis Hylaeae ducem. v. ſupra v. 74. *per leuem*, tenuem, *et multo murice* purpura *maculatam tigrim*, fortaſſe ad pellem tigridis per ſe maculoſam reſpicitur, quae maculae tamen purpureis laciniis auctae erant. *concita cuſpis* ſagitta *abit; ſubitos ex ore cruores* (*os* non placet. Quod ſi enim cum Pio ſumas, tigridis caput in cono fuiſſe, tiarae illa ſuperinducta eſſe debuit, quod vix credibile; nec ex cono tantum ſanguinis effluxiſſe videtur, quantum in ſequentibus narrat poeta) *ſaucia tigris hiat*, (hiare actiue ſumtum rarius, apud Propertium tamen Eleg. 2, 31. 6. obcurrit) *vitamque effundit herilem.* Et hoc audacius dictum, nihil enim aliud eſſe poteſt, quam ſanguinem emittit domini, qui ea eſſet indutus. — 708. Quae ſequuntur, ad verbum paene deſumta ſunt ex Homero Il. 17, 51 ſq. *Sanguine tunc atro chlamys ignea* viuidioris purpurae, et *grauidae* vnguentis *comae maduere*, (δεύοντο κόμαι) *quas flore Sabaeo*, nardo vel myrrha *mater nutrierat* inunxerat inde a iuuentute, *liquidoque auro*, in fila ducto, vel in tenues laminas tracto *ſignauerat*, diſtinxerat; (πλοχμοί ϑ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο) *qualem ſi quis aquis* (ἀναβέβρυχεν ὕδωρ) *et fertilis vbere*, vbertate *terrae*, (vbere glebae eſt ap. Virgil. Aen. 1, 531.) *educat, ac ventis oleam* (ἔρνος ἐριϑηλὲς ἐλαίης) *felicibus inplet*, ita conlocat, vt ventis, Fauonio in primis, pateat. Varro de re ruſt. 1, 24. (πνοιαὶ δονέουσι παντοίων ἀνέμων) *iamque videt primam tenero de vertice frondem;* (βρύει ἄνϑει λευκῷ) *quum ſubito inmiſſis praeceps aquilonia nimbis venit hyems* (ἐλϑὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ) *magnaque euulſum tendit harena* (βόϑρου τ' ἐξέστρεψε καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ).

718. Myraces iſte Syenis ſagitta ante ipſius virginis ora cadit, ſed non magis illa mouetur, aequo animo fert, *vnius aegra metu*, de vno Iaſone ſuo ſolicita, quam rebus praeclare ab Argonautis quibusdam geſtis, qui *tempeſtate*

pari eodem inpetu *verſis incubuere turmis*, fugientes hoſtes perſequuntur.

725. *Perſes*, hanc ſuorum fugam conſpiciens, coelum queſtibus inplet. Vos ſuperi augurio inani in errorem me duxiſtis, vt Scythas in patriam excitarem meam. Tu, Iupiter, promiſeras, fratrem iniuſtitiae mihi poenas daturum, promiſeras Graecorum auxilium. *Scilicet!* — 733. *Saeua quidem lucis miſeris mora*, longioris vitae taedet infelices, *hunc tamen fata diem dent, quo fallat Achivos ſic meritos* (deeſt ſubiectum, quod vocant, nempe rex Aeetes. Aptius tamen leges *qui*, ſc. dies) *quoque videam* Iaſonem *tantos flentem* dolentem *ſine honore*, digna remuneratione *labores*.

737. Dixerat, et *pectus ſuis euerberat armis;* hoc voluiſſe videtur Valerius: enſe feriit clypeum, quod facere in proelium procedentes Scythae ſoliti, (v. ſupra hoc libro v. 99.) forſan tamen aliam poſuerat vocem poeta, nam *armis* intra quatuor verſiculos bis poſitum non ſatis placet. — *galeam fletu et ſingultibus inplet*, ſecum dolet, dolorem tamen galea tegit, et iam in eo eſt, vt in medios hoſtes ſe praecipitet. — 740. *Ni prior aduerſis Pallas vidiſſet ab armis*, ex obpoſita acie Aeetae et Argonautarum, quibus aderat, et ſecum: *Ruit in funera*, mortem *Perſes*, quem tamen ipſe Iupiter fratri ſubceſſorem deſtinauit. *Vereor, ne noſtra fraude* dolo maligno *peremtum increpet* Iupiter, *et culpam hanc magno terrore* grauiſſimis verbis *rependat*, vlciſcatur. — 745. *Haec dicens atro amictu* induta *nebulam diffundit*, haſtasque in virum coniectas a capite eius arcet. *Ille turbine*, procella, ſed *clementi*, leni ſuper ſocias gentes erigitur, in altum extollitur, *paullumque leui raptatus in aethra*, aethere, quae eadem forma ſupra 1, 156. per magnum aeris ſpatium abductus, *tandem in extremas pugnae oras*, vltimam aciem delatus, *vbi Iber ferus*, ignauus, tardus ad proelia, *Eſſedoniaeque phalanges Marte carent*, cum aliis non in communionem veniunt pugnae, *ſolisque iuuant clamoribus agmen*, non niſi bellico clamore ſociorum virtutem excitant.

752. Tandem *nox* ingruit, *aſtriferas profert mortalibus vmbras, cadit*, deſinit *belli fragor*, tumultus; Medea muris deſcendit, longum timorem perpeſſa, mox ad maiorem, ad inſtar Bacchae, *reditura furorem. Vt fera*, ſaeua *Nyctelii* (Orpheus Hymno 51, 4. νύκτερος. Virg. Ge. 4, 521.

nocturnus. Ovid. Metam. 4, 15. inter plura Bacchi cognomina et hoc habet) *Bacchi* cui ſacra noctu peragebantur, *per ſacra*, dum ſacra fiunt, *reſiſtunt*, ceſſant aliquantisper a furore, *mox rapuere Deum*, imaginem, ſtatuam eius circumferendam. cf. Euripidis Bacchas, *iamiam in quodcumque ſcelus paratae Thyades*, *haud alio remeat Medea tumultu*, animi perturbatione. — 758. Atque inter Argonautas patrisque duces *Iaſona ſemper adnoſcit* non aberrante oculo, ſed *inexpletis curis*, nihil a cura, amore, ſolicitudine remittens. *Armaque*, *quique caua* (epitheton ornans) *de caſſide* galea *ſupereſt vultus*, exiguam illam faciei partem, quam galea non tegit, facile *adnoſcit*. Heinſius conrigit: *quodque vultus* (Genit.). Recte, nam τὸ *adnoſcit* Accuſatiuum neceſſario requirit; breuius tamen adhuc defungi poſſis, ſi legas *vultum*.

IN LIBRVM VII.

1 — 25. Medea noctem inſomnem transigens ipſa quidem amorem in Iaſona ſibi fatetur, eumdem tamen animo excutere tentat eo, quod, qua ratione vſu eius et conſuetudine in poſterum fruatur, non videt.

1. In fine ſuperioris libri veſpera pugnas diremerat, iam ipſa nox ingruit, *ſoli veniens non mitis* triſtis *amanti*. — 4. *cunctatis extremo in limine plantis.* Satis amplas notas adſcripſerunt interpretes, quibus carere facile me poſſe credidi, ſi, quae poeta narrare omiſiſſet, ſubplerem. Nempe veriſimile mihi viſum, Abſyrtum, regis filium, cum Iaſone ceterisque heroibus palatium regis laetum victoriae nuntium adferentes intraſſe, omnesque lautis exceptos epulis fuiſſe, quibus et interfuerat Medea, (nam poſtero die itidem adfuit v. 78.) quae, quum ſera tandem nocte diſcedendum eſſet, in limine tamen coenaculi paullulum conſtitit, et ſemel adhuc *ad ſua gaudia* reſpexit. — 5. *Conligit aegra toros*, thalamum, et *mens incenſa tenebris.* De oxymoro, ſpero, h. l. non cogitauit poeta, quamquam infra v. 73. *tenebras flammasque* et v. 560. *ardentes tenebras* iungit; nil niſi hoc voluit: per ſilentium noctis, vbi rebus externis ſenſus non turbantur, animus virginis magis intentus ad rem, quae ipſi curae eſſet. — 6. *Vertere varios queſtus*, variare, non vno modo ſecum ipſa queri. — 7. *nec pereat quo ſcire malo, tandemque fateri auſa ſibi.* Hoc Ovidius, quem omnino huc conferre haud

poenitebit Metam. 7, 12. de eadem Medea: *mirum, nisi hoc est, aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.* — 9. 10. *Quo sic peruigil vsque ipsa volens errore trahor?* qui fit, vt noctes, quotquot eunt, lubens tanta animi inconstantia transigam? *Non haec,* non ita inquieta fui *ante tuos vultus*, ante quam te conspexi. — 12. Quos (vultus) *cur tam demens iterum iterumque recordor?* cur semper oculis tamquam praesentes obuersantur? *Quid in hospite solo mens mihi?* (Ovid. v. 21. quid in hospite, regia virgo, vreris?) *Vellera adcipiat, quae sola petit, quaeque vna laborum causa viro.* Non mea causa huc venit, fortasse plane nullam mei rationem habet, nil me curat. Fac vero ita esse, fieri tamen non potest, vt vmquam ad nos redeat, vel vt pater in Thessaliam iter suscipiat. — 18. *Felices* periculorum *eius comites* etc. In his omnibus dissimilantem animum muliebrem ad naturam expressit Valerius. Ita modesta est virgo, vt de se ipsa loqui nolle videatur. Non dicit: Ego numquam Thessaliam adibo, fortasse tamen pater, qui vtinam me itineris sociam adsumat! Porro non dicit: Mallem ipsa comes Iasoni esse redeunti in patriam, sed felices praedico, qui sunt. — 20. *Sed sic quoque talis abito*, quamquam ita formosus iuuenis est, tamen ex animo sensim demittere adlaborabo. — 21. *Tum iactata toro, nimiumque experta cubile* nimis diuturna ipsi nox visa, lectique inpatiens *videt tenui candescere limen Eoo* (iucunda diluculi descriptio, cubiculum inlustrare incipientis). — 23. Sed nec *lux orta insomnem refecit amantem*, nec pleno die ita recreatam se vidit, vti segetes, quae nimio solis aestu marcidae, et capita submittentes, iam tenui pluuia nouum vigorem conligunt, et rectae stant, *languentes quas leuis erigit imber aristas*, nec vti nautae, quibus multos post labores secundi adspirant venti, *grataque iam fessis descendunt flamina remis.*

26 — 31. Iam vero Iason denuo adeundum sibi regem putat. *At sua longarum Minyas iam cura viarum* velleris aurei, cuius causa tot maria erant emensi, *admonet, inque ipso nequidquam tempore regem laetitiae meritique petunt*, maxime obportunum tempus, frustra tamen, rati, quo laetum regi nuntium de victoria adtulissent, in qua reportanda ipsi tam insignem praestitissent operam. — 28. Regem *passus Iason vota prius captasque Deis adcendere praedas.* Locus subobscurus, quod verbum *adcen-*

dere nec votis nec praedis aptum ſatis videatur. Sed ad *vota* aliud verbum ſubintellegendum, *reddere* vel *ſoluere*; ſaepe enim Latini, poetae in primis, duobus vel pluribus ſubſtantiuis vnum iungunt verbum, quam figuram Zeugma Grammatici adpellant. Sic Tibullus 1, 4. 65. *Viuet, dum robora tellus, dum coelum ſtellas, dum vehet amnis aquas*, vbi τὸ *vehit* vltimo tantum proprie adcommodari poteſt. *Praedas* vero *captas adcendere* nonnulli proprie adceperunt, nec aliquando id factum negauerim; quid ſi vero ad eumdem fere modum intellegi voluit poeta, quo Graeci dicunt ϑύειν γάμους, γενέϑλια etc. vt nihil aliud intellegi voluerit, quam ſacra facere Diis ob victoriam. — 30. *Prominet*, in pedum digitos ſe leuat Iaſon, atque *oculos longe tenet*, circumfert, *aurea iam ſi* (an) *pellis* adpareat, *et oblatis clareſcant atria villis*, adportari iuſſum a rege vellus ſplendorem ſparſurum ſit per palatium.

32 — 77. Alia tamen omnia manent Iaſonem. Oratione regis excipitur inhumanitatis, ſuperbiae, acerbitatis iniuſtitiaeque plena. *Rex* autem *vultus* ad ſeueritatem compoſitos *vocesque iam ante paratas*, quas praemeditatus, commentatus eſſet, *aperit*, promit, *rumpitque moras*, et ſine mora *in ipſa morantis* nondum loquuti Iaſonis *proſilit ora*, cum inpetu in eum inuehitur, *talique effunditur ira*, ita tamque multis verbis indignationem effert. — 35. *Quis furor, quisque mei tantus amor* (ironia lepida) *vos, orbe ſatos alio*, (alieni orbis Ovid. l. l. v. 22.) *mediis tot fluctibus* per tot maria interiecta *in has egit oras?* — 37. *Tu mihi prima malorum cauſa, Phrixe: non te aequore merſum* (oratio incompleta) vtinam merſus eſſes *eodem*, *quo ſoror mari*, *vt felix*, absque quo ſi eſſet Phrixo, *nullos Graecos noſſem ego*. Et quae tu mihi narras, (cf. ſupra 5, 475 ſq.) *Pelian*, *Theſſaliam*, *Cyaneas*, *Graeciam* ficta omnia: (ad contemtum exprimendum ignorare ſimilat, quae bene nota eſſe debebant) — *quodnam hominum* (et hoc contemtim) *cerne genus?* — 43. *Quinquaginta Aſiam* (*pudet heu!* quanta vero inpudentia!) *penetrauit Iaſon* (cum) *exſulibus*. Omnia ἐμφατικῶς. *Aſiam*, tam amplam, tot incolarum millibus frequentem, *penetrauit* adoriri ſuſtinet *Iaſon* quidam, terrae filius, cum paucis, *quinquaginta* hominibus, *iisque exſulibus*, quos ipſa patria ciues inutiles eiecit? — 44. *Meque ante alios* Aſiae reges *ſic ſpreuerit vna*, *vna*, inquam, non tam nauis, quam *ratis*, *ſpolium vt viuo*, quod alias non niſi in proelio caeſis

detrahi ſolet, *de rege reportet? Ipſum, ipſum me efferre obuiam,* quae poſtulat, *meos pandere* aperire *lucos,* non petat, ſed *imperet?* — 48. *Age, praedo,* (iam conuitiari incipit) *cur non templis ſacrata auellere dona,* donaria, ἀναθήματα *omnibus, atque ipſas gremiis abducere natas lubet?* (at mox lubebit.) — 50. *Vobisne domos eſſe putem, vobisne parentes* (adrident, quos Burmannus parentum loco ponere ſuadet, *penates,* quae duo vocabula ſaepe ſolent in libris permutari; nec eſt, quod tautologiae ſpecie obfendamur, ſic enim et alibi v. c. 1, 721. *o domus, o freti nequidquam prole penates,* it. infra v. 109. *domum atque poſtes*) — *quos ſola ratis infandis rapinis paſcit,* qui piratica exercenda quaeritis victum. *quos ſaeua hyems paſcit,* qui ipſis tempeſtatibus abutimini ad naufragos exſpoliandos. Sic augentur obprobria: placido mari rapinis viuitis, pecora abigitis et homines, hyeme orta ex ipſis naufragis facitis quaeſtum. — 52. *et quos, credamus, vt ipſis,* nam ipſi fatentur, *rex ſuus inliſit* (bene delectum grauius verbum *inliſit* ſc. pelago, eiecit, exturbauit patria, nec erat, quod pro eo Marklandus mallet *immiſit*) *vetuitque reuerti,* perpetuo exſilio damnauit. — 54. Quae ſequuntur vsque ad v. 57. non tam ad Iaſonem ſpectant, quam Pelian regem. *Scilicet* (quam ridiculum!) *Aeoliae pecudis poteretur vt auro.* Sed *ante Caucaſus meus deſcendet caeſa vmbra,* naues prius, ex Caucaſi mei ſylvis denſis fabricatae, in mare demittentur, quibus ego praedas abigam e Theſſalia, quam velleris aurei copiam ei faciam. *Haud ego cum vittis ſtatui feralibus Hellen,* non video, cur a me repetat vellus rex veſter, qui Hellen non ad aram ſacrificandam duci iuſſerim. (cf. ſupra 1, 43. 2, 589.) — 58. *Si tamen perſtas non aliter,* niſi adcepto vellere, *his cedere terris, ac latet vna neſcio quid plus puppe viris,* ſi ſcilicet praeter viros diuini neſcio quid in naui veſtra latet. Ipridet nempe Aeetes Iaſonis, quam 5, 504. iactauerat, cum Diis cognationem. cf. paullo poſt v. 71. Apollon. 3, 402. εἰ ἐτήτυμον ἐστὲ θεῶν γένος. *haud morabor,* tu modo antea, quae iubebo, perficias. — 62. Eſt ad vrbem campus Marti ſacratus, *horridus,* (Apollon. ib. 411. στυφελήν, quod ſcholiaſta exponit τραχεῖαν) νειὸν Ἄρηος, et *ardentes,* ignem ſpirantes *tauri, vomere preſſo,* aratro iuncti, *me, me adeo cunctantes interdum adnoſcere,* mihi ipſi vix parent. Senectus mea *maiorem rabiem luxuriemque,* luxuriam ad rabiem vsque *dedit.* Iram taurorum

magis exornauit Valerius quam Apollon. 3, 409 ſq. — 67. *Subcede fortiſſime* (iron.) *meae laudi*, mihi, *et noſtras recole*, qui diu quieuerunt, denuo ares, noues (cf. v. 77.) *agros*. (reculta terra Ovid. Met. 5, 647.) *Nec ſemina deerunt*, et eadem quidem, quae ipſe ſpargere ſolebam, *et meſſes, quas ſolus* (hoc obpoſitum ſequentibus *Diis tuis*) *obibam*. Obſcurius hoc innuit rex, non nominatis draconum dentibus, ſperans quippe, haud parem fore tauris Iaſonem. — 70. *Conſiliis* ad deliberandum *nox vna ſatis*, *tecumque cumque Deis tuis*, quos iactas, *haec iuſſa retracta*, probe perpende: *ac ſi quid in iſto robore*, quidquid ſit de tua naui, Diisque tuis, *praedicti venies in rura laboris*, ad modo iuſſos ſubeundos labores. — 73. *Ipſe incertus adhuc, tenebris* noctis te ſtatim *flammisque taurorum inuolui* velari, ſubſocari, *an parumper durare;* paullulum temporis vitam te trahere *velim*, *donec euerſo vomere* proſciſſo *campo ſemina iacias*, *donec miles ſeminis hydri Cadmei exeat*, armata manus ex dentibus draconis propullulet, *et floreſcant pube nouales*, flos iuuenum vigentium e ſulcis modo actis, reculta terra procreſcat.

78 – 82. Quid ad haec Medea? *Prima fuit*, quae tam atrocia patris iuſſa miraretur. *Haeſit*, vix auribus credit, *pallentia ad iuuenem refert ora*, *metuque contremiſcit*, ne forte hoſpes temere audeat, *miſerque putet*, *ſe poſſe* parem fore iniunctis laboribus.

83 – 102. Ipſe Iaſon quodammodo exhorret, perfidiam regis increpat, nec tamen iuſſa recuſat. *Perſtrinxerat* illum leuis *horror, ſtabat defixus in ira*, oculis ad ſolum demiſſis tacita frendet ira *et moeſta*, ideo, quod poſt tam felicem in proelio praeſtitam operam regem in vellere tradendo non amplius tergiuerſaturum eſſe ſperauerat. Hoc inluſtratur a nautis, qui, quum prope abeſſent a portu, denuo in altum proiiciuntur. Haec comparatio inſtituitur v. 83 - 86. ſed mira eſt et lectionis et interpretationis varietas, quam enumerare et examinare, ab noſtro conſilio abhorret. Vnam Burmanni explicationem adtuliſſe ſufficiat, qui omnia de Italia adcipienda, Pharonque non Alexandrinam illam, ſed a Claudio Imperatore (Sueton. c. 20.) ad portum Oſtienſem exſtructam intellegendam eſſe cenſet. Mihi tamen id haud adridet, eam in primis ob cauſam, quod, quum duo nautae nominentur, duos portus in animo habuiſſe poeta videtur. Aegyptum itaque nolim excludi, totumque locum, ita tamen, vt *Ioniusue* et *clarumue* legere

liceat, ſic intellexerim: Non ita ſtupet Etruſcus gubernator, qui portum Tiberis, nec Ionium mare transnauigans, qui *Pharon claram ſerena arce*, ignibus conluſtratam turrim *praeceps* plenis velis *ſubiit* prope adceſſit, in eo fuit, vt intraret, *nusquam oſtia* Nili, *nusquam Auſoniam* Italiam videt, *et* (melius *at*) *ſaeuas adcedere videt Syrtes*, ad breuia illa arenoſa Africae eſſe ſe reflatum. — 87. *Tum tamen infando*, iniuſto, crudeli *tyranno quae det reſponſa, conligit*, meditatur, ſecum reputat, *et tandem obtutu conſurgit ab alto*, vultum hucusque defixum erigit. — 91. *Quo verſa fides? quos veſtra volutant iuſſa dolos?* quas nouas ſtruis machinas, *alium*, alterum, nouum hic in Colchide Peliam, *alia aequora* periculi plenos labores *cerno*. — 93. *Quin agite hoc caput*, hanc vitam meam, me, non tu Pelia ſolum tuque Aeeta, *ſed omnes*, quotquot in orbe terrarum eſtis, *odiis imperiisque*, iniuſtis mandatis *vrguete*, proſequamini, premite! *quamquam mihi dextera, nec ſpes defuerit*. Sic vulgata, et ferri poſſit, ſi, quod ſaepe fit *quamquam* pro *tamen* poſitum, et negatiuum *nec* etiam ad priora trahas: *tamen mihi nec dextra, nec ſpes defuerit*. Sed nec hoc placet; faciliorem ſenſum habebis, ſi, quod olim Columbus voluit, pro *quamquam* reponas *numquam*. — 96. *Vnum oro, ſeu me illa ſuis ſeges obruat haſtis*, ſi me vnum tanta multitudo hoſtium e terra naſcentium conficiat, *hauriet aduerſo ſeu craſtinus ignis hiatu*, tauri ignem e faucibus ſpirantes leto dent, *nuntius hinc ſaeuas Peliae mittatur ad aures*, certiorem faciatis inmanem tyrannum, ſpem, quam conceperat, fore, vt in mari pereamus, eluſam eſſe, *immo hic periiſſe viros, et me, ſi vlla fides*, niſi in alium hic aeque inmanem tyrannum incidiſſem, in patriam potuiſſe redire. His ita dictis *infida praeceps prorumpit ab aula*.

103 — 152. Varii animi motus, quibus exagitaretur Medea, admodum eleganter deſcribuntur. cf. omnino Apollonius 3, 451 ſq. *At trepida*, anxia, *et medios inter parentes*, qui filiabus alias omnia ſunt, *deſerta* inops *virgo ſilet*, ita tamen, vt oculos iam non diutius ſolo defixos habere poſſet, immo vero vultus moeſtos non poſſet non erigere, et ad fores, quibus Iaſon modo prodierat, flectere. Apollon. 3, 444. ἐπ' αὐτῷ δ' ὄμματα κούρη λοξὰ παρὰ λιπαρὴν σχομένη θηεῖτο καλύπτρην — 106. *adhuc inuenit*, contigit, vt conſpiciat *abeuntem*, et diſcedens adeo pulcrior viſus, *tales humeros, ea terga*, robur atque omne virilis

pulcritudinis genus indicantia *relinquit.* — 109. *Illa domum atque ipſos paullum procedere poſtes optat.* Haec Burmannus ita explicat, vt ſimul cum Iaſone domum et ianuam loco moueri et procedere optauerit Medea, ne amores e conſpectu amitteret ſuos. Quae interpretatio, vti vſui τοῦ *procedere*, quod ſexto caſui iungi ſolet, (nec aliter infra v. 306. *procedere tectis*) conſentanea eſt, vix tamen a me impetrare poſſum, vt Medeae tam ineptum adtribuere optatum exiſtimem poetam voluiſſe. Malim igitur hanc verbi *procedere* cum quarto caſu conſtructionem inter ſingularia Valerii, qualia plura, tribus in primis vltimis libris, obuia ſunt, referre, et de ipſa Medea palatio egredi cupiente intellegere, quod et melius cohaerere videtur cum ſequentibus: *et ardentes tenet intra limina greſſus,* h. e. quamquam cupiditate Iaſonem ſequendi flagraret, pudore tamen victa ad ianuas ſubſtitit. — 111. Non ſecus ac olim *Io*, quae, quum ob furtiuam cum Iove conſuetudinem a Iunone, in vaccam mutata Argoque cuſtodienda tradita eſſet, Iovis quidem iuſſu a Mercurio vigilantiae Argi ſubducta formam recepit humanam, ſed denuo a Furiis, inſtigante Iunone per maria et terras exagitata tandem in Aegyptum peruenit. Haec ſi memineris, fuſius ab ipſo Valerio narrata ſupra 4, 351 ſq., plana omnia erunt et aperta. *Vbi Io vaga extremas* Nili *ſentit harenas, fertque refertque pedem,* dubia, quid agat, ex vna parte a Furiis ad proſequendum iter per maria adacta, *tumido quam cogit Erinnys ire mari*, ex altera parte *Phariae vocant trans aequora matres*, inuitant, Deam Iſidis nomine habiturae. Eodem igitur modo *Medea circuit, foribusque apertis inpendet* inretortis oculis moratur, *an melior*, mutata in melius mente, mitior *Minyas reuocet pater, oraque quaerens* deſiderans *hoſpitis* valde inquieta eſt. — 116. Sequitur elegantiſſimus locus, in quo praeclare res ſuas egiſſe poetam, et ad veritatem omnia expreſſiſſe mecum fatebuntur omnes, qui, quae hominum, mulierculaerum in primis, in magna animi perturbatione ſoleat eſſe agendi ratio, obſeruauerint. Et primo quidem ſecum ipſa agit Medea, *ſolo*, ſola *moeret cubili, ſed defecta*, aegra animi; *aut venit in gremium carae ſororis*, ad ſorores enim in eiusmodi anguſtiis prae ceteris confugere ſolent puellae, ſed non diu moratur, *refugit.* — 118. *Loqui*, animum aperire *conata ſilet, rurſusque recedens*, quaſi aliquid oblita, (cf. Apollon. 3, 645 et 681 ſq.)

ſermonem quidem incipit, nec tamen de ſe ſuoque dolore, ſed *quaerit* de aduentu Phrixi olim in Colchida (ſub Phrixi perſona ſuum cogitans Iaſonem) *quaerit, vt aligeri Circen rapuere dracones.* Circe nimirum a Sole patre in Tyrrheniam translata ibi nupſit Pico regi. v. infra 232. et Apollon. 3, 309-313. qui tamen non draconibus, vti Valerius noſter, ſed curru ipſius Solis eam abiiſſe narrat. Apollonius ſequutus eſt Heſiodum, Valerius alios, de quo ſententiarum diuortio vide *Voſs mythol. Briefe* 2, 127. — Cl. Lenzius acute monet, Medeam hoc ex ſorore quaeſiuiſſe, quoniam iam tum peregre abeundi conſilium Circes exemplo animo eius inſederit. — 120. Tum ad aegritudinem animi leuandam *comitum viſu fruitur miſeranda, inplerique nequit.* Hoc, praeſertim ob praecedens *viſu*, interpretari poſſis: *ſie konnte ſich nicht ſatt ſehen;* ſic *expleri nequit* Virgil. Aen. 8, 618. Rectius tamen fortaſſe de *animo* explices, qui expleri non potuit, non inuenit in coetu comitum, quod optauerat, leuamen, minutus eſt dolor, ſed non omnis, et tantum ad breue tempus; *ſubitoque parentibus haeret blandior ſolito, et patriae circumfert oſcula dextrae.* Exquiſite *circumfert*, quod mihi admodum placet: repetitis oſculis non vnam manuum patris partem premit. Non ita Heinſius, qui languorem atque frigus intuliſſe videtur, emendans vel *nunc offert*, vel *rurſum fert* oſcula. — 124. *Sic adſueta toris* puluinis *et menſae dulcis herili*, adulans paraſitus *canis noua peſte rabieque futura*, morbi inpetum iam praeſentiens *ante fugam totos luſtrat queribunda penates*, omnes perrepit angulos. Quod ſimile, quamquam puellas cum animalibus comparaſſe poetas veteres non ignoro, cur hic diſpliceat, neſcio. Tanto magis placent, quae ſequuntur 127. *Tandem etiam molli ſeſe ſemel increpat ira.* Omnia hic bene delecta, nihil abundans: *tandem — increpat ſeſe,* — ſed *ſemel — increpat ira,* ſed *molli. Pergis*, ſic ſe ipſa reprehendit, *demens* in dementia, *teque illius angit imago curaque*, animo aegro obuerſatur ſemper, *qui profuga forſan tenet alta carina*, iam dudum longe abiit, quique tantum abeſt, vt de me ſecum ducenda cogitauerit, *vt ne nomen quidem meum in patriam referat.* Quid autem mea tantopere interſit, *ſuperetne labores* a patre iuſſos, *an cadat*, pereat, (haud perinde tamen ſibi eſſe, ſtatim prodit, addit enim:) *et tanto turbetur Graecia luctu?* dolendum nempe eſſe, ſi tam egregii iuuenis obitum tota

Graecia deploret. — 133. *Saltem, ſata virum ſi iam* in flore aetatis conſtitutum *ſuprema ferebant*, ipſi moriundum erat, *iuſſus ad ignotos*, non cognatos (hoc ſuadent ſequentia: *hac in vrbe, et noſtri de ſanguine Phrixi*) *eſſet ire tyrannos.* — 136. *Namque et ſidereo*, a matre enim Nephele ad Deos genus referebat, *noſtri de ſanguine Phrixi* cognatus *dicitur, et caram vidi indoluiſſe ſororem* meam Chalciopen, quae et ipſa Iaſonem, cognatum mariti olim ſui Phrixi, miſerta eſt. Quod igitur licuit ſorori, quidni liceat mihi? — 138. Iaſon ipſe *miſer ait*, ſe non ſponte ac temere maloque conſilio, ſed Peliae iuſſis actum huc veniſſe. *At* (ſic enim legendum putaui pro *Aut*, nec refragantur Codices) *redeat quocumque modo*, omnia ego monebo, vt redeat ſoſpes ac victor ad aulam noſtram, vt iterum videndi eum voluptas mihi contingat, ita tamen, *vt me iſta precari* et machinari *neſciat*, (admodum placet, quod Lenzii ſagacitas mauult, *reſciat*) *atque meum non oderit ille parentem*, vindictam ſumat a patre. Hactenus ſatis bene, ſenſumque aliquem virginei pudoris pietatisque in parentem Medea retinet. — 141. *Dixerat haec, ſtratoque graues*, curis feſſos *proiecerat artus, ſi* (an) *veniat miſerata quies*, an forte leuaret miſerans; (Proſopopoeia. Sic *miſerata hominum labores nox* 5, 279.) *quum ipſe*, qui aliis quietem dat, *ſopor ſaeuior* adeo *turbat agitque:* per ſomnum vtrumque videt, et patrem et Iaſonem ſubplices: *illa noua formidine* terriculamento *rumpit ſomnos*, exſternatur, cohorrens expergiſcitur, *erigiturque toro;* ſomno omni excuſſo *modo Theſſalicis raptata*, raptari ſibi viſa *per vrbes, famulas adnoſcit caroſque penates;* in Colchide ſe medias inter pediſſequas videt. — 147. Haud aliter *Oreſtes*, qui, quum matrem Clytaemneſtram occidiſſet, *turbidus Poenis*, Furiis (cf. 1, 797.) *caecisque* quos vnde venirent, neſciret *pauoribus* in furorem actus *enſem conripit, et ſaeuae matris agmina*, a Manibus matris inmiſſas Furias, quaſi praeſentes, *ferit, ipſum angues, ipſum horriſoni quatit ira flagelli*, ipſe inſania abreptus capita earum ſerpentibus cincta coram videre, ſcuticasque, quas manibus gerebant, pati ſibi viſus, *atque iterum infeſtae* (Domin. Marius ad Ovid. Amor. 1, 7. 10. laudante Burmanno malit *inceſtae*, adulterae matris, haud male!) *ſe feruere credit agens* (agens pleonaſt. vti Graeci ἔχων. cf. 3, 40. 4, 111. Virgil. Aen. 1, 192.) *caede Lacaenae*, denuo interficere ſibi viſus

matrem, Tyndarei ex Ledae connubio legitimo filiam, *falsaque* opinata *redit de strage Dearum* Furiarum *fessus, et in miserae conlabitur ora*, amplexus *sororis* Electrae.

153 — 170. Iuno denuo conuertit se ad Venerem, opem eius imploratura; Medeam enim videbat *nutantem*, vacillantem, incertam, *nondum extremo parere furori*, amori summo. cf. 4, 667. — 156. *ardor ille prior hebet*, remisit, *leuiorque pudori*, procliuior ad pudorem; *mensque obnixa malo*, obsistit adhuc malo, amoris furori. — 158. *fuluo corusco Olympo*: *Sum memor*, grato animo recordor, *vt* quam beneuole *mecum partita laborem; sed nimis dura manet*, nondum satis mollis atque obsequiosa est, *conuersaque in iram et Furias dolet*, non tam amor animum eius occupat, quam summa tristitia, *ac decepta*, spe potiundi Iasonis deiecta, *me nunc reliquit*, a me inspiratum amorem excutere velle videtur. — 162. *I precor, atque istum*, tam inconstantem, *quo me* consilium meum *frustratur, amorem vince*, euince, fac vt praeualeat, dominetur; *patriis vt tandem euadere*, (exquisitius quam *excedere*, est enim suo ipsius periculo domum patriam relinquere) *tectis, vt tandem Iasonem meum casu* periculo *ab omni defendere audeat.* — 165. *Quin sacro*, magico, *quo freta*, quo tam potens est, *veneno illum adstantem* (et hoc exquisite, excubias quasi agentem) *anguem, et totis* quidem *noctibus, qui nemus omne suum*, suae custodiae creditum, *quique, respice porro*, procul, e longinquo, (δεικτικῶς, vide quaeso illic. *Porro* hoc sensu rarius, et Graeco more (πόῤῥω) vsurpatum; est tamen etiam ap. Virgil. Aen. 6, 711.) *aurea vellera tot spiris, tot ductibus*, tot longis spiris, sinuosa volumina torquens, *circum inplet*, cingit vndique. — 169. *Soluat, et in somnos ingenti soluat ab orno.* Soluat bis repetitum h. l. non placet, et priori loco ponendum *molliat*, vel *mulceat*, suadente Burmanno, vel *sternat*, quod maluit Herelius Ep. crit. p. 71. — 170. *Haec*, vt amorem denuo infundas, *tibi nunc, Furiis atque ipsi* Medeae *cetera mando*, quae si semel inpetu amoris sese conreptam senserit, ipsa sponte res aget suas.

171 — 192. Venus adnuit Iunonis precibus, nihilque aliud postulat, quam vt Iasonem in luco Dianae adesse iubeat. *Tum Venus aligerum Amorum mater* (cf. 6, 457.) antea non tibi defui, quum *ignota animum* Medeae *contingere*, praestringere *cura adgressa es. Data cingula soli*

nostra tibi, nulli alii vmquam concessa, *quibus mota loco labefactaque* (a gladiatoribus sumta translatione) turbata animo *cessit*, obsistere non potuit. — 176. *Cunctantia poscunt pectora me dubiusque pudor*, fluctuans inter amorem et pudorem animus. — 179. *Tu face* (fac) *Iason citus*, celeriter ad delubra Dianae veniat, *sacras vbi fundere taedas*, taedarum lumina multa sacris nocturnis Medea adhibere solet, *et aequali dominam lustrare caterua*, comitantibus aliis eiusdem aetatis virginibus Deam placare. (cf, 6, 497.)— 182. *Nec te nunc Hecates subeat metus*, haec enim suspectam habere Medeam coeperat 6, 495. *ne* forte consilium meum inpedire conetur, *quin audeat opto*, *continuo transibit amor* a Medea ad ipsam Hecaten, *cantuque trilingui* (cui in mentem non veniat Virgiliana Aen. 4, 511. *tergemina Hecate*, *tria virginis ora Dianae?*) *ipsam flammiferos cogam compescere tauros, amplexumque Iasonis pati.* Satis iocosa inrisio Hecates, quam ab amore omni abhorrentem, quamque amare nemo cuperet, eo adigere promittit Venus, vt, si consiliis obesse sustineat suis, tres adeo linguas commoneat, vt potiatur Iasone. — 186. *Volucrem tunc adspicit Irin*, sc. Iuno, quae vix abesse potest, latetque fortasse in vocula *tunc*, vti recte coniicit Burmannus, *festinamque iubet monitis parere Diones*. (Dione proprie est mater Veneris, poetis tamen ipsa Venus hoc nomine venit). — 189. Protenus hinc Iris Argonautas, Venus Medeam petit, Iuno autem in Caucaso monte considet, spem inter metumque diuisa. Sic omnia sibi praeparauit poeta.

193 — 209. Veneris aduentum eminus adeo sentiens Medea cum Iasone absente, et secum ipsa loquitur. *Vix primas arces*, palatii regii fastigia *Venus obculta*, Medeae nondum visa *prospexerat*, *nouus languor*, desiderium *virginis mentem perstringere incipit; ingeminant*, ingeminantur (vt ap. Virgil. Aen. 4, 531. et alibi.) *commotis questibus aestus*, ipso dolore questibusque crescit amor. — 197. *absenti nequidquam talia fatur: Si*, vtinam, *tibi Thessalicis nunc si* (sic ingeminare verba solemus in adfectu animi) *tua forte venenis*, quibus multum valuisse Thessalas notum est, *mater, et heu! si qua est* (alte suspirat, Iasoni fortasse coniugem esse, cogitans) *posset subcurrere coniux!* — 200. *Quidue tuos virgo possim nisi flere labores?* Pro *quidue* Aldina habet *nam quid*, facilius ad sensum, sed τὸ *ve* defendi etiam potest, si ita

interpreteris: Vtinam vel mater, vel coniux iuuare te possint, vel ego adeo ipsa, sed virgo nil habeo, nisi lacrymas. — 201. *Hoc satis* (mallem *haud satis* cum Heinsio: sic enim, quae sequuntur, melius cohaerent) nempe *ipsa etiam casus spectare supremos cogar* comes sororis. Ergo hoc vult: Nec satis est, non permittetur mihi, domi mecum flere inminentia tibi pericula, sed soror, vt antea, coget testem oculatam esse. — 203. Iam secum ipsa loqui incipit: Et nunc ille neminem sua sorte moueri, neminem sui meminisse opinabitur, *cumque omnibus odit me quoque* inmeritam, quae vtinam sciret! tantopere et moueor, et memini, et amo. — 205. Subcurrere igitur nullo modo possum, faciam tamen, si licet, quod potero. *Illum ego, qui cinis vltimus* (pro *cinerem vltimum, qui*) *diris haeserit aruis*, per campum sparsus sit, *ossaque, quibus tauri saeuusque ignis* (ignis taurorum) *pepercerit*, *componam*, vox sollemnis de ossilegio et cinere in vrna condendo. *Fas*, hoc saltem licebit, *tunc mihi manes dilexisse viri*, mortuum, *tumuloque has*, quas nunc sentio, *reddere*, vna condere, *curas*. Adhuc places, Medea!

210 — 236. Venus ipsum penetrale intrat, Circes specie adsumta Medeae adsidet, dolosis verbis patriam relinquendi consilium adiuuat, et ad summum amorem incendit. — 211. *Mutata Deam*, singulariter dictum pro forma, maiestate Deae positis, *mentitaque Circen Titanida*, Titanis, Solis filiam, Aeetae regis sororem. — 213. Medea, velut lenti fallatur imagine somni, quasi per insomnium inani specie decipiatur, *oculos incerta tenet*, ipsa nescit, an visu digna sint, quae videt, *paullatim* primo coniicit, mox *putat magni patris esse sororem*, *tum flebile gaudens* (elegans oxymoron, Homeri δακρυόεν γελάσασα Il. 6, 484.) prosiluit, saeuaeque ipsa obuiam fert oscula. — 217. *O tandem, vix tandem* (iucunda repetitio!) *reddita dura tuis*, quae in dolorem tuorum tamdiu afuisti. Quae te *biiugis serpentibus* (cf. supra v. 120.) egit hinc fuga? *quae mora*, quis locus fuit gratior? — 220. *Ante et Thessalicae carinae petiere*, tantum temporis procul a nobis vixisti, vt interea Thessali, *perque tot infelix frustra vada*, maria *venerit Iason*. Recte ante me monuit Burmannus, Medeam properare, vt sermonem iniiciat de Iasone, in quo eiusque periculis (*infelix — frustra venit*) tota esset. — 222. *Cetera rumpit*, plura loqui non passa est, *obcurritque* regerit *Venus: Tu*, primo sic loco positum ἐναργῶς, amoris habet

ſignificationem, *tu nunc mihi cauſa viarum; ſola* pro *ſolum*, *tantum*, niſi malis poſt *ſola* incidere, ita vt ad priora referatur, ſic: *tu mihi cauſa viarum ſola, tuae venio iuuentae*, tibi iuueni vſuque nondum peritae conſultura veni, (*iam pridem ignaua*). Haec parentheſis confeſſionem mihi continere videtur diuturnae abſentiae: fateor, me nimis diu abfuiſſe, ſed ignoſce, quaeſo, nunc tibi eo ſtudioſius operam daturae. In hac explicatione disſentio ab interpretibus omnibus: *Pio*, qui *iuuentae*, quod mihi Datiuus eſt, pro Genitiuo ſumi maluit, ſubintell. *cauſa*, quod durum; *Heinſio*, qui voluit *ignara*, quod vix ſenſum praebet; *Burmanno* denique, cui placuit *iam pridem gnara*, melius, ſed ſine cauſa. Si mecum pro excuſatione ſumas, optime quadrant ſequentia: abſenti ignoſce, ſed *cetera parce*, noli *queri*, *neu me meliora ſequutam argue*, noli mihi vitio vertere, quod mitius, clementius coelum quaeſierim, *reputemus* (reputes) conſideres mecum beneficam Deorum inſtitutionem, *hunc potius orbem omnibus animantibus* hominibus *communem Deosque crede communes. Patriam inde*, ideo *vocato* patria tibi ſit, *qua*, vbi *redit itque dies*, totus, quaqua ab oriente ad occidentem late patet, orbis terrarum. — 229. *Nec nos, o nata, malignus*, naturae amoenitatibus deſtitutus, inclemens *cluſerit* quaſi carcere *hoc vno ſemper ſub frigore*, perpetua hyeme, vno eodemque tam frigido coelo *Phaſis*. — 230. *Fas mihi non habiles*, aptos, qui non placerent, *fas et tibi linquere Colchos*. Aſtute firmat in animo Medeae patriam relinquendi, a quo iam antea non abhorruerat, conſilium. Nec te poenitebit, vti me non poenituit, nam *Auſonii coniux ego regia Pici, Tuſci domina maris*. Satis magniloqua in his eſt Circe: Mythologi enim Picum ab ea narrant adamatum quidem, ſed, quod ipſam prae Nympha Canente ſpreuerit, ideo in auem huius nominis eſſe mutatum, vti fuſius tradidit Ovidius Metam. 14, 333 ſq. breuius Virgilius Aen. 7, 189. vbi vide Excurſ. Heynii p. 113 et 141. Nec magis vere Tuſci maris dominam ſe iactat, cuius imperium parua inſula contineretur. — 234. *At tibi, miſeranda, quales proci? Sauromatae* nempe, *cui vadis Hibero*, in eius amplexus ventura es, *vel ſaeuo*, rudi, inculto *non vna coniux Gelono*, qui polygamiam amat.

237 — 253. Ad haec Medea *Deae iam dudum ſpernere voces*, non tulit vltra talium procorum mentionem. *Non ita me inmemorem magnae Perſeidos cernis.* Quae iſta

Perſeis ſit, mirum quantum diſcrepent Mythologi et interpretes. Equidem ipſam Circen intellexerim, ſcil. Perſae ſ. Perſeidos filiam. vide Saxe Stemmata Tab. 1. et Heyne ad Apollodorum Tab. 9. (Apollonius 3, 478. Hecaten eam vult Ἑκάτην Περσηΐδα, ergo auiam Medeae.) Hoc igitur vult Medea: Noli credere, te amita dulciſſima ita indignam me neptem fore, *vt infelix thalamos ego cogar*, cogi poſſim, cogi me patiar *in illos*. *I precor*, apage! *atque vnum pro me dimitte timorem*, alia omnia poſſis timere, quam vt talibus procis nubam. — 241. Sed longe aliud me vrit, *tuque*, potes enim, *his*, quae adfligunt animum *eripe curis*. *Nulla quies animo*, *nullus ſopor ardua amanti*, quae magnum aliquod et difficile molior. *Mentem repone* emotam quaſi, *redde diem noctemque mihi*, quas antea tam quiete transegi, *da prendere veſtes* tuas *ſomniferas*, *ipſaque oculos componere* ad quietem, claudere *virga* tua magica. — 248. *Sed et tu*, *mater*, *nil prodes mihi* — *infeſta cerno omnia*, teque ipſam, *cui viperei ſurgunt crines* — 251. *Conlabſa*, animi deliquium paſſa fleuit in *iniquae* fraudulentae *Veneris ſinus*, et ſignis apertis, quid in animo ageretur, prodidit.

254—291. Iam Venus ad rem propius adcedit, ipſiusque Iaſonis mentionem facit ficta oratione. *Occupat amplexu*, *furialia*, exitialia, ad furorem inpellentia *figit oſcula*, *permixtumque odiis*, taedio patriae *inſpirat amorem*. — 256. *Variis moerentem vocibus ambit*, ambagibus vtitur, *inque alio ſermone tenet*, dolorem mox hac, mox illa oratione leuare velle videtur. Noli moerere, *quin*, immo vero *audi*, quae narrabo, *atque adtolle genas*, oculos, vultum erige. — 259. *Quum leuis* curru meo, *ad te*, tua enim ſolius cauſa huc veni v. 223. *modo ſuperis auris*, aere *laberer*, *forte ratem primo* extremo *litore cerno fugientem*, vela, abitum parantem, (aſtute hoc fingit, quo magis Medeam incendat tempusque deliberandi praecidat) nauem, inquam, tam egregiam, qualem ego ex inſula mea numquam dimitterem. — 263. Ex hac igitur naui vnus prae ceteris ita pulcer, vt ipſa mirarer, aduolat, ratusque, me vnam eſſe comitum tuarum, ita adfatur: *Per tibi ſi quis morituri protenus horror*, ſi quis humanitatis tibi ſenſus et commiſeratio hominis eſt, qui in ipſo mortis articulo verſatur, (conſtructio talis τοῦ *per* in iurando et obteſtando haud inſolita; ſic Virgil. Aen. 2, 142. per, ſi qua eſt, quae reſtet, fides, oro, miſerere laborum) *et quem*

non meritis, meritum *videas obcurrere*, obiici *monſtris*. — 268. Haec dominae tuae referas, *illi has voces hasque manus tendo* (hoc *tendo* proprie ad ſolas *manus* pertinet, ſed amant poetae in primis vnum verbum duobus vel pluribus iungere ſubſtantiuis, quamquam vni tantum proprie aptum ſit; omnino ob oculos habuiſſe videtur Valerius Virgil. Aen. 3, 176. tendo ſupinas ad coelum cum voce manus). — 271. *Ipſae, ego quas mecum per mille pericula traxi*, (grauiter dictum, non ſine magno labore per diuerſa maria mecum duxi) *defecere Deae*, deſeruiſſe me videntur. Blanda admodum et adulatoria oratio: quod Deae non poſſunt, id poteſt regia tua virgo, haec mihi Dea erit. *Spes et via ſola*, via ſola, in qua ſpem pono *ſalutis* eſt, *quam ipſa dederit, ſi forte dabit*, niſi temere ſpero. *Ne vota repellat, ne mea*, (adfectus cauſa repetitum *ne*) *totque* numero *animas* viros, *atque haec nomina*, tam inſignes viros *ſeruet*. — 276. Pergit perſuadere exemplis ſuperiorum temporum adlatis, nec ſine delectu. Quum enim tum ſatis pia adhuc in patrem fratremque Medea eſſet, (vide v. 340.) feminas in memoriam reuocat, quarum vna patri, altera fratri mortis cauſae exſtitiſſent, *Hippodamiam* nempe *et Ariadnen*. Illa patrem habuit Oenomaum, Elidis regem. Qui quum oraculo monitus eſſet a genero ſibi cauere futuro, pluribus, qui filiae pulcerrimae nuptias ambirent, procis legem propoſuerat hanc, vt, ſi curuli ſecum certamine contendiſſent, mors victos, victores filia maneret. Sic igitur tredecim, tot enim numerant Mythologi, generoſis iuuenibus interemtis, ad idem certamen ſubeundum adceſſit Pelops, Tantali filius, cuius amore capta Hippodamia patris aurigam vel ſtabuli praefectum ſubornauit, vt clauum aliquem rota eximeret, quo factum, vt rex curru excuſſus paullo poſt obiret. His ita expoſitis, non eſt, quod, quos poeta memorat, *duros Pelopis labores*, *tot procorum ora iugulata, patriosque*, quos filia *exhorruit*, auerſata eſt *axes*, vlterius explicem. Ariadnes autem, *Minoiae virginis* hiſtoria vel tironibus nota eſt, quae, quamquam non, quod Iaſonem dicere iubet Valerius, *ipſa fratrem* Minotaurum *neci dedit*, cauſa tamen mortis facta eſt eo, quod Theſeo filum traderet, quo duce Labyrinthum adire monſtrumque illud biforme trucidare poſſet. His itaque exemplis ad imitandum propoſitis Iaſon pergit Medeam excitare: *Cur non fas ſit et te hoſpitibus dignis* (quibus ſubcurratur) *ſubcurrere, et Aeaeos iubeas miteſcere*

campos, vt purges a tot monſtris eos occupantibus; *occidat morte aeterna*, quae numquam poſtea renaſcatur, *Cadmeia ſeges*, nam dimidiam Cadmeorum dentium partem Aeetae Minerva dederat, (v. Apollon. 3, 1175. Apollodor. 1, 9. 23.) *et tauri viſo hoſpite fumantes*, igniuomi. Wakefield ad Lucret. 3, 1004. emendat: *Te quoque et Aeaeas ſulcis* (nam ſcripti dant *ſubeas* pro *iubeas*) *miteſcere campos*, vel potius: *Te quoque? En! Aeaeos iubeas miteſcere campos: Occidat aeterna tandem Cadmeia nocte* (non morte, nam haec vox ſtatim redit v. 285. et mors poetis dicitur *nox*). *Iam ſeges* cet. Haec igitur Wakef. pleraque acute. — 284. *Heu mihi!* vtinam viuus poſſim perſoluere grates, attamen ſciat, hoc, quod ipſa a ſaeua morte ſeruauit, corpus animamque ipſi me debere ac deuouere. — 286. *Miſerabitur ergo? Dic, ait, an potius?* Abrumpit orationem, quod ſolemus animo commoti, *ſtrictumque ruebat*, in eo erat, vt rueret *in enſem*. — 288. Ne vero manum ſibi inferret, *promiſi* tuo nomine, *ne falle, precor*, fac, vt ſtare me promiſſis ſentiat: quamquam enim *ipſa mouerer adloquio caſuque viri*, miſeratione ducta promta ipſa eſſem ad ſubcurrendum ei artibus meis, *te tamen paſſa rogari ſum potius*, malui hoc eum tibi debere, *tu laude noua*, cuius nondum experimentum feciſti, *tu ſubplice digno dignior es;* (iucunda eiusdem verbi repetitio, Iaſoni non minus, quam Medeae honorifica) *ſat fama meis iam parta venenis*, ego annis prouectior ſatis laudis mihi magicis artibus conciliaui.

292 — 299. Medea ad haec vehementiſſima commouetur ira. *Graui vultu* diu audiuerat, *vix animos iram dextramque continens, quin ipſa loquentis iret*, volaret *in ora Deae: tanta pudor aeſtuat ira*, pudibunda exardeſcit, *verba cauens*, talia vel audire timuit, i. q. paullo poſt: diras cupit euadere voces. — *horror molles inuaſerat annos*. Heinſius olim maluit *artus;* nollem factum! longe doctius magisque poeticum eſt *annos*. Adpoſite laudat Burmannus *aetatem mollem* Ovid. Arte 1, 10. et *rudes annos* Quintilian. Inſtit. Orat. 1, 1. Erat nempe liberaliter educata Medea, quae, adhucdum miſeratione magis, quam amore Iaſonis ducta, ad exempla virginum, quae patres fratresque occidiſſent, propoſita cohorruit. — 296. *Iamque toro*, ceruicalibus *infelix obſtruit aures* — *prenſa*, deprehenſa, in anguſtias coacta *rupta condi tellure premique iam dudum cupit* (optatum ſollemne in ſummo periculo verſantium)

ac diras, quae patrem et fratrem et patriam prodere fuaderent, *euadere voces*.

300—306. Venus pergit admonere, *iubet ſequi*, tandem abit, ita tamen, *vt portis* palatii *exſpectet in ipſis*. Deſertam igitur ſe videt Medea, vt olim *Pentheus*. — 301. *Ceu ſaeuus*, iratus *Bacchus in aula Echionia*, Thebana (cf. infra 544.) *Penthea, iniectis per roſcida*, vino madida *cornua vinclis*, quoniam Pentheus vinculis eum tradiderat, *deſerit*, effugit. (*Iniectis vinclis*, ſuadentibus ante eum Pio, Voſſio, Heinſio et Burmanno, primus in textum recepit Harleſius; priores habent *inſertis vittis*, quod nihili eſt). — 303. *Quum tenet ille Deum*, Deo ſe plenum, in furorem actum animaduertit, *pudibundaque tegmina matris*, habitum Bacchantium (Heinſius mauult *furibundaeque agmina matris*; nil opus!) *tympanaque, et ſubito miſer adcipit haſtam mollem* thyrſum, quo non acuto illo quidem, vti enſis, ſed obtuſo, ad necem tamen a matre ignara eiusque comitibus verberari ſe ſentiret. Bacchum in vincula coniectum a Pentheo poeta noſter ſine dubio ſumſit ex Euripidis Bacchis v. 503-518. quem eumdem iisdem fere verbis expreſſit Horatius Epp. 1, 16, 73 ſq. Necem Pentheo a matre inflictam more ſuo, id eſt, viuidis coloribus et ad miſerationem commouendam apte pinxit Ouidius Metam. 3, 708 ſq. — 305. *Haud aliter deſerta pauet, tectisque negat procedere virgo*. Hactenus adhucdum fortem ſe gerit Medea; amat, miſeratur Iaſonem, miſeranda ipſa magis, quam culpanda, quae ipſarum Dearum lenociniis labefactaretur. Videt adhuc meliora probatque, perſtat in eo, vt domo nolit excedere; at vero

307—322. deteriora mox incipit ſequi. Tanta eſt animi perturbatio, vt adfectus trudat adfectum, vt amorem inter et ſenſum pudoris mens fluctuet. *Contra ſaeuus*; vehementiſſimus *amor*, contra *periturus* indubiae morti traditus *Iaſon, et auditae creſcunt in pectore voces*: ad quae modo obturauerat aures verba, eorum tamen ſemina furtim in animum *delabſa*, radices ſenſim egere, et incrementa ceperunt. — 309. Videt, ſe peregrini hominis cauſa inpiam in patrem ſuaeque ipſius famae prodigam fore, et, quidquid Deorum Dearumve apud ſuperos et inferos eſt, inplorat; *pulſat humum*, quoniam infernalia inuocat numina. Sic vir doctus (Iortin) in Miſcell. Obſſ. Batavis Vol. 1. p. 160. ex Homero Il. 9, 568. γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία, κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσε-

φόνειαν. — *manibusque inmurmurat vncis,* incuruatis, tacite secum loquitur, (arcanum murmur anhelans Sil. Ital. 15, 428.) *noctis heram Ditemque ciens, subcurrere* beare *tandem* diu adflictam *morte velint, ipsumque simul demittere* (recte recepit Harlesius e Bononiensi pro vulgato *dimittere.* Sic Virgil. Aen. 9, 527. 10, 662.) *leto, quem propter furit,* quo non inprecatur mortem Iasoni, sed est amoris significatio, vti Horatii illud Od. 3, 9. 24. *tecum viuere amem, tecum obeam libens.* — 315. *absentem saevissima,* iratissima *poscit Pelian,* optat praesentem habere, vt os inuadat. — 317. *Saepe suas misero promittere,* addicere *destinat,* statuit *artes* magicas, *mox denegat,* (*dein negat* Dorvil. ad Chariton. p. 570. ed. Lipſ.) *atque vna potius decernit in ira.* Quid sibi velit Valerius, facile est ad intellegendum: stat sententia, certa tandem est, suae Iasonem sorti permittere; sed insolentior est verbi *decernere* constructio. — 319. *neque tam turpi semper,* diutius *amori proclamat,* clara voce pronuntiat, *neque opem viresque,* quibus valeat, *ignoto,* peregrino *daturam.* Sic toro recumbit, donec denuo vocari sibi videtur, ianuaeque cardines iterum opinatur moueri.

323 — 345. Mutat igitur subito mentem, opemque Iasoni ferre denuo constituit. Quum ergo *numine* quodam *penitus vinci,* totum animum inpelli, obsideri *sentiret,* et *abscisum* excussum esse, euanuisse, *quidquid pudor ante monebat, tum thalami penetrale* interius conclaue *petit,* vbi herbas seruabat conditas, *auxilia, quae maxima,* praesentissima *norat, pro rege,* principe *Haemoniae,* Thessalicae *carinae quaesitura.* — 327. *procul magicis spirantia tecta venenis,* odores herbarum ex conclaui late sparsi sunt, *oblata contra omnia,* ob oculos habebat totum venenorum adparatum, *quae Ponto,* ex terris Ponto adiacentibus, *quae Manibus eruit imis,* e tumulis, sepulcris conlecta, *et quae sanguineae Lunae distrinxit* (mel. *destrinxit,* detersit) *ab ira,* spumam nempe, quam Luna veneficarum carminibus, quibus coelo deduceretur, irata emittere, et in herbas et gramina effundere credebatur. Similis locus est Ovidii Amor. 2. 1. 23. *carmine sanguineae deducunt cornua Lunae.* In longo eiusdem Medeae medicaminum indice apud eumdem Ovidium Metam. 7, 264 sq. sunt etiam *exceptae Luna pernocte pruinae;* vide et Nostrum supra 6, 447. *Atracio Lunam veneno spumantem.* — 331. Iam vero Iasoni suo potissimum profutura venena eliget. Minime vero. (cf. ad

totum locum Apollon. 3, 801 ſq.) Laudabunt mecum omnes poetae commentum, quo honori Medeae denuo conſulit, ſenſumque pudoris ſemel adhuc in animum eius iubet redire. Quid? ſi his venenis, ita loquentem inducit miſerandam virginem, quid? ſi in me ipſam vtar? *Tune ſequeris*, agas, facias *quidquam*, *aut patiare pudendum*, nefas, *quum tibi tot mortes*, tot herbae mortiferae, *ſceleriſque breuiſſima tanti effugia*, viae, quibus euitare poſſim, breuiſſimae? — 333. *Haec dicens, qua non velocior vlla peſtis erat* — Hoc recepi ex feliciſſima Dorvilii ad Chariton. p. 570. ed. Lipſ. coniectura; vulgata enim: *qua non velocius vlla peſtiferam — luſtrat*, defendi nullo modo poteſt, quum *peſtiferam* non habeat, cui reſpondeat, ſubſtantivum; — ſed talem *peſtem*, efficaciſſimum, praeſentiſſimum venenum *toto nequidquam lumine luſtrat*, oculorum animique aciem intendit, ſed fruſtra, dubia manet, *cunctaturque ſuper*, diutius quaerit, *morituraque conligit iras*, quo diutius inmoratur herbarum luſtrationi, eo maior voluntariae mortis inpetus fit. Sed praeualet mox vitae longioris amor. — 336. *O nimium iucunda dies* vita, *quam cara ſub ipſa morte magis*, numquam gratior atque iucundior, quam quum propius abſumus a morte. (Sed haec ſunt verba poetae, non Medeae.) — 337. *ſtetit et ſeſe mirata furentem eſt*, quae tam temere conſilium ceperit moriendi. Nunc ipſa Medea loquens inducitur: *Occidis heu!* ſic igitur mori vis? *primo potes hoc durare ſub* (redundat, vt ſaepe) *aeuo*. in flore aetatis conſtituta hanc talem animo concipere cogitationem poſſis, et in ea perſiſtere? — *nec lucis*, vitae *videris* percipias *vlla*, nec *iuuentae gaudia? nec dulces* videris *fratris pubeſcere malas*, qui ſolus mas eſt, quem amaui hucusque, amare debui? *Et* (elegans conuerſio, qua poeta ad Iaſonem reuertere iubet Medeam) ſi perſtem in moriendi conſilio, in vna duo moriemur, *neſcis morte tua perire* ſimul *Iaſonem* (cf. Ovid. Metam. 2, 609. *duo nunc moriemur in vna*, et 3, 473. *anima moriemur in vna*) Iaſonem inquam, quem nefas eſſet perire, eſt enim *primaeuus*, aetate quum maxime floret, *qui te nunc inuocat vnam*, in te ſola ſpem omnem atque fiduciam ponit, *qui rogat*, *quemque primum in litore noſtro vidi*. — 344. 345. Iam vero oratio transſilit ad patrem: *Cur tibi fallaces placuit conlungere dextras? Tune poteras iſtis iuuenem non perdere monſtris protenus? ipſa etiam, fateor, tunc ipſa volebam*. Poſt verſum 344. codex regius

habet: *Aeta parens, si poscenti sua fulua negasses Vellera, si patrium vetuisses Phasin adire.* de quibus quid senserit praestantiss. Beckius in noua bibl. philol. Vol. 1. Fasc. 2. p. 169. hic adscribere liceat: "Duo versus, qui sunt in regio codice, nescio quomodo Burmannus pro Valerianis habere potuerit. — Sed vt iam scribitur, non constat oratio; requiritur enim Vocatiuus, ad quem dirigat orationem Medea, neque commode quis dixerit: *tune poteras non perdere* Legendum: *Tunc pater, atque istis*, vt iam docuit Balbus, nec abludit Cod. Carrionis." Hactenus Beckius, cuius sententia haec est, vt, interrogationis nota post *dextras* eiecta, et commate post *pater* posito, sic scribas: *Cur tibi fallaces placuit coniungere dextras tunc pater, atque* (cur placuit) *istis iuuenem non perdere monstris protenus?* Recepi igitur emendationem felicissimam. 346. *ipsa etiam. fateor, tunc ipsa volebam*, voluissem, dum erronem esse Iasonem et piratam opinarer, qui vellus tibi auertere vi vellet.

347—370. Nunc tota in Iasone denuo est Medea, quem antea auersata erat, Circen ipsam implorat, et ad deligendas efficacissimas properat herbas. *Testor cara tuas, Circe Titania, voces*, obtestor, prouoco ad promissa tua (dixerat enim v. 223. *tu mihi causa viarum. — sola tuae venio iuuentae*) *tua me grandaeua*, (grandaeuae) *fatigant*, totam occupant *consilia, et monitis cedo minor*. vel aetate, vt ad *grandaeuam*, vel prudentia, vt ad *consilium* referatur. — 350. Rursus ad Haemonii iuuenis *curamque metumque*, amorem de iuuene solicitum *vertitur*, propter hunc solum *seu viuere gaudens siue mori, quodcumque velit*, cum eo, prout ipsi placeret, et viuere et mori parata. *Maiora* efficaciora *carmina Hecaten*, *maiores vires* praesentiora venena sibi inmittere precatur, *nec notis* vulgaribus *venenis contenta stabat*, pro erat, sed cum ἐναργείᾳ quadam, non stabat otiosa, *sed cingitur sinus ultro* Apollon. 3, 867. *et qua sibi fida magis vis nulla*, quo nullum potentius nosset venenum, *Prometheae florem de sanguine fibrae Caucasium*, in Caucaso monte e sanguine iecoris Promethei prognatum florem, *tonitru nutritaque gramina*, eumdem florem inter tonitrua felicius procrescentem, promit ex arcula, *quae* gramina *sacer* vel Promethei Dei (v. 368.) vel veneficiis destinatus *cruor niues inter tristesque pruinas*, per frigora, hyemes *durat editque* indurat et marcida facit; *cum viscere*, iecinore Promethei *vultur adeso*, depasto

tollitur in aerem auolat *e ſcopulis, et roſtro inrorat* conſpergit *aperto.* Totus locus, mutatis tamen ſubinde coloribus, deſumtus ex Apollonio 3, 851 ſq. Luxuriatur poeta, et magum ipſe videtur egiſſe, ita parum comprehendi nonnulla etiam in ſequentibus poſſunt. (In mente tamen habuiſſe videtur *Colchicum auctumnale* (Herbſt-Zeitloſe, oder wilder Safran) Lenz.) — 360. *Idem ſanguis nec longè finibus aeui,* diuturnitate temporis *langueſcit,* vim amittit, *inmortale virens,* perennis, ſemper vigens, *idem ſtat contra fulmina,* quae nihil contra eum valent, et *in mediis floreſcunt ignibus herbae,* hoc fortaſſe non ſine reſpectu ad tauros igniuomos, quorum flammas iſtae herbae poſſent reſtinguere. — 364. Prima Hecate *harpen,* falcem, cultrum *Stygiis fontibus,* Styge *duratam,* vt chalybis duritiem haberet, *intulit,* ad radicem eruendam admonit, et *validas,* admodum noxias, venenoſas *ſcopulis effodit ariſtas,* caules cum floribus: *mox famulae monſtrata ſeges.* Hecate hanc herbam monſtrauerat Medeae, *quae lampade Phoebes ſub decima,* decimo poſt nouilunium die, vbi luna pernox, *iuga feta* Caucaſi, his herbis abundantis *metit,* (adpoſite ad praecedentem ſegetem) *ſaeuitque per omnes reliquias ſaniemque Dei,* vt quamque Medea radicem reſecaret, ita per Sympathiam, quam vocant, Deus Prometheus in exiguis exulcerati iecinoris reliquiis ſenſit dolorem; *gemit inritus,* fruſtra *Colchidos* Medeae *ora tuens,* quotiescumque videret: *totos tunc contrahit artus monte dolor,* prae dolore totum corpus horret, *cunctaeque tremunt* reſonant *ſub falce catenae.*

371 — 399. Tandem domo excedit Medea. *Talibus infelix* miſeranda *contra ſua regna,* patriam *venenis induitur* (cingitur 355.) inſtruitur, *noctique tremens infertur opacae,* tenebris noctis ſe committit, meticuloſa tamen. — 373. 374. Verſiculi iucundiſſimi! *Dat dextram vocemque Venus,* dextra prehendit, en adſum tibi! *blandisque paventem adloquiis* bono animo eſſe iubet, *iunctoque trahit,* lentam enim metus pudorque faciebant, *per moenia paſſu.* 375 — 381. Non minus ſuauis et ad naturae veritatem adcommodata eſt comparatio Veneris cum aquila matre, quae fetus primum nido educit, et Medeae cum aquila pullo, qui ad primum aeris experimentum faciendum a matre incitatur. *Qualis adhuc teneros ſupremum pallida fetus mater ab excelſo produxit in aera nido.* In priori verſiculo N. Heinſius, qui omnino nodos haud raro quaerere

amat in fcirpo, vel multis membranis pro *fupremum* legi iubet *vbi primum*, quo tibicine opus non eft. Illud *vbi*, quod defiderat Heinfius, eft in *qualis*, quod faepe ita pro *ficut* in comparationibus vfurpari folet. Quod fi igitur disiecta poetae membra ita in ordinem cogas: *Qualis*, ficut *mater pallida*, ipfa meticulofa (non erat, quod Jortinus in Mifc. Obff. 4, 100. reponi iuberet *callida*, ideo, quod Venus non potuerit dici *pallida*. Quidni vero? nondum enim tum certa animi Medeae erat, *tremens* adeo nominatur v. 394.) *fetus adhuc teneros ab nido excelfo in aera fupremum* aethera *produxit* (ἀορίστως producere folet) *hortaturque fequi breuibusque infurgere*, fe extollere *pennis* — omnia habebis plana et perfpicua. — 378. Pulli vt primum latum et immenfum aethera fibi apertum vident, (de auibus nidum primum relinquentibus vide etiam Ouidium Arte amandi 2, 64.) horror eos inuadit, matresque rogant, vt ad nidum redeant. — 380. Haud aliter *per moenia caecae*, obfcurae, noctis tenebris inuolutae *vrbis incedens* Medea *domos filentes*, filentium per totam vrbem dominans *horret*. — 382. *Hic iterum extremae* fed *nequidquam in limine portae* vrbis *fubftitit*, *iterum fletus animique foluti*, denuo lacrymas fundit, denuo animus emollitur, *paullumque his vocibus haefit*, dubiam mentem expromfit. — 385 – 387. Ipfe rogat auxiliumque meum inplorat Iafon. *Labes non vlla pudoris*, *nullus amor* fcil. pudoris. Nonne, nifi labem adfpergam pudori meo, faltem me eiusdem non fatis amantem effe prodam famaeque negligentem? *nec turpe viro feruire precanti*, ad primas preces dedere fe atque emancipare? — 388. Venus nihil contra, *vocesque abrumpit inanes*, fermonem alio dirigit. — 389. *magico fono*, inter cantus magicos et murmura, vti recte Burmannus, per noctis filentia incedit Medea, *monftrataque cedere vultu numina*. Voffius nil mutat, et monftrata numina fumit de ftellis, quae, quum fulgere vix coepiffent, mox poft nubes receflerint. Burmannus vult *lumina*, quod facilius: longe felicius tamen Dorvilius ad Charit. p. 205. *montana* numina, i. e. Oreades, cui emendationi adfenfum ego cum Harlefio praebeo. Nymphae montanae ad cantum magicum Medeae abscondebant fe, *cumque fuis auerti collibus amnes*. Nil mutem, qui fciam, carminibus magicis poetas res efficere vix credibiles, ideoque flumina cum ipfis collibus, ripis, molibus loco mota alias fibi vias aperuiffe; fi quis

tamen cum Burmanno malit *vallibus*, i. e. alueis, vel cum Wakefieldio ad Lucret. 1, 1084. *ſubque ſuis*, nec me diſſentientem admodum habebit. — 392. *Iam ſtabulis gregibusque*, armentis et pecudibus *pauor, ſtrepitusque ſepulcris inciderat*, ipſi manes excitatos ſe ſolicitatosque ſentiebant: *ſtupet ipſa graui nox tardior vmbra*, vltra ſolitum ſe protrahi ſpiſſiorique caligine inuoluta ſibi videbatur. Cf. de his magicis Medeae artibus Apollon. 3, 530 ſq. — 394. Iamque *tremens* de euentu anxia *longe ſequitur Venus;* vtque in ſyluam lucumque Hecates venerant, *ſubito ante oculos nondum ſperatus*, opinione citius *emicuit*, exquiſite pro proſiluit, *viditque prior conterrita virgo*, ad conſpectum cohorruit. — 398. *Atque hinc* (recepi praeeunte Bononienſi et Heinſio pro *hic*, vt ſequenti *inde* reſpondeat) *ſe profugam volucri Thaumantias* Iris *ala ſustulit*, peractis Iunonis mandatis v. 188. relicto Iaſone in Olympum rediit; *inde* ex altera parte *Venus dextrae dilabſa* clam effugit, ſubduxit ſe *tenenti.*

400 — 430. Sic ſola relicta Medea cum ſolo Iaſone. Prius vero, quam ſermonem miſcentes inducit poeta, qui in vtrisque amantibus animi motus exſtiterint, admodum luxurianter non vna, ſed tribus inluſtrat comparationibus. *Obuius vt quum pauor*, terror Panicus obiectus *fera ſub* (abundat) *nocte magiſtris* paſtoribus (cf. 6, 456.) *pecorique ſe inpingit*, (grauius, quam *inciderat*, paullo ante 393.) *qualesue profundum per Chaos*, regnum inferorum, ingenti iacens ore (1, 831.) *obcurrunt caecae*, quae corpora videntur habere, ſed non niſi ſimulacra ſunt corporum, vno verbo inanes *ſine vocibus* ſilentes *vmbrae; haud ſecus* obuiam ſibi facti Iaſon et Medea, *iuxtaque ſubibant*, prope ex aduerſo ſtabant, *abietibus tacitis aut inmotis cypariſſis adſimiles, rapidus nondum quas miſcuit auſter.* Ad verbum deſumta ex Apollonio 3, 967. τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν, ἢ δρυσὶν, ἢ μακρῇσιν ἐειδόμενοι ἐλάτῃσιν, αἵ τε παράσσον ἕκηλοι ἐν οὔρεσιν ἐρρίζωνται νηνεμίῃ. — 407. Ergo, dum ſilentes demiſſoque vultu ita contra ſe ſtant, *noxque ſuum peragebat iter*, in eo erat, vt perageret, diesque prope inlucescere incipiebat, iamiam Iaſonem vultum erigere, *farique cupit Medea priorem.* Bene conſulit pudori virginis poeta, qui loquendi cupidae prioris tamen ſermocinationis partes non tribuit. — 410. Quam vt anxiam multasque fundentem lacrymas, *flagrantesque genas* vidit, *miſerumque*, qui miſericordiam moueret, (Ovidius aliquo-

ties Metam. 10, 411. noſter infra 514. *aegrum*) *pudorem, has tandem voces dedit, et ſolatus amantem eſt.* Solatus? At vero, quae ſequitur oratio, nihil habet ſolatii, immo vero nil niſi querelas de iniquitate patris continet, nec ipſi adeo Medeae parcit v. 518. *Fersne aliquam ſpem lucis?* Hebraismum fere redolet, de quo tamen Valerius non cogitauit: fortaſſe obuerſatus eſt Cicero, qui pro lege Manilia c. 12. *lucem* pro *felicitate* poſuit; veri tamen ſimilius *vitam* noſter voluit intellegi. — 415. *infando*, iniquisſimo, perfido *parenti.* — 418. *ſic te ſub* (πταρέλκει, vt ſaepe) *teſte*, te praeſente, (adfuit enim; v. ſupra 103.) *remitti*, repudiari *fas me tuum*, qui tantopere te colo, amo? *iuſtas da vocibus aures*, aequis auribus aequoque animo audias. — 420. *Nec pater ille tuus tantis me obponere monſtris, aut tales voluit me pendere poenas.* Sic vulgata. Burmannus exemplis aliis, vbi *ille* et *ante* permutantur, motus dubitat, annon ſcribendum ſit: *nec pater ante tuus.* Ego vero non dubitaui in textum recipere. Vt primum, hoc vult Iaſon, patris tui copia mihi facta, egoque vellus ab eo petii, nihil aliud a me poſtulauit, quam vt in debellandis eum Scythis adiuuarem. Adiuui ſtrenue, nec ſine iactura ſodalium. An monſtris me obiicere *nunc* vult, vbi *iacet externa cuſpide*, hoſtili lancea *Canthus?* (6, 317.) *quodque meus veſtris cecidit pro moenibus Iphis?* (Huius nulla fit mentio libro 6. in certamine cum Scythis, et forſan aliquot verſiculi interciderunt. Libro tamen 1, 441. ei praedicitur mors in Scythica arena.) *aut Scythiae tanta inde* ex altera parte *manus* ſcil. cecidit, quod repetendum ex praecedenti verſu. — 424. *Iuſſiſſet*, iubere potuiſſet me *abire perfidus;* iam vero *ſpem mihi promiſſam per quae discrimina rurſus* noua, *et qua lege*, quam duris conditionibus *reddat*, exſoluat, *vides. Obcumbere tandem*, ſi ita fata velint, *poſſumus, idque ſedet*, firmiter apud animum conſtitui (adde *magis*, vel *potius*, quod Latini haud raro, vti μᾶλλον Graeci, ſolent omittere) *quam non quaecumque ſubire patris iuſſa tui; numquam ſine vellere abibo hinc ego*, (hoc *ego* h. l. haud exiguam grauitatem habet) *degenerem*, ignauum, timidum *nec me tu prima videbis.* Satis fortiter dicta, mallem magis blande, quod meo qualicumque iudicio eo poterat, vt renuntiare dicta patri Medeam rogaret.

431 — 461. Medea ad haec reſpondet, tandemque herbas tradit Iaſoni. *Tremens vt ſubplicis* non tam verbis,

quam vultu *ora conticuiſſe viri videt, iamque et ſua verba repoſci*, cupide exſpectari, *nec quibus incipiat demens*, extra ſe poſita, animo vehementer perturbata *videt, ordine nec quo, quoue tenus*, quibus finibus verba contineret, *prima cupiens* (ita plenus animus erat) *effundere voce omnia, ſed nec prima pudor dat verba timenti*, ne vnum quidem verbulum prae pudore potuit proferre. Elegantiſſimus locus, cuius fundus eſt Apollonius 3, 1010. *οὐδ' ἔχεν ὅττι πάροιθεν ἔπος προτιμυθήσαιτο, ἀλλ' ἄμυδις μενέαινεν ἀολλέα πάντ' ἀγορεῦσαι*, quae more ſuo, nec infeliciter, hoc loco ſaltem, magis exornauit Valerius. — 436. *Haeret*, paullisper ſeruat ſilentium, et *vix tandem adtollens lumina fatur:* (et fatur egregie) *Quid*, cur vero, *precor, in noſtras veniſti terras, Theſſale*, e terra tam remota? *Vnde mei*, quae femina ſum, *ſpes vlla tibi? cur non ipſe tua*, qui vir es et heros, *virtute fretus tantos petiiſti labores? Nempe*, ita vero eſt, *ego*, ego inquam, *ſi patriis timuiſſem excedere tectis, occideras*, actum de te erat, *nempe*, et profecto *hanc* (*δεικτικῶς*, manu pectori inpoſita) *animam* meam, me *ſors funeris ſaeua manebat*, ego tibi non ſuperſtes; tecum moritura fuiſſem. (Hanc animam ad Iaſonem refert Burmannus eam ob cauſam, quod in primo adloquio Medea, a morte Iaſonis ſuam pendere, non ſatis decore profiteri potuiſſe videatur. Quam ſententiam premit hoc, quod idem tum bis (cf. *occideras* v. 441) dixiſſe credenda ſit Medea, nec abſonum mihi videtur, virginem, quae iam antea, ſibi ſaltem v. 351. faſſa eſſet, ſe cum Iaſone mori non recuſare, quaeque iam in eo eſſet, vt herbas venenatas traderet, ſimpliciter atque aperte animi ſenſa promere.) — 442. *En vbi nunc Iuno, vbi Minerva tua?* ſola tibi quoniam adſum *externae regina domus*, peregrini regis filia. *Nec adnoſcunt me nunc ſyluae Aeetida*, me, quam non niſi piam Hecates ſacerdotem hucusque nouerant, iam cum peregrino conloquentem. — 446. *Sed victa ſum fatis tuis*, tuo mortis periculo; *cape munera ſubplex* tam vehementer petita, exoptata *non mea*, Maſerius ſubplet: ſed Deorum, aut verius Iaſonis. Heinſius: non mea, ſed Hecates. Quorum nihil ad palatum eſt qualecumque meum. Ego igitur malim iungere cum praecedentibus *fatis tuis victa*, miſericordia tui magis mota, quam animo obſequuta meo tibi do munera iſta. — 447. *Pelias ſi iterum in alios caſus aliasque immittet* mittet, (nil amplius) *vrbes, heu formae ne crede tuae*. Hoc bene

inuentum: laudo pulcritudinem, ſed vereor, vt vmquam terrarum inuenias, quae tantopere te amet, tanto ſuo periculo te velit adiuuare. — 449. *Titania iamque gramina* Promethei, fuſius ſupra deſcripta v. 356 ſq. *Perſaeasque* Hecates v. 353. 364. *ſinu depromere* e zona, *μίτρα vires venena coeperat*, nondum in manus dederat, ſed inter promendum ita pergit: Si quam tamen ſpem ponis in Diis, vel tua ipſius virtute, etiam nunc ſine me inſontem, *miſero dimitte parenti*, ne inpia tui amore in parentem ſim. — 456. *Dixerat, extemplo*, periculum enim erat in mora, quia diluculum adpropinquabat, quod ἀστρονομικῶς ita poeta effert: *nam iam* (ſic enim lego pro *neque enim*, vnde ſenſum commodum extricare non poſſum) *matura ruebant ſidera*, matura nempe occaſui, iam in eo erant, vt occiderent, (*cadentia ſidera* Virgil. Aen. 2, 9.) *et extremum*, qui vltimus omnium, non niſi die inſtante, occidit, *ſubfixerat*, diutius remorata erat ſc. Medea arte magica *axe* ad polum Arcticum (axis enim eſt ſeptemtrio, qui Graecis ἅμαξα dicitur. Sic Seruius ad Virgil. Ge. 3, 351. cf. infra v. 560.) — extemplo igitur, non ſine gemitu tamen et multis lacrymis, iuueni medicamina *non ſecus*, cumque iis *patriam*, *famam*, *decus obiicit*, tradit. *Ille manu ſubit*, prehendit, Apollon. 3, 1014. αὐτὰρ ὅ γ' αἶψα χεροῖν ὑπέδεκτο γεγηθώς, et *vim conripit* feſtinanter *omnem*, totam medicaminum copiam.

462—472. Iam vero Medea eo progreſſa, vnde pedem referre non poſſet, arma Iaſonis magicis artibus firmat atque conroborat, eumque medicaminum docet vſum. *Vbi non reuocabilis vmquam ceſſit ab ore pudor* (ſententiam intexit poeta veriſſimam, vtiliſſimam) *propiorque inpleuit*, conripuit *Erinnys*, non Furia, ſed furor amoris, *carmina nunc totos voluit figitque per artus Aeſonidae*, totum corpus, membra, oſſa et medullas incantando conroborat, *totum ſepteno murmure fertur per clypeum*, ſepties, quo in numero vim aliquam ineſſe crediderunt, tenui voce clypeum per omnes partes conſecrat, *grauiorem reddit haſtam*, pondus addit, *iamque ſui tauris languent abſentibus ignes*, tanta eſt carminum efficacia, vt eminus adeo vim exſerant, ignesque taurorum abſentium minui, deferueſcere incipiant. — 467. *Nunc age et has criſtas galeamque reſume, quam modo funerea tenuit Diſcordia dextra.* Medea ſine dubio galeam aliquantisper ponere Iaſonem iuſſerat; cui quum vim diſcordiae indidiſſet,

reddit. Quod ipſa Discordia, quaſi praeſens, non adſpectabilis tamen, galeam manibus tractauerit, eſt fictio poetica, non nimis premenda. Infra v. 632. vbi galea vim ſuam exſerit, *Tartareo veneno infecta* dicitur. — 469. *Hanc iace per medias, quum verteris aequora*, campum exaraueris, *meſſes*, ſegetem Cadmeam. — 470. *Ipſe fremens*, ira percitus *mirabitur, et me reſpiciet fortaſſe pater*, ſuſpectam habebit.

471 – 487. Alia nunc ſolicitudo miſerae animum premit Medeae. Quid ſi, ſecum ait, Iaſon, beneficii in eum conlati inmemor, me deſerat? Mentem ſuper alta ferebat aequora, Argonautas ſine ſe abire videt, *adripit dextram Iaſonis*, ac *ſubmiſſa*, vultu demiſſo, *profatur:* (molliſſima eſt, quae ſequitur, oratio) Sis memor mei, contra memor ipſa manebo tui. Quando hinc aberis, dic, quaeſo, *profundi* inmenſi *quod coeli ſpectabo latus?* dic, quam coeli plagam petiturus ſic, vt eo ſemper vultum animumque dirigam. *Sed te quoque tangat* aliqua *cura* (modeſtius quam amor) *mei, quocumque loco*, vbicumque terrarum ſis, *quoscumque per annos* vitae tuae. *Hunc te* qualis nunc ſis, quam plena periculi praeſens tua conditio ſit, *meminiſſe velis, et noſtra fateri munera*, mihi ſalutem adceptam referre, *ſeruatum nec pudeat virginis arte.* — 481. *At heu mihi! cur nullos ſtringunt tua lumina fletus*, ne lacrymulam quidem in genis tuis video oboriri. Qui ſenſus tamen exſculpi non poſſit, niſi cum Heinſio ponas *nulli*. Burmannus I. pro *ſtringunt* coniecerat *ſpargunt*, Burmannus II. ad Anthol. T. 1. p. 162. *fingunt*. Palmam ſine dubio praeripuit omnibus Ruhnkenius, qui ſic refingit: cur *nullo tinguntur* lumina *fletu?* v. Santenium ad Propert. p. 915. — *Diſſimulas*, te ipſum celare velle videris, me mox ab irato patre, et merito quidem meo, mortem manere, animus tibi eſt in patria, *te* contra *felicia regna manent et coniux et natae, ego prodita*, neglecta, deſerta *obibo. Nec queror*, ſit ita, *et pro te* (tenerrimi amoris teſtificatio!) *pro te lucem quoque*, vitam adeo, et *laeta* quidem *relinquam*.

488 – 510. Ad haec non minus liberaliter et blande reſpondet Iaſon, fidemque Medeae perpetuam ſanctiſſime pollicetur. — 489. *Tacitis cantibus*, magicis ipſum inſcium *flexerat, et ſimili* mutuo *adflarat amore*. — 490. *Tune* Iaſonem *credis quidquam velle*, in optatis habere, et *vlla*

pati ſine te loca, adire, et laeto animo ibi viuere? — *Redde tyranno* patri, *recipe ingratos atque exſue cantus*, ſoluas incantamenta, vireaque per ea datas reſume. *Quis mihi lucis*, vitae *amor*, *cur patriam* reuiſere *optem*, *ſi non et genitor*, quem falſo in viuis adhuc eſſe credebat, *te* conſeruatricem meam *primam*, prius adeo quam me *amplectitur*, *teque Graecia tuo*, tibi debito *vellere fulgentem gaudens ſpectat*, *et ad primos fluctus*, primum litus *procumbit*, exſpectabunda et gratulatura litus obcupat. Apollon. 3, 995. ἠϊόνεσσιν ἐφεζόμεναι γοόωσι. et v. 1122. τιμήεσσα γυναιξὶ καὶ ἀνδράσιν, αἰδοίη τε ἔσσεαι. — 497. *Reſpice ad has voces*, adtende, et numquam ex animo dimitte, *et iam*, *precor*, *adnue*, *coniux*, en tibi dextram meam, tuque viciſſim cedo tuam; numquam ſine te viuere cupio, coniugio me tuo dignum habere velis. *Per te, quae ſuperis diuisque potentior imis*, (admodum adulatorie!) *perque haec, virgo*, (hoc recepi pro vulgato *ergo*, praeeunte Bononienſi, Heinſio et Cupero Obſſ. p. 283.) *tuo redeuntia* e nubibus, vt iterum conſpiciantur (cf. v. 456.) *ſidera nutu*, — *per has noſtri diſcriminis horas*, quibus quummaxime pericula mihi inſtare video. Cuperus l. l. ex Scholiaſte Apollonii 2, 257. monet, veteres primum per Deos, deinde per infortunia ſua iuraſſe. — 501. *Si ego vmquam* vel meriti tui, vel noctis huius inmemor ſim, tuque, quae mei amore et thronum, et patriam et parentes reliqueris, fidem fallere videas, *tum me non tauros iuuet euaſiſſe, tum me tectis tua turbet in ipſis flamma* (reſpicere hic poetam ad incendium, quod Medea poſtea temporis Creuſae et Creontis domui inmiſit, recte obſeruat Burmannus). — 509. *Audiit, atque ſimul meritis periuria poenis deſpondet*, poenas in anteceſſum meritas periuriis deſtinat, inflicturumque ſe certiſſime ſpondet *Furor*, *queſtus ſemper vltus amantis*, qui queſtus amantium de periuriis ſemper audit, perfidosque poenis perſequitur.

511 — 538. Medea, quum, quam terribilis ſit velleris cuſtos draco, Iaſoni experimento facto oſtendiſſet, tandem in vrbem redit. *Perſtant defixus* eodem loco *vterque*, *et nunc ora leuant audaci laeta iuuenta*, quoties iuuenili confidentia laetitiam prae ſe ferunt, *ora ſimul toties dulces rapientia vultus*, Apollon. 3, 1018. τῆς δ' ἀμαρυγὰς ὀφθαλμῶν ἥρπαζεν. *deiicit hinc vultus aeger pudor*, haec ipſa tamen laetitia ſolicitudine et pudore interpellata eſt, ita vt limis tantum et obliquis oculis ſeſe inuicem ſpectarent;

mora dictis redditur, silentes iterum adstant, mox tamen *rursus conterret Iasona virgo*, nouum narrat ab ipso subeundum periculum. *Adcipe, quis*, quam dirus *in Aeolio*, Phrixi, Aeoli nepotis *maneat te vellere custos. Nondum promissa peregi*, nondum omnia dixi, quae tua caussa factura sim. — 520. Auget periculum: Vix ego arte mea magica, quaeque eam me docuit, Hecate, vix tu tuique sodales fortitudine pares erimus draconi. — 522. Vtque *virum doceat, quae monstra* vincenda *supersint*, *protenus inmensis recubantem anfractibus*, spiris, ductibus v. 167. *anguem turbat*, lacessit, et *Haemonii ducis* Iasonis *vmbram obiicit.* — 525. *Ille, quod haud alias* facere consueuit, *stetit* in altum porrectus, et *trepidantia torsit sibila*, linguam celerrime motam, vibrantem et sibilantem, et *postquam metu*, timidus *circum vellus* se sursum prouoluerat, ita vt tota arbor cohorreret, tum demum obsensiue, quod aiunt, agit, *incipit inde sequi* vmbram, quam videret, *et furit ore*, dentibus *per auras*, *sed vacuo*, aera mandit. — 529. Admirabundus stupet Iason, frigidusque adstat ense stricto. *Medea trahit*, retrahit *ridens*, tandemque *angue represso*, coercito, mitigato, ait: *Hunc tibi postremum parat*, inmittet iratus pater. Heu miser, tantis iterum *carpende* solicitandè *periclis!* — 534. *Vtinam videam te nullo*, facili saltem *labore ipsam caeruleis nexibus*, spiris draconis *squalentem* obfuscatam arborem conscendere, *ipsaque peruigilis calcare lumina monstri. Contingat vix deinde mori.* (*Vix* non placet, quamquam Burmannus saepe idem notare, quod *mox*, *statim*, contendat. Bononiensis habet *sic*, quod rectius puto). — 537. Sic fata *sub extremis vmbris*, aurora adpropinquante *in moenia se retulit* Medea.

539 — 555. Qui Iasonem ancoras soluisse longeque iam abesse crediderat Aeetes, pugnae contra paratum stare in campo eumdem audit; tauros itaque stabulis emitti, et semina promi iubet. *Iam puniceo* Aurorae *regem spes vana sub ortu extulerat, quantis vndis nox vna diremerit*, quantum maris spatium fugiens vna nocte emensus esset Iason; *liberne freto iam vultus aperto*, an libere prospicere in altum possit, *totumque mare sileat vt prius*, (sic ordines verba) nullus remorum remigumque sonitus audiatur, nusquam nauigium adpareat, vti ante Argonautarum aduentum; *dumque ea longe explorare queat*, (*queat?* Librariis sine dubio debetur, non poetae. Pius iam olim pro eo conie-

cerat *parat*, eumque sequutae Aldina, Engentina, Coliniana et Gryphiana. Quid si propius ad literarum ductum scribas *meat*, in eo est, vt montem conscendat, vel litus adeat?) *quum Echion Areas* Argonauta, legatus a Iasone missus, quo munere functum supra aliquoties habuimus 1, 440. 4, 134. et 734. Iasonem tauros in campo Martis exspectare nuntiaret. — 546. *En vocor, en vltro* — *en* bis repetitum ironicam habet admirationem: ita vero fortis est iuuenis, vt me prouocet ipse, *spesque addidit ausa*, obscurius dictum, quod, nisi conruptum sit, nihil aliud significare potest, quam spes auxit ausa, ausa ausis addit. — 547. Rex, quasi aciem instruat, partes distribuit. *Vos mihi, tauri, primum aequora*, planum solidumque campum *in glebas inuertite*, conuertite, comminuite, *nunc totas aperite*, emittite et *voluite* alias post alias *flammas; exeat*, procrescat *messis*, seges *Haemonio colono* (contemtim) *memoranda*, cuius, dum viuet, si viuet, numquam obliuiscetur. *Tuque, nata, tuum draconem da*, obpone *parti Graecorum*, sodalibus circumstantibus, (cf. v. 557.) si forte opitulari Iasoni suo audeant. *Ipsius* solo *adspectu pereant; quin vellera et ipsa terga mihi diros seruent infecta cruores.* Stellulam praefixerunt, et varia hariolati sunt commentatores, quod idem et mihi liceat. Aliquem sensum inuenisse mihi visus sum, si ita interpretarer: *quin*, si ita audaces sint Argonautae, vt cum dracone dimicare sustineant, *vellus aureum et ipsa terga*, draconis nempe *infecta* consperfa *diros cruores*, hostium exsecrandorum, qui rapere vellent, *seruent* memoriae causa, vt signa sint fortitudinis, qua vellus suae custodiae traditum draco defenderit. Erat etiam, vbi *diris cruoribus* Medeae venena significari putarem, legeremque: *diri seruent inlaesa* sc. vellera, ne rapiantur, *cruores*, vt rex pergat mandata dare filiae, vt arte sua magica inungat et vellus et draconem; sed audacius hoc esse ipse confiteor. — 553. *Fatur*, hoc grauius hoc loco, quam *dixit*, habet enim notionem iubentis, et *effusis* e stabulo *tauris iubet aequora pandi*, planitiem aperiri. *Pars*, alii regis ministri *Echionii* Cadmei, Thebani (ab Echione, vno ex Cadmi comitibus, cf. supra v. 301.) *dentis* Singul. pro Plurali *inmania* saeua *semina subeant*, sinu vestium excipiant, (cf. supra v. 460.) — *pars*, alii *aratri diri* (mallem *duri*, quod fere sollemne est aratri apud poetas epitheton, praesertim quum *diri* cruores modo v. 552. adfuerint) *portant graue robur*.

556—563. Iaſon interea ſortem ſuam exſpectat intrepidus. *Pagaſaea*, Theſſala *iuuentus proſequuta ſtipat*, *maxima quisque dicta dedit*, fortitudinem ducis iactat, vociferatur, conuitiatur (ſic *magnum ſonantes* 1, 262. *magna dicta volant* 5, 600.) *ſaeuisque* periculi plenis *procul disceſſit ab agris*. — 559. *Fixerat ille gradus*, compoſuit ſe, intentus ſtetit, *totoque ex agmine ſolus ſtabat*, *vt extremis deſertus ab orbibus* ſtellis *axis*, polus arcticus, (v. ſupra 457.) h. l. Arctos ſidus, Vrſa, *quem iam laſſa dies*, ſol occidens, vt reſpiciatur ad laſſos equos, nox ingruens, *auſtrique ardentis harenae*, nubes harenarum ventis excitatae auſtralis plagae incolis ex oculis ſubducunt, *aut quem Rhipaeas ad arces* montes, in plaga ſeptemtrionali, *exſtantem*, paullulum temporis emicantem, conſpicuum, mox tamen *rurſus nix et coerulei Boreae ferus horror*, (cf. 1, 652.) nubes imbribus grauidae, a Borea coactae, *abstulit*, obſcurauit. Feci, quod potui, vt, quem poeta animo informaſſe videretur, ſenſum eruerem, ſed mihi nondum per omnia ſatis feci. Nimis doctus ſubinde eſſe vult Valerius meus, quo fit, vt obſcurior fiat et, dum nimis ornare rem, quam comparat, contendit, id, quocum comparationem inſtituit, ex oculis amittat. Idem ei adcidit hoc loco, cuius poſterior pars, qua ratione ad Iaſonem commode adcommodari poſſit, non video. Gratiam habebunt lectores, quod Cel. Beckiii l. l. p. 270. ſententiam adſcripſerim. "Intricatus, ait, locus, et memorabilis ob diuerſiſſimas explicationes, quarum vtramque et verba admittunt et contexta oratio. Dorvillii explicatio ad Chariton. p. 591. ed. Lipſ. vt ſit a curru deſerto ducta comparatio, vix placet, quod humilior imago futura eſſet, nec *orbis* videtur dici poſſe pro curru. Plus erit dignitatis, ſi de Arcto interpreteris. *Laſſa dies* dictum eſſe deberet pro lumine deficiente ipſius ſtellae, vt ſit ſenſus: quem tenebrae, puta nubes, aut, in auſtrali terra, arenae concitatae obſcurant, aut in ſeptemtrionali plaga, niues. Quum auſtrum ardentem dixiſſet poeta, hoc ipſum ad obpoſitam coeli plagam transtulit animum, *exſtantem* ornatus cauſa eſt adiectum, nec premendum, quaſi elatior ſit ſeptemtrionalis plaga. — (Sic tamen credidere veteres. Vide, quae ad Calpurn. Sic. Ecl. 1. 74. 75. *Notum iacentem*, *erectumque Boream* adnotauit Wernsdorf. Poet. min. Vol. 2. p. 85. W.) Senſus igitur eſt ſimpliciter, vt Arctos, quae deficientibus reliquis ſtellis ſola deſtituta, arenis et niuibus obſcuratur. Sed

latet adhuc aliquid in *lassa dies;* requirebatur hic noctis mentio."

564 – 572. Ruunt e stabulis tauri, qui, vt primum adparent, omnia vndique conlustrant. Hoc poeta exornat per singulas partes: *subito longissima vnda Phasidis adtoniti*, Phasis per omnes, quamuis admodum extentas, ripas, *Caucasiaeque trabes*, arbores, syluae, *omnisque Aeetia tellus*, tota Colchis *fulsit, et ardentes stabula effudere tenebras.* Mire dictum videri possit. Poeta si hoc voluit, vt stabula e tenebris suis igniuomos emiserint tauros, obscurius mentem exposuit. Fortasse tamen ὀξύμωρον sequutus, in qua figura sibi placuisse omnino videtur, si conferas huius libri v. 5. *tenebris incensa* mens, et paullo post 585. *frigidus ignis.* Optime, vti et Burmannus vidit, h. l. de fumosis flammis exponi potest, vt Apollonii λιγνυόεντα καπνόν 2, 133. et 3, 1290. imitari poeta voluerit. — 567. Hi tauri comparantur cum fulminibus propter ignes, cum ventis ob celeritatem. *Velut si quando ira Iovis*, iratus, tonans Iupiter *geminos ignes* duo fulmina simul *torsit mortalibus*, (rubente dextra iaculatus Horat. Od. 1, 2.) *aut* duo quum pariter carceribus suis emissi in aera euolant venti, *sic vterque taurus clauftris*, stabulis *euadit*, proruit, *et immani turbine* inpetu *proflat flammas arduus*, erecto capite, *atque atro*, fumoso *voluens incendia fluctu.* cf. Apollon. 3, 292. et Voss mythol. Briefe 1, 190.

573 – 575. *Horruit Argoae legio ratis*, *horruit* iam *audax*, *qui modo virgineis seruari cantibus Idas flebat*, paullo ante indignatus erat, quod salutem non lacertis virilibus, sed muliebribus cantilenis adceptam referre deberet, et *inuito* maligno Medeam *prospexerat*, adspexerat *vultu.* Huius indignationis nullam in antecedentibus mentionem fecit noster, Apollonius tamen non vno loco. 3, 556. 1169. 1251.

576 – 606. Ipsa pugna cum tauris narratur. *Non tulit Iason moras.* diutius continere se non potuit, *seseque inmisit*, propius adcessit ad tauros *diuersos*, non vna, sed diuersis viis incedentes *dum videt; et errantem dextra ciet obuius ignem*, diuersis locis circumuagantibus, necdum videntibus, quo inpetum dirigant, tauris elata manu ipse prouocando insultat Iason. — 579. Vt tandem, qui prior *aduersi*, obuiam euntis *Iasonis arma* fulgentia *respexit*, constitit, et *toruo se lumine flexit*, *cunctatus paullum*, quod faciunt boues irati, in primis syluestres, *subito furit*.

Aequora irata, fluctus hyeme commoti *non sic*, eodem inpetu, eadem celeritate in scopulos ruunt, et *fracta cedunt retro; bis fulmineis* igneis *se flatibus infert*, *obnubitque*, obnubilat, fumo vaporibusque inuoluit, sed Medea *adspirare* adtingere flatu non sinit Iasonem, *clypeoque inliditur ignis frigidus*, vim amiserat, deferbuerat, *et viso pallescit*, alias rubicunda, *flamma veneno*. Satis audacter dictum. — 587. *Incitat* Iason *dextram*, intendit, robur omne conligit, *inque ardentia mittit cornua*, deinde *totis propendens viribus*, toto corporis pondere *haeret*, ex cornibus se suspendit. cf. Cl. *Boettiger* im *Gothaischen Hofkalender* 1804. S. 40—54. *Taurus, virum atque ipsam te, Medea, recusans* (ingeniose Slothouwer p. 181. *refutans*, vti 6, 123. vulgatum tamen aeque bonum mouere nolui) robur domitori ab ipsa Medea additum nihili habens *concutit*, excutere cornibus contendit, contingitque adeo, vt ira conlecta obnitentem Iasonem aliquantisper humo elevaret, et in aere pendentem cornibus portaret, sed *iners*, frustra; tandem *residens*, in genua procumbens, *grauius mugire* incipit, et *fesso cornu victus descendere*, procidere, qua notione est etiam 1, 686. 6, 244. — 591. Respiciens ad sodales Iason postulat vincula, *ora* caput *tauri premit*, *trahiturque trahitque*, (cf. 6, 414.) *obnixus genu superat*, ne resurgat, insistit, *toros* ceruicem *sub iuga ahena cogit*. — 596. Alterum deinde *turbida*, de Iasone suo solicita Medea taurum *exarmat*, ferociam eius frangit, mansuetiorem facit, *obfert*, sistit ad pugnam *lentum*, tardiorem et *minantem*, sed *timide* minantem, iamque *propinquanti noctem inplicat*, caligine tauri oculos obnubilat, vt Iasonem praetercurrat; tum vero *fatiscens*, fatigatus, quo maiori inpetu inrueret, eo grauiori labsu in terram procidit; quo facto *desuper incumbit*, insilit humeris eius *Iason*, atque suis *defixum* (vix commodum dat sensum, scripsitque forsan poeta *defessum*, vel, quod Burmannus coniicit, *defectum*) *flatibus*. — 603. *Suscitat ipse genu*, ad surgendum inpellit latus fodiendo, *saeuaque agit hasta*, qua pro stimulo vtebatur, vt pedes conriperet taurus in arando. — 604. Iasonem, taurorum victorem, comparat poeta cum primis equorum domitoribus Lapithis, imagunculam tamen nimio exornandi studio obscurauit. *Non aliter, quam si* (ex) *telluris hiatu terga recentis equi* a Neptuno tridenti terram percutiente procreati, *inuasit*, celeriter conscendit, *primumque inuasit habenis murmur*, frena iniecit, quid-

quid frenderet et recuſaret equus, *et in ſumma Lapithes adparuit Oſſa*, hunc enim montem et terras circumiacentes Lapithis adſignant poetae.

607—621. *Ille* Iaſon (en alia comparatio!) velut fertiliſſima arua, *campos Libyes* Africae (cf. Libycas areas Horat. Od. 1, 1. et ibi Iani) Aegyptique, *pinguia Nili fertilis arua ſecat*, ſic plena manu *ſemina ſpargere gaudet*, laetus atque confidens, *oneratque noualia bello*, terrae vomere proſciſſae immittit materiem belli, ſemina, e quibus mox multi armati contra ſe inuicem depugnantes procreſcerent. Apte comparat Burmannus locum, e quo ſine dubio profecit Valerius, Propertii 3, 9. *Colchis adamantina ſub iuga tauros egit, et armigera proelia ſeuit humo.* cf. etiam infra 8, 138. *vbi complentur litora bello* — 610. In ſegete iſta ſenſim creſcente haud iniucunda vſus eſt gradatione poeta: Et *primo* quidem *ab ipſo vomere* in ipſo arandi opere *Martius clangor fuſus*, auditus eſt e longinquo, tum *ex omni ſonuerunt cornua ſulco;* porro *bellatrix*, viris armatis grauida *dum gleba quati*, moueri incipit, *pariterque creari armarique phalanx*, legiones proueniunt armis ab ipſa natiuitate indutae, tandem *totis inſurgere campis*, omnem complent planitiem. *Ceſſit*, receſſit *paullulum heros ad ſocios*, non timore, ſed *opperiens*, exſpectans, *vbi prima aduerſo ſibi daret agmina tellus*, vbi primum pugnandi locum darent terrae filii. *Vt vero iam rura recedere* dimoueri, ſindi *ſummis criſtis* galearum, et *infeſta caſſide vibrantes* (intranſitiue, vti saepius ap. noſtrum v. c. 2, 342. 6, 518.) *terras*, ipſas iam hoſtiles galeas ſplendorem e terris emittere videt, *aduolat*, *atque imo tellus qua proxima collo*, vbi capita tantum adhuc et colla exſtarent, necdum humeri *videre diem*, emerſiſſent, *prior enſe ſequaci*, obſequioſo, facili (Apollon. 3, 1388. ἅρπῃ εὐκαμπής) *aequat humo truncos*, prope terram demetit; *rutilum thoraca ſequenti*, *aut primas a matre* terra porrectas *manus premit obuius ante.* Locum ſalebroſum facit *ſequenti*, quod quum ob proxime praecedens *ſequaci*, tum ob conlocationem non placet. Quod ſi tamen iungas verbo *premit*, tum ferri poſſit, hoc ſenſu: Colla amputat, prius quam humeri ſubcreſcerent, *ſequenti* (ſequentibus) qui *poſt hos* vel thoracem vel primas manus (digitos) protruderent, hos obcupat, nec patitur vltra prouenire. Poſſis etiam legere *ferenti* i. e. proferenti. Sed nil opus.

622. At vero *aut illis, aut illis* tot vndique emergentibus *millibus* non magis *ſubſicit*, parem ſe videt, quam olim *Tirynthius* Hercules, quum *ad agmina hydrae dirae* Lernaeae *defeſſus Palladios reſpicit ignes*. Sunt, qui *angues* malint, aegida puta Palladis; nihil tamen mutandum. Hercules enim, quum ſola amputatione nihil proficeret, igne adhibito, quominus capita ſubcreſcerent, inpediiſſe narratur a Mythographis. — 625. Ergo iterum ad *ſocias*, auxiliatrices *conuertere* (ſe) *Medeae artes, et galeae nodos ac vincula*, lora, quibus mento adligata eſſet, *disſipat*, ſoluit quidem, *cunctatur tamen*, non proiicit illico, *totique obcurrere bello* conficere bellum *ipſe* ſolus *cupit*, ſed *ſpes nulla datur; ſic vndique denſant terrigenae iam ſigna duces*, conferto agmine incedunt. *Iamque omnes odere*, ira excandeſcentes petunt *virum*. — 631. *Tum vero amens*, conſilii inops *diſcrimine tanto, galeam* (Apollonius 3, 1363. et Ovidius Metam. 7, 139. non galeam, ſed ſaxum conieciſſe narrant) a Medea hos in vſus incantatam (v. ſupra 469.) *in medios torſit*, magna vi proiecit; *conuerſae* retro *protenus haſtae*. — 635. Qualis vbi *adtonitos*, furore percitos *annua ira moeſtae Matris* (Mygdonius planctus infra 8, 239. cf. et 3, 20. 232.) annui dies feſti in honorem Cybeles (Megaleſia) et quidem dies eorum tertius (ſanguen vel ſanguinis dictus) quo Galli acutis cultris brachia incidebant 3, 234. — vel *exſectos lacerat Bellona comatos*. Hoc ſpectat ad Bellonae ſacerdotes (Bellonarios), quos Gallis iungi et apud alios deprehendimus. v. Iuvenal. 4, 123. 6, 511 ſq. et ibi Ruperti. Lucan. 1, 565 - 567. Locus claſſicus de Bellonae ſacris eſt ap. Tibull. 1, 6. 43. vbi v. Heynium. *Exſectos* nominat Noſter et *comatos*, quod ſpadones erant, et comam alebant, quum contra Iſidis ſacerdotes (Iſiaci) maritati eſſent et calui. v. van Dalen Diſſ. antiquitatibus inſeruientes p. 155. — Sic Medea *cohortes adcenſas*, ira ardentes *inplicat, et in ſua*, contra ſe ipſos, *fratres*, eiusdem matris omnes *proelia agit*. *Omnis ibi Aeſoniden ſterni putat*, quisque non fratrem, ſed Iaſonem ferire opinatur. *Stupet Aeetes*. *vltro ipſe furentes reuocare* a mutua caede *cupit*, ſed *cuncta*, coniuncta, coacervata *iacent, nec quisquam primus ruit, aut ſuper vllus linquitur*, dici haud potuit, qui primus, qui vltimus ceciderit, *atque hauſit ſubito ſua funera*, filios ſuos mortuos (cf. Virgil. Aen. 6, 510. 9, 492.) *tellus*.

644. *Protenus in* (ad) *fluuium* Phafidem *fumantibus* fanguine *euolat armis* Iafon, *qualis Getico de puluere*, proelio puluerulento *Mavors intrat equis Hebrum vritque grauem sudoribus*, facit, vt aquae fudore et Dei et equorum calefiant, tepefcant faltem. — *Aut niger* fumo et fuligine pictus *Cyclops ex antris*, officina *a rutili fulminis aestu*, a cudendis fulminibus adhuc aeftuans *furit et respirat*, ruit ad fe refrigerandum *in aequore Siculo*. — 649. Sic igitur Iafon reuerfus, fodalesque *ouantes*, laetantes amplexus eft. Nec iam regem denuo precibus adire mendacem dignatur, *nec*, *si ipse*, qui antea promififfet, *ingerat vltro terga*, vel inuito obtrudat aureum vellus, *velit in pacem dextramque reuerti*, denuo fe fidei tam perfidi regis committere; *ambo truces*, *ambo abscessere minantes*, truci minantique vultu discedunt.

IN LIBRVM VIII.

1—23. Medea patris iram timens medicamina ex penetralibus promit, et ad Iafonem confugit. 1. Iam *sua facta*, quae perpetraffet, et inde fequutura mala *pauentem Colchida omnes furiae minaeque*, irae furibundae *patris circa habent*, obfident quafi, vndique obpugnant. Heinfius pro *circa habent* mauult *circum — agunt* per Tmefin; nil opus, nam *habere* noftro faepius eft pro tenere, continere et fimilibus. v. infra v. 98. et 5, 284. — 4. *nec miserae terra vlla procul*, nulla tam remota, quam non adire mallet potius, quam in patria remanere. — 5. *ferre fugam*, fingularis dictio, eadem tamen et 4, 644. 7, 297. — 6. *oscula dat vittis virgineis*, omnino arculae muliebri. Apollon. 4, 26. κύσσε δ' ἑόν τε λέχος, καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθε σταθμοὺς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο. — 8. *crinemque genasque ante per antiqui carpsit vestigia somni*. Male habuit non vnum interpretem τὸ *ante* eam ob caufam, quod ob ftatim fequens *antiqui* ingrata exfiftat ὁμοιοφωνία; eius igitur loco Burmannus *vngue*, Slothouwer *acta* reponere maluerunt, fed retinui ego *ante*, quod refpicere videtur antecedens *fugit*, antequam fugeret, toros adhuc femel amplexa, fed, dum dirum illud fomnium 5, 334 fq. in memoriam reuocat, horret, et fummae triftitiae fenfu crinem genasque non tam lacerat, quod Burmanno vifum, fed *carpit*, leniter inuadit. — 9. *inpresso*, preffo. — 12. *Non carior ille est*, *quem sequimur*, non aeque amo

Iasonem, ac te, pater optime, in quo si mentiar, *tumidis simul obruar vndis*, fluctus me cum ipso Iasone hauriant! — 15. *melior sit cetera proles*, magis pia, quae tibi honori et gaudio maiori sit, quam ego. — 16. Dixit, et *numquam spernenda*, maximi pretii, vtilissima *Haemonio marito* coniugi Thessalo Iasoni *medicamina cistis* (Orpheus 954. Apollon. 3, 801. φωριαμὸς) *letiferis* venena mortifera seruantibus *condita prodit*, profert, promit. — 20. *Velut torto* (ornans epitheton!) *Furiarum flagello erecta*, incitata, exagitata *prosilit*, non lecto, vti Burmanno videtur, nam ista nocte somno se dare nec voluit, nec potuit, sed palatio. — 21. Poeta Medeam comparat cum Inone, Athamantis coniuge, qui, quum a Iunone in furorem actus esset, vxorem pro leaena habitam persequutus est: cuius iras euitatura Furiis et ipsa agitata Ino, in sinu gerens filiolum Melicertam (nam alterum, Learchum, paullo ante Athamas conreptum saxo adliserat, v. supra 3, 68.) ad mare properauit, et cum ipso puerulo in mare se praecipitem dedit e scopulo; quae omnia vberius narrantem consule Ovidium Metam. 4, 416 sq. Iam vero plena omnia, obscurius tamen vltima v. 23. extulit poeta.: *extremum coniux ferit inritus Isthmon.* Burmannus ita explicat, vt Athamantem ad extremam litoris oram substitisse, et furore inani, quod euaserit manibus coniux, pedibus pulsasse terram existimat. Mihi autem Valerius Athamantem ita prope Inus vestigiis insistentem videtur induxisse, vt ense sublato ipsam adhuc tangere atque ferire crederet, ictu tamen inani in extremum scopulum debaccharetur.

24—44. Iason in luco blandis verbis Medeam excipit: 25. *nemoris sacra nocte se tegebat*, abditus in vmbra luci exspectabat. *siderea* insigni, pulcerrima *iuuenta.* De eodem Iasone 5, 467. *sideris ora ferens*, cf. 4, 190. — 27. Poeta Iasonem cum Endymione, is enim est *Latmius venator* a Latmo Cariae monte dictus, Medeam cum *Luna*, Diana confert, quae pudoris virginei diu tenacissima tandem dormientis Endymionis venustate abrepta ne intra osculum quidem constitit, si fides habenda Propertio 2, 15. cf. et Apollon. 4, 55. — 28. *residet*, quiescit, somno conreptus — *velatis cornibus Luna venit*, splendore suo, ne deprehenderetur, inminuto. Apollon. 4, 60. σκοτίῃ ἐνὶ νυκτί. De defectu, eclipsi Lunae possis intelligere, si sequaris Catullum 66, 5. vbi v. Cel. Doeringium et Valkenaer. Epigramm. Callimachi fragmenta p. 66. — 30. *roseo honore*, suaui,

gratiofa, florente pulcritudine. cf. infra v. 237. *inplet nemus, talemque* aeque pulcram ac Dianam *exfpectat amantem* Medeam Iafon. — 32. En noua comparatio! *De more columbae pauidae*, follemnis vox de animalculis iftis, quae *fuper* fupra fe *praepetis*, de quibusque auibus carniuoris dicitur, *ingenti vmbra*, auget magnitudinem auis, *circumdata* conclufa, inuoluta, *in quemcumque*, vt primum in oculos cadit, *tremens*, anxia *hominem cadit*, quod grauius et fignificantius, quam volat. — 35. Haud fecus Medea *icta* percuffa *timore graui mediam fefe inmifit*, toto corpore in amplexus eius ruit. — 37. Iafon ita excipit: *O decus magnum in noftros penates ventura*, infigne ornamentum genti noftrae adceffura. *Sola haud indigna caufa tantarum viarum reperta mihi.* Sic ordines verba. *Haud indigna* λιτότης, fenfusque eft: operae profecto pretium erat, tam egregiae virginis caufa tam longinqua maria emetiri. *Iam nunc non vlla requiro*, nil curo *vellera*, quibus tu mihi longe potior es, *fatis carinae meae vexiffe*, reportare TE. — 41. At vero tot tantisque tuis meritis adde, potes enim, vellera, *namque aurea* (fic refcripfi pro *antea*, quod nihili eft; eademque conrectio in mentem venerat Slothouwero p. 182.) *iuffi terga referre fumus: focios ea gloria tangit*, ad hos etiam pars laudis pertinet. — 44. *primis fubplex dedit ofcula palmis*, nondum labiis inprimit ofcula, fed manibus iisque primis, digitis. Satis modefte!

45 — 53. Medea tenerrimi amoris fignificatione totam fe tradit atque committit Iafoni, fidei tamen datae eum admonet. — 47. *Non iam nunc regina*, virgo regia, *loquor; fceptris relictis, vota* animi, te, mi Iafon, fequor; ferua *profugae*, tua caufa omnia relinquenti, *quam dedifti fidem* 7, 497 fq. — 49. *Di noftris vocibus adfunt* teftes, audiunt praefentes, quae loquimur, inuicem promittimus. *Sidera et haec te meque vident*, fideribus enim et locum dedere in iure iurando. v. Heyne ad Virgil. Aen. 2, 154. — *modo ne quis abactam* a te repudiatamque huc *referat me forte dies oculisque parentis* irati *ingerat*, obiiciat. — 53. *Hoc te deprecor, hofpes.* In hac hofpitis adpellatione, qua fermonem finit Medea, perfidiae quamdam atque leuitatis hofpitibus folitae fufpicionem inueniffe fibi, nec inmerito, vifus eft Burmannus, Valeriumque exiftimat ob oculos habuiffe Ovidii illud Heroid. 17, 191. *Certus in hofpitibus non eft amor, errat, vt ipfi.*

54—66. Vtrique iam interiorem ingreſſi lucum conſpiciunt draconem. *Rapido paſſu*, cum inpetu, incitatiore gradu *per deuia furens*, de incantatione iam cogitans *tollitur*, abripitur, deproperat Medea. — 55. *Haeret comes* Iaſon. Maiorem vim habet τὸ *haeret*, quam ſimplex *eſt:* ineſt notio alicuius timoris. — 57. *vibrantes* intranſitiue. v. ad 7, 617. *ſaeua luce tenebras*, terribilis e noctis vmbris oriens ſplendor. — 61. *fulgura vibrat* h. l. actiue, torquet *criſtis*, hunc ſplendorem emittit corona, maſſa carnea, quae multorum ſerpentium verticem tegit. cf. Apollon. 4, 139. qui terribilem draconis adſpectum magis exornat. — 62. *me pauens contra ſolam videt*, ſemper ſolicitus de vellere praeter me neminem adcedere propius patitur, *vocat vltro* criſtarum iſta erectione, et *blanda* ſibilante *poſcit me pabula lingua.* — 64. Dic age, *vtrum hoſtem* te mecum adcedentem *videnti exuuias auferre velis*, certamen cum eo inire, vellusque eripere ipſe ſuſtineas, *an lumina ſomno mergimus*, an ego oculis adfundam ſoporem, vt mortuo ſimilis iaceat. — 67. Ille *ſilet*, tacendo conſentit, vt Medea ſoporem inmittere malit, quae draconis iras tam terribiles modo deſcripſerat, *tantus ſubiit* animum eius *vt virginis horror.*

68—78. Carmine igitur in ſoporem dat draconem Medea. *Manus crinemque* caput *intenderat aſtris, carmina barbarico pede*, Scythica modulatione *fundens*, *teque ciebat*, *Somne pater*, quo nomine venit etiam Ovidio Metam. 11, 633. qui et aulam eius fuſius pingit ibid. 590 ſq. Hoc Patris nomine omnibus Diis communi plures ornat Valerius: Aeolum 1, 751. Apollinem 5, 18. Bacchum 2, 256. Tartarum 4, 258. Cf. Heyne ad Virgil. 1, 155. — *omnipotens Somne.* Homero Il. 14, 233. et Orpheo 1002. ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων. Apollon. 4, 146. θεῶν ὕπατον, ſummum Deum. Meleager Epigr. 88. ὁ καὶ Διὸς ὄμματα θέλγων. — *te ab omni orbe voco*, mitte iam totum terrarum orbem, *inque vnum iubeo nunc ire draconem*, in hoc ſolo vim exſeras tuam. — 72. Quae ſaepe *cornu tuo*, nam et hoc, a ſerioribus praeſertim poetis, tribui ſomno videmus, v. c. Statio Theb. 2, 144. 6, 27. Sil. Ital. 10, 352. Hinc fit, vt *inriguus* (ὑγρὸς) et *liquidus* apud ipſum noſtrum 4, 16. nominetur, et *inrorare* quietem, *inrigare* Virgil. Aen. 1, 692. *perfundere membra*, Graecis βαπτίζειν dicatur. Nec deſunt antiquitatis monimenta, in quibus hoc cornu videre eſt. v. *Leſſing, wie die Alten*

den Tod gebildet, in fronte libri, it. Tab. 5. et p. 45. Hoc igitur cornu *freta* Medea ait ſe, *nubila*, *fulmina*, *ſidera domuiſſe*, quod, quum in has res omnes ſomnus proprie non cadat, non nimis premendum, ſed mitigaſſe, deleniiſſe, viciſſe tempore nocturno ſe haecce omnia profitetur. — 74. *Nunc age*, *maior*, potentior *ades fratrique ſimillime leto*, ita vt draconi non tam ſoporem inmittas, quam lethargum. De hac Somni et Mortis ſimilitudine non eſt, quod pluribus dicam. cf. omnino praeter modo laudatum Leſſingium libellum Cl. Doeringii de imagine ſomni L. 1783. 4. Liceat tamen adſcribere locum Senecae Tragici elegantiſſimum Hercule furente 1065 ſq. vbi Chorus itidem Somnum prouocat, vt Herculi ſe inmittat:

tuque, o domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanae melior vitae,
Frater durae languide *Mortis*,
Veris miſcens falſa, futuri
Certus et idem peſſimus auctor:
Pater o rerum, portus vitae,
Lucis requies noctisque comes;
Qui par regi famuloque venis
Placidus feſſum lenisque fouens;
Pauidum leti genus humanum
Cogis longam diſcere noctem,
Preme deuictum torpore graui.

75. Iam ad ipſum draconem conuertit orationem, vel potius cantum: Tempus eſt tandem, *te deflectere oculos ab hac* velleris cuſtodiendi *cura*. Nihil metuas velleri, ego ipſa tuas vices ſubibo.

78. Draco *haud discedere feſſus* laſſitudine *ab Aeolio auro* (Phrixeum metallum 5, 633. cf. et 7, 54.) *nec quieti, quamuis iuuet*, (f. *lubet*, quod Caſp. Barthio iam in mentem venit) *ora dare ſuſtinet; primi* tantum *nube ſoporis percuſſus horret*. Nihil hic mutandum. Nubem ſoporis praeter Statium Theb. 10, 285. et Achill. 1, 250. a Burmanno laudatum habet etiam Claudianus de raptu Proſerp. 1, 81. et de laude Stilich. 1, 309. vbi Gesnerus: Metaphorae huic et phantaſiae poetarum occaſionem dedit magiſtra natura. Turbantur et velut nube quadam obſcurantur dormiturientium oculi. — Nec *percuſſus*, ſuadente Heinſio, in *perfuſus*, vel cum Wakefieldio in delectu tragoed. p. 371. in *perculſus* mutes; eſt enim, quod me

docuit Ill. Heynius ad Tibull. 1, 2. 3. ex Orpheo Argon. 36. et 540. γλυκερῷ βεβολημένος ὕπνῳ. — *et dulces excussit ab arbore somnos.* Facilius esset *corpore*, vel *pectore*, quod voluit Heinsius, sed vulgatum seruari potest, si ita exponas: somnum incessentem ab oculis defendere conatus est eo, vt corpus moueret, et ab arbore in terram serperet, quae explicatio firmatur v. 93. (humi) et 110. vbi draconem humi iacentem scandere Iasonem iubet Medea. — 83. *Spumare Tartareis venenis* Medea dicitur, quod non ita intellegendum, vt Pythiae in tripode sedentis more spumas ore praetulerit ipsa, sed actiue sumsit *spumare* poeta, (vti coruscare 2, 228.) ad spumam vsque miscuit venena. — 84. *cunctaque Lethaei quassare silentia rami perstat.* Et haec non vna obscuritate laborant. *Cuncta silentia*, satis audacter pro omni noctis horrore, omni vi soporifera, quae *Lethaeo ramo* inest; hunc iuniperi fuisse tradit Apollon. 4, 156. cui arbori grauem i. e. somniferam vim tribuit etiam Virgil. Ecl. 10, 76. *quassare*, versare et draconi inspergere *perstat*. Omnino, dum haec scriberet poeta, ob oculos habuit Virgil. Aen. 5, 854-856. *Ecce Deus ramum Lethaeo rore madentem Vique soporatum Stygia super vtraque quassat Tempora, cunctantique natantia lumina soluit.* Venusta haec omnia et perspicua, quae, dum pulcrius more aetatis suae efferre vellet, obscurauit Valerius. — 85. *aduerso cantu* coram stans et canens *luctantia lumina obruit*, obprimit, *omnem vim Stygiam* magicam *lingua manuque fatigat*, strenue versat medicamina canens, *ardentes donec sopor occupat iras*, oculos iratos. — 88. Iamque *altae* erectae antea *cecidere*, subsedere, languere coeperunt *cristae, nutatque coactum*, victum sopore *caput*, atque *ingens*, longa, lata *ceruix extra sua vellera* (est) a vellere sibi demandato humum versus porrecta. — 90. *Ceu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes Nilus et Hesperium veniens Alpheos in orbem.* Haud parum desudarunt in hoc loco interpretes, qui, si verba spectes, nihil admodum difficultatis habet. Comparat nempe draconem porrectum cum tribus fluuiis, quorum cuique addit participium: *refluens* Padus, *proiectus* Nilus, *veniens* Alpheus. Et *Padus* quidem *refluens* est exundans, vltra ripas effusus, nihil amplius. Lucano 4, 134. est *stagnans*, eodem sensu. cf. eiusdem Lucani 6, 272. — *Nilus proiectus*, quod grauius quam porrectus, ideo tamen non placet, quod eadem vox paullo

post v. 93. obcurrit, et *Alpheus veniens*, ex Elide, subter maria diu terrasque depressus, cum Arethusa deinde Siciliae fonte aquas consocians. v. Ovidii Met. 5, 494-497. et 573 sq. — His igitur adtributis omnibus magnitudinem fluuiorum indicare voluit poeta. In verbis itaque nihil est obsendiculi. Sed vitium in eo est, quod tenuissimo filo nectitur antecedentibus comparatio, et res magnitudine nimis diuersae, *ingens draconis ceruix*, magnique nominis fluuii inter se conferuntur. Sed, vti Burmannus et Ernestius Diss. 2. de elocutionis poetar. lat. luxurie p. 89. recte monuerunt, obuersatus Nostro est Apollonius 4, 151. qui draconem ait mille explicuisse orbes, non secus ac fluctus ater et surdus et admodum fremens in aequore magno se voluens; sic enim intellego Graeca: *μήκυνε δὲ μυρία κύκλα, Οἷον ὅτε βληχροῖσι κυλινδόμενον πελάγεσσι, Κῦμα μέλαν, κωφόν τε καὶ ἄβρομον.* Haec Valerius more imitatorum magis exornare et calamistris inurere sibi visus est. — 93. *Fusis circum* circumfusis *proiecta* brachiis, humi strata amplexa est, *seque* ipsam, eo progressam, *suumque simul crudelis* inludens *fleuit alumnum.* — 96. *Sacra ferens* Hecatae, *epulasque* pabula *tibi hianti*, cupide adripienti — quam *grauida* graui *mole* iaces, *quam segnis flatus*, quam lente spiritum ducis, antea tam viuidum atque igneum. — 99. Miseret me tui, mi bone, sed praeclare tecum agi putes, quod vitae saltem pepercerim. — 100. *Heu saeuum passure diem*, quam tristis tibi orietur aurora, *nulla tua sub vmbra* abs te obumbrata *fulgentia dona* donaria, *ἀναθήματα*, aureum vellus videbis. — 102. *Cede Deo*, fatis ita constitutum credas, *inque aliis lucis senium nunc digere*, alium tibi lucum quaere, vbi seniles annos ita transigas, vt a praesenti dolore animum diffundas, exhilares. — 103. *inmemor mei*, ne sis *μνησίκακος*, vt per totum mare sibilis me prosequare tuis. — 105. Tu vero, Iason, *dimitte*, rumpe moras. — *noxia*, inpia in parentem, tauros eius compescui, *terrigenas in fata dedi*, opera mea factum, vt se inuicem ipsi caederent, *fusum*, prostratum *draconis corpus*, significantius quam draconem, molem enim exprimit, habes; *iamque omne nefas*, *spero*, *peregi*, tua gratia feci, quae facere non debebam. — 110. *Aurigera arbor*, (talia multa effingunt vocabula poetae, sed *auriger* taurus est etiam apud Ciceronem de Divinat. 2, 30. in oratione tamen ligata) — *per ipsum* draconem *scande;* consilium periculi plenum, cui tamen statim obtemperat

Iafon, *dictis fidens* Medeae, quam poft tot grauia perpetrata fallere fe velle credere non poterat, et *aeream*, epitheton perpetuum arborum procerarum, *quamuis perfertur ad ornum.* In arbore disfentiunt. Orpheus habet fagum, Apollonius, fibi non conftans, modo fagum, modo quercum nominat. Noftro ornus eft etiam 7, 535. — 114. *cuius adhuc rutilam feruabant brachia pellem; brachia* funt ingentes rami: memini tamen legere, arbori ifti tropaeum quafi adfixum fuiffe, ex quo vellus penderet. — *fimilem nubibus adcenfis*, folis radiis conluftratis. Apollon. 4, 125. *νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἥ τ' ἀνιόντος ἠελίου φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν*, aut arcui coelefti, quod poetice ita effertur: *Thaumantias* Iris *vefte reiecta* ad promtitudinem celeritatemque, qua Iovis et Iunonis iuffa perficeret, exprimendam *labitur* (follemnis vox de Diis in terram fe conferentibus) *obuia*, vt e regione ftet, aduerfum habeat *Phoebum ardentem*, folis radios. — 117. *Conripit optatum decus*, celerrime adprehendit, quod tam diu adpetiuerat, tam longi itineris praemium, *extremumque laborem*, quod finem inponeret laboribus. — 118. Ipfa arbor per profopopoeiam haud inelegantem ornamenti per longam annorum feriem poffeffi tenax fiftitur, et refiftens et gemens; fruftra: nam *triftes fuper coiere tenebrae.*

121 — 133. Spoliis laetus comite Medea ad nauem properat Iafon. *Egreffi* luco *relegunt campos*, eadem, qua venerant, via redeunt, et fluminis *ora fumma* oftia *petunt. Micat* velleris fplendore *omnis ager*, *villisque comantem* (*coma* de ouium lana. cf. Appuleium Metam. 6. p. 402. et ibi intt.) *fidereis pellem*, denfis iisque rutilis crinibus frequentem fert Iafon, fed, quod facimus, fi gratae atque inexfpectatae rei poffeffio contigerit, vt eam in omnes partes verfemus, idem igitur facit Iafon, *nunc totos fundit in artus*, expanfam toti corpori praetendit, *nunc in colla refert*, humeris inponit, *nunc inplicat*, inuoluit *finiftrae.* Totus locus adumbratus ex Apollonio 4, 179. *ἦϊε δ' ἄλλοτε μὲν λαιῷ ἐπιειμένος ὤμῳ, αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο ποδηνεκὲς, ἄλλοτε δ' αὖτε εἴλει ἀφασσόμενος· πέρι γὰρ δίεν, ὄφρα ἑ μή τις ἀνδρῶν ἠὲ θεῶν νοσφίσσεται ἀντιβολήσας.* — *non fecus ac olim Tirynthius* Hercules, *ab Inachiis* Peloponnefi *antris ibat*, redibat, incedebat, *adhuc optans humeris capitique leonem*, leonis ad Nemaeam confecti exuuias. — 127. Vt vero fociis, qui tunc *praedicta*, de quibus antea conuenerat (cf. 7, 72. 188. praedictus locus) *tenebant oftia, per lon-*

gas eminus *vmbras* noctis *adparuit aureus*, aureo vellere onuſtus, *ipſa ratis gaudens*, (haud mirum, ſenſum tribuere poetam naui, quae loqui adeo poſſet) *promouet ſe obuia.* — 131. Iam vero feſtinans Iaſon deſcribitur: *praecipites agit*, conripit *gradus, vtque aurea miſit terga prius*, haec enim in tuto vt conlocaret, maxime eius intererat, *mox virgine cum adtonita*, non tam, quod nauis numquam antea viſae adſpectu commoueretur, ſed, quod patria exſul futuri incerta eſſet, *puppim inſilit*, (cf. 2, 513.) *ac rapta victor conſiſtit in haſta*, ſtatim adripit haſtam, vt promtus paratusque eſſet ad pugnam, ſi quis vellet ſpolium eripere.

134 — 174. Narrantur, quas vellus raptum et fuga Medeae in aula dederint, turbae. *Venit horror*, triſtis nuntius, *ferens fata luctumque* luctuoſa fata, *fraudemque fugamque*, fugam fraudulentam. — 136. *Hinc frater* Medeae Abſyrtus *inflexit.* Huic voci, vnde commodum aliquem ſenſum vix poſſis extundere, aliam certatim ſubſtituere conati ſunt interpretes. Pius *effluxit*, Aldus et Zinzerling *inſurgit*, Heinſius *effulſit*, Burmannus *ſe erexit*, Harleſius *en flexit*, quorum nullum ſatis placet. Mihi quidem in mentem olim venerat *inceſſit*, Praeſens verbi *inceſſere*, nam quae ſequuntur omnia, coit — volat, complentur, fugit praeſenti tempore efferuntur, h. e. *perſequitur;* ſed nec hoc ſatis placet. In nonnullis, non antiquiſſimis tamen, codicibus reperiuntur poſt v. 136. verſiculi ſedecim, quos quamquam praepoſteros ſubpoſititiosque, qui ante me Valerium ediderunt, habuere, ideoque locum iis in ipſo contextu concedere noluerunt, eorumdem tamen exemplum ſequutus in Commentario nolui omittere:

Occidit Aeetes, caſu perculſus acerbo,
Stratus humi. Carae religens veſtigia natae
Dat gemitus, lacrymasque ſimul vocesque reſorbet.
Heu miſer! adtollens foedatam puluere tandem
Canitiem: poterasne tuo nocuiſſe parenti
Filia, ſola meae ſpes non indigna ſenectae?
Duceris a Minyis furtim, dulcique carebis
Coniugio, laeta et numquam praedone marito.
Hic labor eſt, Abſyrte, tuus; reuocare ſororem
Vndique ſelectam pubem; iam claſſe parata
Et noſtro da vela mari. Tum ille inpiger omen
Adcipit, et magni ſubiit mandata parentis.
Interea velo remisque feruntur in altum

Certatim Minyae; ſolers Neptunia proles
Conſulit, vt dubio caueant contendere curſu,
Et ſecurus, ait, nobis et tutior Iſter.

137. *Volat ipſe* Aeetes, properat *ſenectae inmemor*, nulla ſenilis infirmitatis habita ratione, *complentur litora bello*, viris armatis, *fugit puppis habenis*, quae de nauibus vſurpantur etiam 5, 437. *inmiſſis*, alias *admiſſis*, i. e. incitatis 6, 303. *permiſſis* 4, 670. *adductis* 6, 271. — 140. Quae ſequitur matris ſatis longa oratio plena eſt adfectuum, miſcetque preces et querelas et tenerrimi ſignificationes amoris. *Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas. Adhuc* otioſum, niſi velis reſcribere *ad haec* audita et viſa. Quid ſi *Idyia?* hoc enim nomen fuit matri Medeae, nec admodum repugnant ductus literarum. Obeſſe videbatur, quod plerumque Εἰδυῖα inueniatur, ideoque prima ſyllaba conripi non poſſit; ſed Ἰδυῖα non minus bene, vti Heynius ad Apollodor. p. 203. probat ex Heſiodi Theog. 960. vbi etiam prima ſyllaba breuis. Adcedit, quod nomen proprium vix abeſſe poſſe, et ſola librariorum inſcitia, qui nomina propria rariora ſibi incognita mutare ſolebant, excidiſſe videatur. Temperare igitur non potui, quin feminae, quam et Apollonius 3, 243. nominatim habet, memoriam renouarem locumque ei in ipſo contexto concederem, Heinſii ſequutus exemplum, qui eamdem Ovidio Heroid. 17, 232. reſtituit. — 143. *exſtat*, ſola prae ceteris eminet, conſpicua eſt. — 145. *nata potes*, quae magica polles arte. — 146. *haec tua tellus ſceptraque*, hic, in patria regina magere potes. — 148. *Quis locus tibi, barbara*, quae Colchis, non Graeca es, *inter natas Inachias*, nonne te feminae Graecae contemnent? *iſtane vota domus exſpectatique Hymenaei*, ſic exples vota parentum, qui alii iamiam, Albano principi, deſpondimus? — 150. *Hunc petii grandaeua diem*, vitam igitur mihi aetati prouectae longiorem contingere optaui, vt hunc talem diem viderem? — Iam irae plena orationem dirigit ad Iaſonem: *Vtinam vt volucris in ipſius praedonis ora vnguibus vncis ire poſſem ratemque ſupra* (repetas *ire*) ſupra ratem volitare, *claroque repoſcere cantu* clangore, *quam genui*, filiam. — 155. *Non hoc Pelias euadere furto te iubet*, per talem clandeſtinam rapinam noluit te expeditione tibi mandata defungi. — 157. *Vellus habe*, cum indignatione concedentis verbum, *et noſtris ſi quid ſuper templis*, quidquid praeterea donariorum adeſt, adcipe, modo filiam red-

das. — 158. Nunc cum ipſa filia queritur: *Sed quid ego quemquam*, vel Iaſonem, vel alium quemque inmerito *adcuſem? Ipſa*, ſponte, nemine inpellente, *ipſa tanto* tam nefario ardet amore. — 160. *Redeunt iam ſingula menti*, bene memini, te ſubito aliam factam, iam vero perſpicio cauſam, *quod, ex quo Theſſalici ſubierunt aequora remi*, campis noſtris adpropinquarunt, adpulère nauem, *nullae te dapes*, lautiores cibi, epulae, *non vlla iuuabant tempora*, dies feſti, geniales — *non vllus tum tibi color*, tota pallebas, *aegra verba*, vix verbulum elici poterat, *errantes genae*, quibus color non conſtabat, mox pallidae, mox rubore ſubfuſae (poſſis etiam *genas* adcipere de oculis, quo ſenſu ſaepe apud poetas eſt, v. c. Ovid. Heroid. 10, 206. *fixae genae*. Valerius ipſe 7, 158. *adtolle genas*; ſed illud praeplacet.) *atque alieno gaudia vultu*, gaudia, quibus vultus non reſponderet. — 165. *Cur tanta mihi non prodita peſtis*, cur tam perniciosum amorem mihi non confeſſa es; effeciſſem profecto apud patrem, *vt gener Aeſonides noſtra conſideret* maneret *aula*, *nec talem paterere fugam*, ad tam nefariam inpiamque fugam animum intendere neceſſe habuiſſes. — 167. *Commune fuiſſet aut certe nunc omne nefas:* locus ſalebroſus, in quo vocula *nunc* ſenſum turbat. Adceſſerim Heinſio coniicienti: *commune fuiſſet aut certe tecum omne nefas*, itaque cum antecedentibus coniunxerim: Vtinam mihi confeſſa eſſes, effeciſſem apud patrem, *aut*, ſi hic noluiſſet conſentire, *tecum* ipſa in ſocietatem facinoris veniſſem, *iremus ambae in quascumque vias* ipſa tibi comes fugae fuiſſem, *Theſſaliam* tecum petiiſſem, *et ſacui, quaecumque eſt*, vel oppidulum vel *vrbem hoſpitis*. Sic omnia quidem bene nexa; fateor tamen, totum locum ideo non placere, quod regina eaque grandaeua ex animi ſententia talia profiteri vix credi queat. — 171. *famulae clamore ſupremo* vltimum Vale conclamantes in *vacuos dant verba notos*, nota prouerbialis loquutio de dictis votisque inanibus.

175 — 201. Argonautae dum iter proſequuntur feliciter, Erginus gubernator alia, quam qua veniſſent, via patriam repetere ſuadet. — 175. *Diem* illum *noctemque* ſequentem *volant, redeuntibus aura gratior*, venti magis ſecundi — *notae transcurrere terrae*, litora relegebant, quae antea in conſpectu habuerant, quum ſubito *Erginus*, qui Tiphye mortuo ad gubernaculum ſedebat 5, 65. *puppi ſic fatur ab alta:* — 178. *Vos, ait, Aeſonide* (ſic faciunt veteres,

vt vnum dignitate priorem compellent, plures autem ſimul includant, nec aliter Virgil. Aen. 9, 525. *Vos mihi*, Calliope cet. Ipſe Cicero de Orat. 2, 47. *quamobrem vos hoc doceo, Sulpici.*) *contenti* laeti tantum *vellere capto*, alias ſecuri, *nec via quae*, quanta, *nec quae fortuna*, quae pericula reſtent, *videtis*. — 180. *Craſtina dies vocat ad confinia trucis ponti, Cyaneasque*, cras perueniemus in viciniam Hellesponti et Symplegadas illas, ad quas memini, quantum tibi, Tiphy, deſudandum eſſet; *altera Ponti* Euxini *eluctanda* non ſine labore emetienda *via*. — 185. *Haud procul hinc Hiſtri Scythici*, non quod ibi oriatur, vti veteres nonnulli falſo credidere, ſed quod in Scythia latiori ſenſu ſumta aquas in mare exonerat. cf. Lucan. 2, 50. et Oppian. Cyneg. 2, 141. *exitus ingens*, magna moles aquarum *ruit* magna cum vi atque rapiditate. Hoc igitur flumen ſeptem oſtiis in mare procurrere narrat poeta, ſequutus in eo Strabonem, nam in oſtiorum numero non conuenit priſcis, (v. omnino Mannert. 4, 219 ſq.) nec displicet copia orationis, quae et ipſa totidem fere, quibus Danubius, alueis incedit: *exitus ruit — flumina fundit — ſeptem exit aquis — ſeptem oſtia pandit — ora petamus*. — 189. *Quae latus in laeuum ponti cadit*. Ex Colchide verſus Cyaneas nauigantibus quum Iſter ad dextram eſſet, Burmannus recte putat, hic non reſpici ſitum nauis aut Argonautarum, ſed ex communi more loquendi laeuum latus dici, quod ingredientibus Pontum per Bosporum erat laeuum, vt fuerat reuera prima nauigatione. Ita centies Ovidius in Triſtibus et ex Ponto ſiniſtrum et laeuum Pontum dicit. Hactenus Burmannus. — 190. *Inde ipſius amnis iter* alueum *ſequamur*, *donec nos certo*, nauigabili et tuto *flumine perferat*, *et reddat* promoueat *ad aliud mare*. Humani hic aliud adcidit Valerio. v. Dorvillium ad Chariton. p. 621. qui Danubium in Adriaticum quoque mare effluere credidit. Haud abs re fuerit, huc facientem adſcripſiſſe locum Plinii Hiſt. nat. 3, 23. "Iſtriam cognominatam a flumine Iſtro in Adriam effluente e Danubio amne — plerique dixere falſo. Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam *Argo nauis* flumine in mare Adriaticum deſcendit, non procul Tergeſta (*Trieſt*), nec iam conſtat, quo flumine. Humeris trauectam Alpes diligentiores tradunt. Subiiſſe autem Iſtro, dein Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea cauſa eſt, inter Aemonam Alpesque exo-

rienti." — 191. *Sint age tanti* (hoc cum gesticulatione quadam pronuntiandum) *quaecumque morae*, equidem ne tantillum quidem curo nauigationem diuturniorem. — 194. *Sat mihi* — locutio elliptica, quae quomodo explenda commode sit, vix dicas. Magis placet, quod Heinsius iam olim coniecerat, et Burmannus Codice suo videt confirmatum, *stat mihi*, haec est mea sententia, certus sum: *nam non totis Argo redit ecce corymbis*, vides, mi Iason, corymbos in primo per Cyaneas transitu 4, 691. grauiter laesos, vulneratos esse. — 195. *Haec ait, ignarus, fixas iam numine*, voluntate Deorum *rupes stare*. v. supra 4, 710. — 198. Ad quae Iason: Non est inanis timor tuus, *nec recuso longius ire, et cunctis redeuntem me ostendere terris*, vt eo plures habeam rerum a me gestarum admiratores. — 200. Protenus inde *alios* (ad) *reges locosque flectunt*, regna, vrbes, promontoria transeunt, *adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor*, Pontum ita gelu saepe adstrictum, vt adcolae gentes plaustris possint commeare. cf. 6, 154.

202 — 223. Medea interea tristis sedet, nec blanditiis adeo Iasonis exhilarata, donec ad ostia Danubii perueniunt, vbi socios primum datam Medeae coniugii fidem edocet. *Procul*, sola, remota ab Argonautis ipsoque Iasone *summa puppe*, in angulo extremo *post terga vigilis* (epitheton ornans) *magistri*, gubernatoris *haeserat* supplex *genibus Minervae auratae*, cuius effigies aurata in puppi ἐπίσημον stetit. v. 1, 301. Orpheus 1221. λῖτι (palla) καλυπτομένη, ἔχνῷ δ' ἀμφίεσχε παρείας, quod Noster effert: *deiecta residens in lumina palla*, quae eadem dicuntur de Thetide 1, 132. *Quamquam Haemoniis cum regibus*, ducibus egregiis iret, *sola tamen* sibi visa, *nec coniugii secura* certa *futuri*. — 207. Quod poetae solent, vt, quae in regionibus sint, flumina, montes, litora cet. pro ipsis regionibus, hosque pro incolis adcolisue ponant, idem et Noster licere sibi putauit. Vbicumque praeteruecta est Medea, ibi omnes eam miserantur, *Sarmatici litora ponti*, Sarmatae. *Illa Thoanteae transit desleta Dianae.* Vulgati habent *deflexa*, quod non satis adtento videri possit respicere ad prominentem in mare Chersonesum Tauricam. Valerius autem non de sola Medeae transuectione loquitur, sed de commiseratione, qua vbique excepta sit: quae commiserationis notio quum in praecedente *miserantur* non minus, quam in sequentibus *moerent* et *mouentur*

obuia ſit, eadem in verſiculo inter illos medio abeſſe non poteſt. Haud dubitaui igitur in textum recipere *defleta*, quod Codex Regius et Aldina praeferunt. Iam vero habes, quae deſideratur, commiſerationis ideam: defletur ab ipſa *Diana* Taurica, *Thoantea* ideo dicta, quod Thoantis, patris Hypſipyles Lemniae, de quo plura lib. 2, 418 ſq. aetate Iphigeniam eo transtulerat, (vide Ovidium ex Ponto 3, 2. 59 ſq.) fletur vero, quatenus Diana eadem eſt quae Hecate, cuius ſacerdos fuerat Medea 5, 240. et alibi. — 210. *Hyperboreas mouit pruinas*, audacia admodum poetica dictum pro huius frigidae regionis incolis, *tot modo regna tenens*, et hoc nimium de filia regis, qui vnius tantum regni dominus eſſet. — 211. *ipſi quoque murmura ponti iam Minyae, iam ferre volunt.* Sic editiones, et mire ſe torquent commentatores, nihil tamen proficiunt. Quum vero antiquiſſimi libri, in his Vaticanus primus, pro *ponti* habeant *ponunt*, non video, cur librariorum oſcitantia loco motam non reſtituam vocem, qua repoſita lux oritur loco: *ipſi quoque Minyae iam ponunt murmura*, quae dederant antea, Idas in primis 7, 574. *iam ferre* eam *volunt*, et comitem habere. — 212. *Vix, quaſi non adeſſent, adleuat ora ad ſeras* diu dilatas ad veſperam vsque, *ſi quando*, nam omnem primo omnino cibum capere recuſauerat, *dapes*, delicias, quas *carus Iaſon ipſe dabat*, etſi ipſe blandiens porrigebat varioque ſermone nauigationis moleſtias aliasque curas leuare ſtudebat, iam *nubiferam Carambim* (promontorium Paphlagoniae, nubifera ſurgens rupe 4, 599.) *transire, iam regna Lyci*, (Mariandynorum regis 4, 737. 748. 5, 8.) ei *ſignificauit*, in eo tamen fefellit *gementem*, triſtem, vt *Haemonios* Theſſaliae *montes* conſpiciendos *ſurgere* vultumque adtollere *hortaretur*. — 217. Ex his igitur Aſiaticis Ponti Euxini litoribus iam nauem dirigunt Europam verſus Iſtrique oſtia. *Inſula Peuce Sarmaticae nymphae nomine ſtat;* (eſt) *toruus vbi et ripa ſemper metuendus vtraque in freta per ſaeuos Hiſter deſcendit Alanos. Toruus*, quia taurinis capitibus et cornigeri fluuii a poetis finguntur. Sic Burmannus. Vir doctus autem (Iortinus) in Miſc. Obſſ. Vol. 4. p. 192. hoc *toruus* reſpicere putat *ad adcolas feroces et barbaros*, et eadem quidem ratione, qua fluuius Indus *niger* dicatur ap. Claudian. in Probi et Olybrii Conſ. v. 170. Sed quaeri poſſit, anne iſto Claudiani loco, vti apud eumdem Stilich. 1, 156. Indus non fluuius, ſed homo

(Indianer) ſit. Praeterea vero iſta figura orationis ob ſequentes *Alanos* huic loco non ſatis adcommodata videtur. Quid enim? nonne Valerius tum dixiſſet: adcolas deſcendere in freta per adcolas? Maneat igitur Pii et Burmanni explicatio. — 220. *Reſides curas*, reſiduas poſt tam felicem e Colchide fugam *ſoluere*, ac primum auſus eſt celata antea *ſua pacta*, coniugii fidem Medeae datam *docere ſocios*, qui et laeti audiuere, *meritamque fatentur.*

224 — 242. Nec mora, parantur nuptiae. *Ipſe* Iaſon *Pallados erigit aras*, gratias quidem agit ſacra Minervae faciendo, cui tantum deberet, *inuitae* tamen, quae innupta ipſa ſemperque virgo et aliarum nuptiis non fauebat, (Bononienſi editioni adſcriptum fuit *innuptae*, quod *inuitae* praetulerim) incipit *Idaliae diuae* Veneris *non ſpernere* colere *numen.* — 226. Senſus facilis, ſi recte in ordinem verba cogas: Si quando Iaſon inter ceteros Argonautas pulcritudine eminuit, praecipue tamen, numquam magis, quam tempore eminuit coniugii ſui, non ſecus ac *Gradivus* Mars *ab Hebro ſanguineo* ex proeliis, e Thracia, vbi cultus in primis domicilium habere credebatur, *victor furto*, furtim, iguaro Vulcano, ad Venerem viſit, mox *ſubit Idalium*, montem Cypri, mox *dilecta*, Marti, quoniam ibi genio indulgebat, *Cythera*, inſulam Cretae vicinam, quae loca Veneri fuiſſe ſacra, vel tironibus notum eſt. — 230. Seu cum *Herculi* coeleſtibus epulis adeſſe iam conceſſum eſt, et *feſſum*, tot laboribus exantlatis *Iunonia*, Iunonis filia, Herculis coniux *Hebe ſuſtinet*, fouet, amplexatur. cf. 1, 348. — *Adſunt* his Iaſonis et Medeae nuptiis *vnanimes Venus, hortatorque Cupido ſuscitat*, erigit, bene ſperare iubet *adfixam*, nimis intentam *moeſtis curis* Medeam. Nihil mutare volui, obſendit tamen hoc, quod *Cupido* et ad verbum *adſunt* et ad *ſuscitat* referendus ſit, quod vix ferri poteſt. Cui incommodo vt mederer, maiorem poſt *Cupido* diſtinctionem, quam editiones ante Burmannum praeferunt, reſtituendam exiſtimaui, deinde vero pro *ſuscitat adfixam*, in quo iniucunda ad aures ſunt *at — ad*, malim legere: ſuscitat *hic* fixam, cui tum optime reſpondet ſequens *iſta.* Sic omnia recte et ex ordine procedent. — 234. *Ipſa* Venus *ſuas illi croceo*, quem colorem in veſtibus amabant; (ipſi Iaſoni Pindarus Pyth. 4. κρόκεον εἶμα tribuit. v. omnino Spanhemium ad Callimachum p. 132 ſq. vbi nec Valerius neglectus) *ſubtemine* cf. 6, 227. *veſtes induit*, *ipſa donat*

duplicem coronam, quae nihil aliud esse mihi videtur cum Harlesio, quam duplex cestus, quorum vno mammas, altero paullo inferius ventrem cingebat Venus, de quo vide Winkelmanni hist. artium lib. 4. c. 5. edit. Franco-gall. Huberi T. 2. p. 177. Dissentit tamen Ill. Heynius ad Virgil. Aen. 1, 655. qui *duplicem coronam* intellegit diadema aureum, gemmis distinctum; Flaccum enim se ipsum interpretantem subiicere *arsuras olim cum virgine gemmas*. — Hoc spectat ad Creontis, Corinthiorum regis, filiam Creusam, quacum coniugium Iason inierat; quod ita aegre tulit Medea repudiata, vt Creusae coronam naphtha perunctam dono mitteret, qua igni forte admota, palatium cum ipso Creonte et filia conflagrauit. — 237. *Tum nouus impleuit vultus* (vultum) *honor*, serenitas, hilaritas per totam faciem effulsit; *flauis reddita cura comis*, non passis, vt antea, capillis incessit, sed in nodum conlectas comsit, *graditurque*, quae moesta sederat v. 204. *oblita malorum*. — 239. Comparatur Medea cum Cybeles sacerdotibus et aliis huic Deae deuotis: qui, quum per aliquot dies brachia cultris acutis pupugissent atque incidissent, vltimis diebus Megalesiorum, hoc enim nomine veniebat Romanis in honorem matris Deorum instituta sollemnitas, laetitiae se dabant. Bis dies hos festos memorat Valerius 3, 232 sq. et 7, 635. neutro tamen loco tam copiose, quam nostro, cuius ergo singula videamus. *Sic vbi Mygdonios*, Phrygios in honorem Cybeles, Idaeae matris institutos *planctus sacer abluit Almo*, sexto enim die, cui nomen erat Lavationis, 2. Cal. Apriles, statuam Deae in paruo amne Almone lauabant. (Ovid. Fast. 4, 337. *Est locus, in Tibrin quo lubricus influit Almo — illic purpurea canus cum veste sacerdos Almonis dominam sacraque lauit aquis*. Cph. Saxius in Actis lit. Rhen. Vol. 3. p. 74. ex Inscriptionibus etiam adfert Sodales Balneatores Cybeleos.) — 240. *Laetaque iam Cybele*, expiata? *taedaeque* homines taedis instructi *festae per oppida*, non Romae solum, sed per omnes, circumiacentes, vrbes vagabantur stipem emendicantes. (Μητραγύρται. v. in primis Lucianum de Dea Syria.) — *Quis modo* paullo ante *tam saeuos adytis* templis *fluxisse cruores cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri*, Galli? Τὸ *qui* male habuit interpretes ideoque mutarunt in *quid*, vel *haud ipsi quin*, vel exposuerunt per *quomodo;* sed nil mutandum, si invertas, *qui ipsi*, num quis est inter ipsos sacerdotes, qui,

quos modo perpessus est, dolores non oblitus sit? — Idem igitur fecit Medea, *graditur oblita malorum.*

243 — 258. Ipsae nuptiae celebrantur, epulae saltem nuptiales. Varios hac data occasione ritus in nuptiis servatos commemorat poeta. — Pompa in templum ducta quum in naui vel litore locum non haberet, *ad* aram ducta, *vna veniunt ad aras, pariterque precari incipiunt.* Praeferebatur *ignis et aqua.* Facem praeferre solebat puer patrimus, cuius personam nunc sustinere Pollucem fortasse Valerius iubet lusu verborum, nam puer ille dicebatur *praelux.* — Porro memoratur *adoratio: dextrum pariter vertuntur in orbem;* dextra enim ad os (vnde adoratio) admota corpus circumagebant. Plinius H. N. 28, 2. *In adorando dextram ad osculum referimus, totum corpus circumagimus.* Plura qui cupit, adeat interpretes ad Suetonii Vitell. 2. — Nec *auspicia* defuerunt, sine quibus nihil vel publice vel priuatim agebatur. cf. Cic. de Divinat. 1, 16. et Valerius Max. 2, 1. Apte igitur poeta auspicii vel potius thuris adolendi cerimoniam adsignat *Mopso* auguri, qui tamen tristia omnia videbat portendi, *neque se tum candida,* pura, clara, laeta *flamma* (cf. 1, 232.) *per auras pingues,* crassiores, pinguiori materia quasi gravidas *explicuit.* Sic *pingues flammae* apud Ovidium Trist. 5, 5. 11. *pinguis fumus* apud Lucanum 8, 730. — *nec thura videt concordia,* non vna nubecula surgebant, sed grana in diuersas partes saliebant, *promissam nec stare fidem,* non seruari, *breue tempus amorum,* haud diu duraturum. — 250. *Odit vtrumque* Mopsus, Iasonem, quod tam egregie de se meritam repudiaturum, Medeam, quod hoc repudium tam grauiter vlturam praeuideret, *simul et miseratur vtrumque,* quos vtrosque meliori fato dignos haberet. *Et tibi iam nullos optauit, barbara, natos,* quos ab ipsa matre interfectum iri auguratus est. — 252. *Mox epulas et sacra,* epulas sacrificales, residuas ex hostiis carnes *parant; syluestria praemia,* praeda venatica, eaque *facili venatu quaesita supersunt,* abundant; *pars verubus* figunt Virgil. Aen. 1, 212. assant, *pars vndanti despumant aheno,* elixant, coquunt. — 255. *Gramineis* e cespite viridi *toris discumbitur* (in) *antro, quo olim Hister anhelantem Peucen presserat,* possis exponere obpresserat, vel adeo compresserat; modestius tamen: persequutus erat, quo ducit *anhelans* nympha. — 257. *Ipsi,* sponsus et sponsa *sternuntur inter medios,* adcumbunt conuiuis cincti; *rosea* cf. supra v. 30. *radiante iuuenta altius,* sublimiore

lecto, *inque ſui velleris auro.* (Reſpexit forſan Valerius ritum, quo noua nupta in pelle lanata conſideret. v. Feſtum voce Lana.) Apollon. Rhod. 4, 1141. ἔνθα τότ' ἐστόρεσαν λέκτρον μέγα· τοῖο δ' ὕπερθε χρύσεον αἰγλῆεν κῶας βάλον.

259. Sed iſthaec gaudia interpellantur repentino Abſyrti aduentu. Viuidiorem facit poeta orationem interrogando: *Quis nouus timor,* quae fortuna aduerſa *inceptos inpediit Hymenaeos,* fecit, vt zona ſolui non poſſet, *turbauitque toros,* adcumbentes ſubito excitauit, *et ſacra calentia,* epulas ſacrificales, quae quum maxime feruerent. cf. 2, 331. — 261. *claſſe,* multitudine nauicularum, (*Canots*) nil amplius; rates infra 284. biremes quidem 427. ſed quae non duos ordines remigum, ſed duos remos haberent — *aduehitur Abſyrtus infeſtam,* triſtem *lampada quatiens Graiis,* qui paullo ante laetam, nuptialem facem vibrauerant, *diramque,* ſceleratam *premens clamore,* magna cum vociferatione inuectus, *ſororem,* ſed nunc eminus tantum et ad ſocios directa oratione, nam v. 291. demum propius adcedit. — 265. Non Iupiter aliquis eſt, quem perſequimur, quique taurum, vt ille, ſimilare poſſit ad nos fallendos, immo vero (auget verbis poeta et temeritatem et ſcelus Iaſonis) nequam *praedo,* et *vna* quidem naui, et tanti rem pretii, *Phrixea vellera,* et *qua libuit,* quoniam ita placuit (*mir nichts, dir nichts*) *remeat cum virgine,* ſecum eam absportat, *nobis et muros et ſtantia tecta reliquit,* gratias vero debemus magnas, et praeclare nobiscum actum eſſe fateamur, quod non et vrbem domosque noſtras diruerit. — 270. *Quid mihi deinde ſatis?* quas mihi ſatis dignas dabit poenas? *nec quaero,* nil curo *vellera, nec te adcipio, germana,* etiamſi reddere velit, *nec foederis vlla ſpes erit, nec irae quisquam modus.* Admodum verboſus eſt, et variat orationem Abſyrtus, quod ſolemus vehementi ira commoti. Idem fere ei adcidit, quod ſorori Medeae 7, 433. *nec quibus incipiat, videt, ordine nec quo, quoue tenus, prima cupiens effundere voce omnia.* — 273. Iam vero, quam grauem ſumturus ſit vindictam non de Iaſone ſolum, ſed tota Graecia, Thraſonica iactantia pronuntiat: *Reuerti patris in ora mei tam paruo in* (abeſſe poterat ſaluo verſu haec praepoſitio, ſed ſic ſaepe poetae eam vel addunt, vbi nil opus, vel omittunt, vbi melius adeſſet) *tempore fas eſt?* quid? paucorum dierum ſpatio res a me gerendas circumſcribam? *Quinquaginta animae* viles, *me ſcilicet,* me, me inquam, qui ad maiora natum factumque me ſentio, *vna-*

que mersa ratis subficiat placare? Te, Graecia fallax, quo encomio per anachronismum ornat poeta Graeciam, quae serius demum male ob malam fidem audire coepit, *persequor, atque tuis hunc quasso moenibus*, vrbibus, tectis *ignem.* — 277. Procedit orator ad acerbam ironiam: *Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater*, en, quod fratris est tui amantissimi, en adsum ad dignas cum tam digno coniuge nuptias. *Primus*, nec hunc honorem ab alio mihi praeripi patiar, primus *ecce fero*, vt paranymphus v. 245. *quatioque hanc lampada* facem nuptialem, *primus celebro dotalia sacra;* sic dici quidem possint, quoniam de dote conuenit inter sponsum sponsamque coram auspice, de quo tamen poetam non cogitasse crediderim, sed de tota nuptiarum sollemnitate: properaui, vt primus essem, qui nuptiarum officium obiret, *qui potui*, mihi ipse gratulor, et in sinu gaudeo, quod potuerim adesse. Adforet ipse pater vnicae filiae nuptiis, si per aetatem licuisset, *patriae veniam da, quaeso, senectae.* At vero locum eius tuentur *alii*, (sic in textum recepi suadente Bentleio ad Horat. Od. 3, 6. 20. pro *alti*, quod caret sensu) *pariter populique Patresque*, senatus populusque, vti supra 1, 761. tota Colchis, *mecum adsunt.* — 285. *Dixerat, itque orans iterum ventosque virosque*, vtrorumque denuo auxilium inplorat, *perque ratis subplex vox remigis illa magistros.* Locus similis 4, 647. sed noster deprauatus, cui non vnam labem adsperserunt librarii. Varia tentarunt interpretes, vt nitori suo locum restituerent, quorum commenta quum enumerare longum esset, ea tamen adferam, quae lucem quamdam absundere videntur. Et Heinsius quidem coniicit, vel: *perque rates subplex it remigi, et inde magistris*, vel: *ter quater his subplex vox erigit illa magistros.* Withofius (*kritische Anmerk.* Düsseld. 1799. St. 5. S. 48.) *perque rates subplex volat et premit ille magistros.* Liceat et mihi hariolari. Quid si legas: *perque* rates *vna est* vox remigis *atque* magistri. In quo si falsus sum, πρῶτον ψεῦδος in eo fuit, vt hac tali coniectura tota oratio aptius necti posse videretur. v. 285. Absyrtus orauerat viros, iam vero, quid his precibus effectum esset, narrare voluisse poetam opinatus sum. Obsendit in primis τὸ *subplex* ob praecedens *orans;* reiecta igitur litera *s* quae librarii incuria ex *ratis* sequenti voci adhaesisse videbatur, habebam *vbplex*, vnde facilis transitus ad *vna est* cet. Sic etiam, ita putabam, cum v. 287. oratio melius cohaeret. Absyr-

tus orat viros, vna eademque vox obſequioſa eſt omnium, nec voce tantum promtitudinem declarant, ſed manus ſtatim admouent operi, *intorquent vndam* rel. Conſulueram et Cl. Ruperti, qui, quoniam Burmanni codex habet *vexilla magiſtros*, ita forſan legendum exiſtimat: *perque ratis vrguet* (excitat, incitat) *remos* h. e. remiges *vox alta magiſtri*, vox clara hortatoris remigum, κελευστοῦ. Quam emendationem, codicis quippe auctoritate firmatam, meae praeferendam eſſe ſponte lubensque fateor. — 287. *Illi autem intorquent vndam* (Virgil. Aen. 3, 208. *nautae adnixi torquent ſpumas et caerula verrunt*) *truncis frondentibus*, ramis, quibus folia nondum erant deſtricta; *quaeque fuerat raptim*, tumultuaria opera *formata die ſub* (durante) *vno, et tantum*, nil niſi *arbor*, nondum excauata ad nauigii vſum *deiecta* (ſic *delatum nemus* 1, 121.) *montibus ſuis*, quos proprie natura iis adſignauit, non vndas, *haud longis iam diſtat aquis*, (*haud* iungas τῷ *diſtat*) paruo temporis interuallo inde a Colchide haud procul abeſt ab Danubii oſtiis. — 290. *Quid dolor et veterum potuit non ira virorum?* Totus verſiculus gloſſam ſapit. — 292. *Palladiam puppim*, ab ipſa Minerua exſtructam eiusque tutela firmatam, perſequitur Abſyrtus, videt *viridem* laetam inſulam *Peucen*, *vltima cornua mali*, nil niſi antennas conſpicit. — 295. *tum vero clamorem et gaudia*, laetum clamorem tollunt, ſed *inimica gaudia*, quod iam in eo erant, vt iram explerent: *tum grauior ramis fragor* auditur, *vt procul Argo* nunc tota *viſa viris, vnamque petunt roſtra omnia puppim.* (Incipimus timere *vni* naui, quam *omnes*, tam multae adoriuntur.) — 298. *Princeps* primus Abſyrtus *naualem vncum nodoſi roboris*, (quum, quae poſteris temporibus ad hoſtilem nauem adtrahendam in bellis naualibus adhiberentur, manus ferreae, harpagones, Argonautarum aetati non conuenirent, haud inepte contum roboreum, non arte, ſed ab ipſa natura in vncum effictum poeta dat Abſyrto) et *longa ab vnda*, eminus adhuc iam *proſpectat Stirus*, an forte Medeam ſuam videndi copia detur, *coniugio atque iterum ſponſae flammatus amore.* — 301. *tela trabalia* haſtas craſſitie et longitudine trabibus aequales *expediunt*, (Virgil. Aen. 12, 294.) *armant*, oblinunt *alii piceis vnguine*, pice liquefacta *flammas*, faces. Sic tela *armare veneno* Virgil. Aen. 1, 773. *tota flammata veneno* ipſe Noſter 1, 108. — 303. *Inpatiens morae tremit haſta*, (proſopopoeia haud inelegans) *nec longius inter, quam quod tela vetet, ſupereſt*

mare. Senſus facilis: mare inter vtrasque naues interiectum breuius factum, ita tamen, vt nondum tela inuicem coniici poſſent. Sed τὸ *inter* ob ſequens *ſupereſt* quum redundare videatur, Heinſius eius loco ponere maluit *inde;* nihil tamen nouandum, nam et alibi Valerius ſic de interuallis vſurpat. 5, 337. 6, 220. infra 382. — 305. *tabulata* in nauiculis non nimis vrguenda.

306 — 311. Quid ad haec Argonautae? *Quum ſubitas videre rates, vibrataque,* micantia *flammis aequora, non vna formidine ſurgunt,* omnes quidem timent, non eodem tamen omnes metu, non iisdem cauſis ducti. *Primus deſerta* in antro *virgine* (vide quam ſuaui delectu poeta celeritatem Iaſonis in agendo exprimat) *proſilit,* galeam *rapit, ſimul* enſe clypeoque *micat, nec ſegnius cetera pubes* in litore *conſtitit.*

312 — 316. Sed quid Medea? *Tibi quae, Medea, facies ſcelerum,* quae tibi nunc mens eſt, quae, quos euentus facinora tua habeant, videas? Quantum te pudeat Colchos conſpicientem et fratrem *et quidquid iam tuta,* ſecura *vaſto profundo* longo mari *abſciſum,* disiunctum *credideras. Ergo infauſto* triſti *ſeſe obculit antro, non aliud quam certa mori,* nota breuiloquentia pro nihil agens, quam vt firmiter apud animum conſtitueret mori.

317 — 320. *Haud ita ſed ſegnis ſummo ſedet aethere Iuno.* Mire turbant in hoc loco interpretes, in quo tamen ne literula quidem mutanda venit, ſi cum antecedentibus iungas, et verba ita ordines: *Sed haud ita ſegnis,* vt Medea, quae ſoli dolori indulgeret, *ſedet* otioſa *Iuno. Haud ſinit extrema,* ancipiti, maxime periculoſa *Minyas decernere pugna, nec numero quoniam Colchis nec puppibus aequos.* Iſtud *quoniam* locum habere non poteſt, nec pro *nempe, nimirum* poſuiſſe cenſendus eſt Valerius. Aldina habet *cernens Colchis,* quod ad ſenſum optime quadrat, hoc tamen habet incommodi, quod verſiculo proxime antecedente *decernere,* proxime ſequenti *cernit* obcurrunt. Malim igitur Burmanno adcedere, qui *aequos* mutari iubet in *aequi,* cui ſi obtemperes, retineri *quoniam* poteſt. Fortaſſis legere etiam queas *iamiam.*

321 — 327. En ergo Deam ex machina Iunonem. *Ipſa,* Aeolo neglecto, erat enim periculum in mora, (ſic ipſo Ioue inuito fulmina torſit 1, 116.) *ipſa ſubit* al. labitur *terras,* tempeſtatumque *refringit ventorumque domos,* (nimbi ventique domos 1, 584. quem locum omnino con-

feras velim) *volucrum gens*, alias: populus *turbida fratrum erumpit, inque vnum* (ſic repoſui pro *imam*, iubente Burmanno, qui recte monet, τὸ *omnes* exigere *vnum*) *pariter mare protenus omnes infeſto clamore*, ſonitu, flatu *ruunt*, *inimicaque Colchis aequora* et altum mare, et *aduerſos ſtatuunt*, excitant *a litore fluctus* (*Brandung*). — Vide, quaeſo, quam rapide omnia agantur: Iuno *refringit* clauſtra — venti *erumpunt* — *monſtrat* claſſem Saturnia — *videre* — *protenus* et *omnes* et *pariter* et *in vnum mare*, vnam coeli plagam *ruunt* — fluctus et in *alto mari* et *ad litora erigunt.*

328 – 368. Nihil motus hac, quam viuidis coloribus poeta pingit, tempeſtate Stirus ad recuperandam ſponſam omnes intendit neruos, tandem fluctibus mergitur. *Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela abit*, contingit, vt prope adcedat, quum *vaſto rurſus deſidit hiatu abrupta reuolutus aqua*, diſcedentibus vtrimque fluctibus in inmenſam ante ſe apertam voraginem deiectus agitur retro, *iamque omnis in aſtra* (ſollemnis poetis hyperbole) *itque reditque* aliquoties *ratis*, *labſoque*, deſidente *fluctu reciproca*, rurſus *deſcendit*. *Vorat*, (grauiter dictum) auide abripit *hos vortex*, *hos agmine* aquarum, fluctuum *toto gurges* aequor per ſuperficiem *agit*, rapit, *ſimul in vultus micat vndique terror*, *crebra ruina poli* (ſic coeli ruina Virgil. A. 1, 129.) tonitruum fragor et fulmina *coeleſtia lumina laxat*, aperiunt coelum, ita dehiſcunt nubes, vt ipſum Olympum conſpicere ſibi videretur. Similem, quamquam contrariam hyperbolen habet Ovidius Metam. 2, 260. vbi de temeraria Phaethontis aurigatione ſermo eſt: *diſſilit omne ſolum, penetratque in Tartara rimis lumen, et infernum terret cum coniuge regem.* — 335. *Non tamen ardentis* et ira et amore *Stiri violentia cedit; hortatur ſocios media inter proelia diuum*, ventorum. — 337. Quae ſequuntur, multa habent praeclara et iuueni adcommodata amanti, iactabundo, irato; in eo tamen peccaſſe videtur poeta, quod in ipſa tempeſtate ita verboſum inducat Stirum, vt prope viginti verſiculis animi ſenſa expromat. *Transferat ergo Colchis* Medea *meas dotes* (proci enim heroica aetate donis primum ſibi ad virgines et parentes aditum faciebant. v. Cl. *Lenz Geſch. der Weiber im heroiſchen Zeitalter* S. 163.) et ſe ipſam, et data olim dona auehat, *et Haemonius* (contemtim, vti v. 283.) *nobis ſubcedet adulter*, raptor alienae coniugis? *Nec mihi profuerit, inter tot*, eosque *magnos regesque procosque*, pro-

cos regios *prona haud dubii ſententia patris*, qui, vt primum petii, ſtatim eam addixit, deſponſauit? Fortaſſe tamen virtutem ſpectarit Medea? At, quae ille magicis praeſtigiis perpetrauit, haec ego *ſine carmine* efficiam, iungam tauros, et e Cadmeis dentibus ortos perſequar. — 344. Nec temere hoc dictum putes, Medea, ipſa ſpectatrix ab hoc litore ſis certaminis ſingularis, ad quod adulterum prouoco; *victoris eris*, certiſſime ergo mea; *iam digna videbis proelia*, nam quae antea vidiſti, hoc nomine indigna, *iamque illud carum caput ire videbis cruenta* ſanguine eius infecta *ſub freta; ſemiuiri corpus Achivi*, acerbe et contumelioſe dictum, vt Graeci cum Scythis comparati molles et effeminati habendi ſint. cf. Virgil. Aen. 4, 215. 9, 617. 12, 99. it. Noſtrum ſupra 6, 694. *nec murrha*, (quam non niſi in ditiorum cadaueribus adhibebant) *ſed pice, ſed flammis et ſulfure*, facibus pice et ſulfure oblitis *olentes crines*. (*Olere* crebrius quarto caſui, rarius ſexto iungitur; ſic *redolere* 4, 15.) — 349. *Vos modo, o fluctus, hoc ſolum corpus*, me ſolum, ſine ſociis adeo, *expellite*, ad litus eiicite, et ſolus edam facinora, quae me dignum Medea coniugem, dignum Aeeta generum, dignum Sole magno progenerum oſtendant. — 351. Sed fortaſſe huius meae calamitatis fundus eſt ipſa Medea, *ipſa nunc magico carmine* excitat *ventos, leuatque maria ardua*, vt ardua ſint, in altos fluctus erigantur. *Sed haud illi futile*, inutile, contemnendum, ridiculum *murmur proderit. Ite, rates*, nunc, nunc inſurgite remis, ſocii, et *frangite* diſiicite *virginis*, a virgine commotam *vndam*. — 356. *Intentis* ſumma cum vi *remis*, ſocio cum milite *proſilit*, adpropinquat litori; ſed fluctus decumanus in litore fractus redit, *labefactat* nauim, *ſoluit, effunditque viros*, ipſumque Stirum, qui nec nunc deſinit minari, dextraque elata in litus euadere contendit. — 360. *Ibat*, nabat per aequor *ſtricto enſe*, remos vel fragmenta nauium circumſpicit, *moeſtas altis* (mel. *aliis* vti v. 281. nam nauiculae eius erant planae) *intendit voces* repetitas *puppibus*, quarum tamen nulla prae fluctuum vehementia ſubcurrere *poteſt, vel velit* audere, *quotiesque propinquat, tunc aliud rurſus dirimit mare*, fluctus tam inmanis, vt parui maris inſtar eſſet. — 365. Iam modo *exſtat* capite erecto, modo *abiit*, euanuit vndis obrutus, ſemel tamen adhuc *violentus*, neruis omnibus intentis *ab imo erigitur*, emergit, *ſed fluctus adeſt, ſub altis figit aquis*, magna vi limoſo maris profundo inlidit, *et tandem virgine ceſſit*, cedendum fuit.

369 – 384. Abſyrtus moeſtus vi nihil profecturum ſe videns, obſidione cingere Danubii oſtia ſtatuit. — 372. *videt adnoſcitque*, tam prope videt, vt dignoſcere omnes et capita numerare poſſet, *contra pugnant obuia* a litore aduerſo *maria*, marini fluctus, *totusque in vertice*, ſupra caput adcumulatus pontus. — 374. *abſceſſit tandem, vanaque*, nihil profutura *recedit ab ira* — naues conſtituit ad alteram Peuces inſulae partem, *gemino nam ſcinditur* a terra continente ſeparata *inſula flexu Danubii.* Hac in inſula ſtationem habebat Argo, Abſyrtus contra claſſe ſua *tentoria* Argonautarum in litore poſita *obſidet*, portuque exire prohibet hoſtes. — 382. Nihil interea remittit tempeſtas, *noctes atque dies vaſtis mare fluctibus inter* (v. ad v. 304.) *furit*, donec *Iuno* ipſa *anxia conſilia expediret* manifeſtaret *ſua*, finemque faceret huic bello.

385 – 399. Argonautae a Iaſone, vt Medeam tradat, poſtulant. *Minyae, tanti* tam periculoſi reputantes *vltima*, euentum *belli*, non ſinguli, ſed *cuncti*, non admonent, ſed *vrguent*, et *precibus fremituque* inportunis precibus *fatigant.* Cur ſe *externa*, barbara *pro virgine clauſos obiiciat*, obſidioni exponat? *Reſpiciat pluresque animas maioraque fata tot comitum*, non vnius Medeae rationem habendam, de vita plurium cogitet, qui maioribus rebus gerendis ſeſe deſtinauerint, qui eum ſequuti ſint non amoris furtiui nefandique cauſa, ſed vt virtutis ſuae documenta darent. — 392. *An vero, vt thalamis raptisque indulgeat vnus coniugiis?* hoc ſibi ſumat, vt rapta cum virgine nuptias celebret? *id tempus enim*, ſcilicet! *Sat vellera Graiis*, contentos eſſe ablato vellere, totumque bellum reddita virgine componi poſſe. *Quemque* et Abſyrtum et ſocios *ſuas ſinat ire domos, nec Marte cruento Europam atque Aſiam prima haec committat Erinnys*, diſſidium, furor. Ipſam Medeam Erinnyos nomine condecorare voluiſſe Argonautas, ſatis inficetum videatur; fieri tamen potuit, vt poetae obuerſaretur Virgil. Aen. 2, 573. vbi Helena Troiae et patriae communis Erinnys dicitur. — 397. *Namque datum* conſtitutum *hoc fatis Mopſus, trepidus* tamen *et ſubplex*, obteſtans Iaſonem, ne in propoſito perſiſteret, *canebat* vaticinans, *et in ſeros ire magis ipſa* (mel. *iſta*, vti Bononienſis, mala nempe) *ſineret nepotes, atque alius lueret tam dira incendia raptor*, Paris, qui facem belli Europam inter et Aſiam primus incenſurus ſit.

400 – 407. Iaſon ſociis vrguentibus cedit inuitus, cedit tamen. *Ille trahens gemitum*, alte ſuſpirans, *tantis ac*

vocibus inpar, quid tam veris conſiliis atque monitis iisque tam vehementer datis reponeret non habens, *quamquam iura Deum*, ius iurandum, *et ſacri ſibi conſcia pacti religio*, fidei Medeae teſtibus Diis adhibitis datae conſcientia, *dulcisque primordia taedae*, ipſae nuptiae inchoatae *mouent*, *cunctatur* dubius, *mortemque cupit*, *ſociamque pericli cogitat*, mori maluit, quam Medeam deſerere ſuam; tandem tamen *haud vltra ſociis obſiſtere pergit.* — 405. *Haec vbi ſixa*, certa *viris*, non excepto Iaſone — *quid reſtet*, quae ſors eam maneat, *amantem ignorare ſinunt*, celare volunt, *decretaque triſtia ſeruant ſecum*, apud animum obcultant, ne quid Medea reſciſcat.

408 — 444. Ovidio teſte res eſt ſoliciti plena timoris amor: timet ſaepe, vbi nihil timendum, nec tamen ſemper inanis eſt iſte timor. Hac eadem ſententia breuiter non minus, quam praeclare propoſita, viam ſibi munit Valerius ad aegritudinem, qua Medeae animus adſiceretur, explicandam. *Sed miſer vt vanos, veros ita ſaepe timores verſat amor, fallique ſinit nec virginis annos*, quamquam admodum iuuenis, puella decipi tamen non potuit. *Signa viri iam non ſidi*, frigidioris *ſenſit quamlibet intima*, etſi vel maxime obcultare, disſimilare vellet, *nimiumque ſilentes*, tectos, obſcuros, verborum parcos Argonautas, idque *vna*, vno eodemque tempore, nec ſingulos aliquos, ſed *omnes*. — 412. *Haud ſui tamen inmemor*, conſtituit ſibi, *nec ſubitis turbata minis*, periculis, *prior occupat*, ſe conuertit ad Iaſonem, *longeque* ab ſociis remotum *trahit*, ſeorſim ducit. — 415. *Me quoque tecum Minyae, fortiſſima pubes, nocte dieque mouent*, ſolicitam habent tam egregii, te duce, viri iuuenes: hoc tamen mihi dicas, *an captiua* ſim veſtra in naui, an non coniugem, quod promiſeras, ſed *dominum decepta ſequar.* Noli me celare, quid de me decreueritis. Abs te quidem, *fidiſſime coniux*, talem enim te eſſe perſuaſum habeo, nil timeo; ſi tamen ſociis tibi cedendum eſſe exiſtimes, *ita tamen miſerere*, vt ſaltem promiſſi iura connubii ſerues, donec in patriam tuam perueneriimus, *tum in tua me ſperne domo*, repudia, ſi ita lubet, vel pro ancilla habeas (quam in bello captarum mulierum ſortem ſaepe fuiſſe nouimus ex Homero). — 422. *Scis te certe mihi iuraſſe*, ſocios non item, qui ſi fortaſſe me tradendi ius habeant, tibi tamen aequa poteſtas non eſt. Quod ſi tamen feceris, *te ſimul mecum traham*, mecum ad patrem abducam, qui non me ſolam vt nocentem perſequitur, ſed te, et velleris et filiae rapto-

rem, *atque hac pariter rate ſugimus omnes*, cunctos, quotquot in naui verſamur, eadem culpa tenet, omnes vt fugitiuos inſequitur pater. — 427. Forſan vero tot, quibus frater te premit, nauibus perterrefactus, me deſerendi conſilium cepiſti. At vero, fac, *adhuc maiora coire agmina, nulla fides?* num fidem datam fallere fas ſit? *nullis ego digna periclis*, ego, inquam, quae tot temet periculis eripuerim? *Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?* Valerius ſi ita ſcripſit, hoc voluit: tam egregie de vobis merui, vt vel mortem, ſi ita opus ſit, mea cauſa ſubire debeatis. Mirifice tamen placet, quod Heinſius coniecit: *Martemque tuum comitumque*, vt arma pro me capiatis. — 432. *Vellem equidem noſtri tetigiſſent* comites tui *litora patris ſine te*, tum de iis actum fuiſſet, *duxque illis alius quicumque fuiſſet*, nullius cauſa feciſſem, quod tua cauſa, tui amantiſſima feci. *Nunc remeant* a me ſeruati, ſalui et incolumes, *meque et reddere poſſunt*. (Ita vulgata, ſed admodum frigide: non poterant tantum, ſed volebant etiam, vrguebant tradi; conſentientibus igitur pluribus et libris et interpretibus repoſui *poſcunt* abs te, vt reddas.) — 435. *Quin tu mea reſpice ſaltem conſilia* fortiter reſiſtendi, *et nimio* non tam tuo, quam comitum *ne cede timori*. Recorderis, quaeſo, quam incredibilia modo, me auxiliante, perfeceris, tauros ardentes viciſti, *ad templa*, lucum *draconis* veniſti. — 439. *O vtinam ergo meus pro te non omnia poſſet, atque aliquid dubitaret amor*. Ipſa memet adcuſo, quae tui amore, temere ſatis et inconſiderate, quidquid optaueris, a me inpetrare te ſiuerim. *Quin nunc quoque quaerit, neſcio quid, pudor iſte tuus*. Haec de induſtria obſcurius effert Medea, hoc tamen vult: Video, te animo aliquid voluere, quod tamen dicere te pudet, vt nempe artibus meis magicis in perniciem fratris vtar. — 441. *Mene igitur, optime*, ſed eheu! *quondam*, me, quae tua cauſa omnia feci, fortaſſe factura ſum, precantem, ſubplicem adeo coram videre potes? Ipſe pater, quamquam iratus, mirabitur, nec poterit credere, me tam ſubito poenas dare ſceleris, teque non coniugem habere, ſed *dominum pati*.

444 — 463. His dictis Iaſonem reſpondere parantem fugit furibunda, magnoque cum clamore, *qualem Ogygias* Boeotias *quum tollit in arces* montes (cf. 7, 562. et alibi) *agit Bacchus, et Aoniis inlidit tympana truncis*. Locus conruptus. Recte quidem habent *Aonii trunci*, in montibus Thebanis decerpti rami, vno verbo thyrſi; ſed his

thyrſis Bacchus inlidit tympana? Hoc equidem non intellego. Verum vidiſſe videtur Heinſius in eo, quod Vaticanum ſequutus, qui pro *tympana* habet *tyana*, reponi *thyada* ſuadet, ſed intactum reliquit alterum vlcus, quod inlidet verbo *inlidit*. Forſan dicere poſſis, poetam audaci phantasmate Deum thyadas in furorem excitantem ſiſtere, ferientem, flagellantem ita Bacchas, vt thyrſi frangerentur, quae ſignificatio eſt verbi *inlidere*. Si qui tamen, in quibus ipſe nomen profiteor meum, adflatum omnino vehementiorem indicari exiſtiment, lenius ſaltem aliquod verbum circumſpiciendum, et cum Burmanno vel *inſtigat*, vel *inpellit*, legendum. Poſterius malim eam ob cauſam, quod Valerius ipſe 3, 265. vbi itidem de Thyadibus ſermo, eodem verbo vtitur: *inpulſae iam ſe Deus agmine matris abstulit.* cf. etiam locum noſtro ſimillimum 5, 80. *Boeotia qualem Thyas et infelix cuperet vidiſſe Cithaeron.* — 448. Talis igitur erat, *talemque iugis*, tranſtris *virgo ſe ferebat cuncta pauens*, vt terriculamenta inania phantaſiae obuerſarentur, *fugit infeſtos*, quaſi praeſentes hoſtes ſe perſequentes *vibrantibus haſtis*, quae micare ante oculos videbantur, *terrigenas* e dentibus prognatos, *fugit ardentes* etiam nunc igniuomos *exterrita tauros.* — 451. *Si denique* hoc ſaltem contingeret, vt *Pagaſas*, Theſſaliam, vel *Peliacas nubes*, montem Pelion, niſi ipſum, e longinquo tamen cacumina nubibus inuoluta *cerneret*, et *Tempe viridi lucentia fumo.* Fumo? — faciliora ſunt ad intellegendum, quae coniiciunt: *fundo* Maſerius, *luco* Heinſius; ſed nihil nouandum, *fumo* enim exquiſitius eſt et doctius, quam vt librario magis, quam ipſi poetae debeatur. Fluvii vaporibus, quos emittunt, fumantes ſaepius obcurrunt; ſuauiſſima igitur, ſi quid video, et naturae conueniens imaguncula eſt *in fumo viridi*, emiſſis nempe ex Peneo fluuio, qui per vallem illam Theſſaliae amoeniſſimam, Tempe dictam, non leni incedit alueo, ſed ſpumoſis volvitur vndis, (Ovid. Metam. 1, 570.) vaporibus, qui, quum colorem ducerent e ſubiacentibus pratis et arboribus viridibus, virides ipſi adparuere. *Hoc viſu contenta mori*, quae loca amoena ſi conſpiceret, lubentiſſime moritura. — 453. *tunc tota querelis egeritur*, transigitur (digerere fere eodem ſenſu v. 102.) *queſtuque dies*, (eiusdem notionis *querelarum queſtusque* geminatio odioſa, vt recte monet Burmannus, ideoque mauult *fletuque*, vel *gemituque*. Harleſiana habet *quaeſtu*, errore operarum) *eademque ſub aſtris* noctu cf. 2, 171. *ſola mouet*, iisdem indulget;

moestis veluti nox illa sonaret plena lupis, quasi per tenebras noctis esurientium luporum vlulatus audiret, *quaterentque truces ieiuna leones ora*, prae fame frendentes, *vel orbatae* vitulis *traherent suspiria vaccae*. — 458. *Procedit non gentis honos, non gloria magni Solis aui. Non procedit* Burmannus, quod miror, exponit: nihil iuuat, nihil efficit apud Iasonem. Quidni prodit, incedit, in conspectum venit orta luce, *mane*, quam ipsam vocem loco *magni* ponere possis. — 460. *Quid dubitas? heu, dure, siles? magnumque minatur.* Satis abrupta, nec apte cohaerens oratio, cui incommodo mederi possis, si subpleas, prodit primo mane Iasonemque compellat: *quid dubitas?* etiamnunc aperte non dicis, quid timendum mihi, aut sperandum sit? *heu, dure, siles*, quid constitueris, facile ex silentio tuo conligo, *magnumque minatur*, magnas minas, iras vultu praefert. — 461. *Chaonius truncus* est ipsa nauis Argo, (excisa nempe ex syluis Dodonae, vrbis Epiri (Chaoniae) oraculo insignis) vel potius pars eius, quae vim loquendi atque vaticinandi haberet, de quo vide lib. 1, 2. et 303. Sensus igitur hic est: *talis nunc erat Medea*, suae sibi conscia magnae potentiae, qualis, quum Iasone comite vellus aureum *ouans*, triumphans naui inferret, *interque ingentia Graium nomina*, tam egregios fortesque Graeciae iuuenes *Palladia virgo* virago *stetit altera prora*, vt duas coram viderent Argonautae Mineruas, visam, tutelam nauis, ἐπίσημον, alteram Medeam, vtrasque bellicosas.

464. Iason tandem rumpit silentium. *Moestus minis et nota Medeae ira* dubius animi adstat, vtcumque tamen *mulcere*, delinire blandis verbis *tentat gementem, gemens ipse, et tempora currere dictis.* Currere vix locum tueatur, quum τὸ *tentat* verbum requirat actiuae significationis; melius igitur *ducere* vel *quaerere*. — 468. *Mene aliquid metuisse putas?* Sic recte, non *meruisse*, vti legunt nonnulli; respicit enim Iason ad v. 436.

